COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

TOMUS SECUNDUS

INF. XVIII-XXXIV.

Rambaldi, Benvenuto, da Imola

BENEVENUTI DE RAMBALDIS

DE IMOLA

COMENTUM

SUPER

89725

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

NUNC PRIMUM INTEGRE IN LUCEM EDITUM

SUMPTIBUS GUILIELMI WARREN VERNON

CURANTE JACOBO PHILIPPO LACAITA.

TOMUS SECUNDUS.

FLORENTIÆ,

TYPIS G. BARBÈRA.

MDCCCLXXXVII.

COMENTUM INFERNI.

CANTUS DECIMUS OCTAVUS, *in quo tractat de lenonibus percussis a dæmonibus scuriacis sub titulo domini Caccianemici de Bononia, et aliorum multorum, et Jasonis; et aliquantulum de sequenti bulgia, in qua sunt blanditores in stercore, ubi abominatur Alexius Interminèlli de Luca, et alios multos.*

Loco èe in Inferno detto Malebolgie. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit generale vitium fraudis sub figura Gerionis, per quem transportati fuerunt a circulo violentorum ad circulum fraudulentorum; nunc consequenter in præsenti XVIII capitulo describit ipsum circulum fraudulentorum in generali, et duas (¹) valles eius, in quibus puniuntur duæ primæ species fraudis. Et istud capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor describit totum circulum in generali, et eius situm et pœnam generalem (²) primæ speciei fraudis, scilicet lenocinii, quæ punitur in prima valle. In secunda facit mentionem de uno spiritu moderno, qui deliquit in lenocinio, ibi: *Mentr' io andava.* In tertia tractat de alio spiritu nobili antiquo qui laboravit eodem morbo, sed diversimode, ibi: *Io mi raggiunsi.* In quarta

(¹) S., E. e 116, duas primas valles.

(²) E. specialem primæ.

et ultima describit in generali et speciali aliam speciem fraudis, scilicet adulationem, quæ punitur in secunda valle, ibi: *Già eravam.* Ad primam dico (1), quod autor primo describit circulum generalem fraudulentorum, quem distinguit in decem valles speciales; primo ergo continuans (2) dicta dicendis, quia dixerat in fine capituli præcedentis quod pervenerant (3) ad arcem ruinosam, dicit: *Loco èe in Inferno detto Malebolgie.* Et sic vide quomodo describit primo (4) locum a nomine novo, quia istud dictum est nuper ab autore, numquam (5) ab alio, et est nomen conveniens. Bulgia enim in vulgari florentino est idem quod vallis concava et capax: modo iste circulus continet intra se multas valles, quarum quælibet est capax multorum valde; ideo autor imponit (6) huic loco tale nomen, et est nomen compositum singularis numeri. Et bene sic vocatur, quia cum omnes valles inferni sint malæ, istæ per excellentiam possunt dici malæ: et manifestato nomine proprio, manifestat materiam, de qua factus est, dicens: *tutto di pietra e di color ferrigno,* idest ferrugineo. Per hoc figurat duriorem pœnam, quia si violenti coercentur duro carcere, multo fortius fraudulenti. Notat etiam difficiliorem materiam (7), et dicit: *come la ripa che d' intorno il cinge,* quia iste circulus est cinctus circum circa alta ripa et lapidea; et tacta materia, tangit formam, dicens: *un poccio, assai largo,* quia punit in se quatuor species proditorum, *e profondo,* quia est in infimo fundo inferni, *di cui,* idest de quo puteo, *l' ordigno,* idest ordo libri, *dicerà,* idest tractabit, *in suo loco,* scilicet in fine istius libri Inferni: *vaneggia,* idest est vacuus pro parte, *nel dritto megio,* idest in centro

(1) 116, ergo dico.
(2) S. continuat.
(3) S. venerant.
(4) S. e E. primum locum.
(5) E. et nunquam.
(6) S. imposuit.
(7) E. materiam dicens: *come.*

punctaliter, *del campo maligno.* Et ex dictis concludit quod si puteus est spericus et circulus, ergo et per consequens omnes valles positæ inter ista duo media sunt spericæ. Dicit ergo: *adonque quel cerchio,* idest totus ille circuitus [1], *che riman tra 'l poccio e 'l piè de l' alta ripa dura,* de qua dictum est, *èe tondo, et il fondo,* idest tota planities magna, *èe distinto in dieci valli,* quæ appellantur bulgiæ. — *Quale.* Hic autor descripta [2] forma generali totius circuli, declarat formam specialem eius per unam comparationem satis communem, cuius sententia est satis confusa, et litera valde intricata. Ideo [3] ad eius declarationem autor vult dicere sententialiter: imaginare et finge tibi in mente tua unum castellum rotundum in magna planitie campestri, quod habet [4] circa se plures et plures fossas, et juxta portam castelli a ripa infima incipit una volta pontis, quæ cooperit [5] primam fossam usque ad secundam ripam; et ita secunda volta incipit a secunda ripa, et cooperit secundam fossam usque ad tertiam ripam; et ita de omnibus usque ad decem; ita quod sint [6] decem arcus contigui successive unus post alium, et tamen sit [7] totus unus pons rectus, ita [8] in tali figura iste puteus rotundus velut fortilitium cinctum altis turribus, scilicet gigantibus, habet circa se decem valles concavas in modum fossarum, et decem ponticulos [9] per quos transitur per totum [10] Malebolgie. Nunc ordina literam sic: *quelle,* scilicet valli, *facevan quivi,* in ista planitie infernali, *tal imagine qual figura la parte dove son li castelli rende,* idest ostendit, repræsentat, *dove più e più fossi cingon quelli castelli per guardia de le mura,* ut castella sint fortiora non solum munimine murorum, sed

---

(1) 116 e E. circulus.
(2) 116, distincta.
(3) E. et ideo.
(4) 116 e E. habeat.
(5) E. capit.
(6) E. sunt.
(7) E. sit unus pons.
(8) S. ita quod in tali.
(9) S. ponticellos. — E. porticulos.
(10) E. totum locum Malebolgiæ.

etiam munimine aquarum, *e scogli,* idest pontes saxei, *che recidean,* idest dividebant transversaliter, *gli argini,* idest ripas vallorum, *e i fossi,* idest et ipsas valles, quæ stant in circuitu in modum fossorum, *infin al poccio,* scilicet prædictum, *che tronca,* quia ibi terminantur omnia, *e raccogli,* quia [1] omnia tendunt ad centrum, et omnes aquæ congregantur ibi, et stagnant, quia non possunt ulterius descendere, *movean,* idest habebant principium, sive incipiebant, *da imo de la roccia,* idest a basso ipsius ripæ, sicut videmus quod fundantur artificialiter pontes lapidei in mundo nostro, super fluminibus nostris, quales sunt Florentiæ super Arno, et Romæ super Tiberi, et Avinione super Rhodano; *così come ponticelli sono a tai fortezze,* idest ad talia castella posita in plano, *da i lor sogli,* idest ab ostiis portarum, *a la ripa di fuor.* Et hic nota allegorice, quod autor per hoc figurat quod per unam speciem fraudis cognitam devenitur in cognitionem alterius; quia fraudes sunt inter se contextæ [2] et concatenatæ, sicut maculæ ferreæ in lorica, ita quod una non potest frangi vel lacerari [3] quin multæ sequantur; et ita una fraude aperta statim paratur via ad aliam. Ergo bene fingit quod eadem via itur in omnes de ponte in pontem, idest de gradu in gradum. — *In questo.* Nunc autor, descripto toto circulo octavo in generali, incipit describere primam vallem, in qua punitur prima species fraudis. Et primo continuans dicta dicendis ostendit quomodo intraverint primam vallem, dicens: *noi scossi,* idest exonerati, depositi, *de la schiena di Gerion ci trovammo in questo loco,* scilicet in ripa generali istius octavi circuli præscripti, *e 'l poeta,* scilicet Virgilius ascendens primum pontem, *tenne a sinistra, et io mi mossi dietro,* sequens vestigia eius. — *A la man.* Hic autor describit

(1) 116, quia omnia stagnant, quia non possunt ulterius descendere et tendunt ad centrum. (2) S. connexæ. (3) 116, maculari sive lacerari.

pœnam primæ fraudis (1) in communi: ad cuius declarationem volo te notare (2), quod ista prima bulgia superior est maior cæteris, et magis remota a centro, et continet maiorem multitudinem, sed habet leviorem (3) pœnam. Unde autor servat optimum ordinem; quia sicut supra volens describere pœnas incontinentium incœpit (4) a luxuria, quæ habet minus culpæ et plus infamiæ; ita hic volens describere pœnas fraudulentorum, incipit a fraude quæ fit circa luxuriam, quæ similiter habet minus culpæ et plus infamiæ. Ulterius ad intelligendum clare formam istius pœnæ debes notare, quod duplex est species decipientium mulieres qui hic puniuntur: aliqui enim sunt qui seduxerunt mulieres pro aliis spe lucri, vel alterius commodi, et isti sunt viliores (5), et proprie appellantur lenones: alii sunt qui seduxerunt mulieres pro se tantum, promittentes sibi coniugium, et postea fallentes fidem datam; pœna ergo istorum est talis, quod currunt velociter per vallem frontibus adversis per oppositum, ita quod una gens currit a medio bulgiæ citra, alia a medio ultra: prima est illa gens quæ decepit (6) dominas in gratiam aliorum; secunda est gens quæ decepit (7) dominas adulationibus et promissis pro se, et postea fallaciter et ingrate dimiserunt eas, habito eorum intento; et post eos vadunt dæmones currentes cum virgis ferreis cædendo eos crudeliter. Ad literam ergo dicit autor: *vidi a la man dextra nova pièta*, idest novam pœnam, quia autor de novo fingit eam, quam numquam (8) alius finxerat, et etiam quia erat nova, idest diversa ab aliis, *e novi frustatori*, idest tormentatores, punitores, scilicet dæmones fustigantes eos duriter, *di*

(1) E. fraudis, scilicet in communi.
(2) S. scire.
(3) S. minorem.
(4) 116, incipit.
(5) E. viliores. Alii sunt.
(6) 116, decipit mulieres in gratiam.
(7) 116, decipit.
(8) E. nunquam finxerat.

che la prima bolgia era ripleta, quia maxima est multitudo lenonum talium ubique terrarum, *e li peccatori erano ignudi,* idest nudi, *nel fondo,* idest in planitie concava huius primæ bulgiæ (1) versus nos; ideo dicit: *verso 'l volto;* et isti erant lenones, *e di là,* idest ultra (2) medium bulgiæ ibant, *con noi,* quia scilicet tenebant spatulas versas nobis, ita quod ibant sicut nos, et isti erant deceptores mulierum pro se, et dicit: *ma con passi maggiori,* quasi dicat (3): ibant velocius quam nos, quia nos ibamus lente per pontem sine pœna urgente; illi vero currebant festinanter per vallem impulsi (4) verberibus dæmoniorum. — *Come.* Hic autor explicat modum eundi obviam per unam nobilem comparationem. Ad cuius intelligentiam claram est breviter sciendum quod in MCCC, in quo anno autor incœpit istud nobile opus, papa Bonifacius VIII, tunc sedens in sede Petri, dedit generalem indulgentiam peccatorum in urbe, ad quam, sicut vidimus in MCCCL, cucurrit maxima multitudo ex omnibus regionibus et nationibus obedientibus ecclesiæ romanæ. Unde propter nimiam pressuram gentium in transitu pontis supra Tiberim, ne aliqui a lateribus caderent in aqua (5) et suffocarentur, inventus est utilis modus, scilicet ut peregrini euntes, facerent de ponte per longum duas partes, ita quod, qui ibant ad ecclesiam sancti Petri per unam medietatem pontis respiciebant versus castellum sancti Angeli, et illi, qui redibant ab indulgentia ibant per aliam medietatem respicientes versus montem. Ita (6) a simili in proposito aliqui istorum fustigatorum (7) ibant ad sinistram ver-

(1) 116, bulgiæ, *ei venian dal megio in qua,* idest a medio primæ bulgiæ versus nos. Ideo dicit.

(2) S. ultra dimidium bulgiæ.

(3) E. quasi dicat: quia nos ibamus.

(4) E. impulsi duris laboribus et verberibus. — S. impulsi duris verberibus.

(5) S., 116 e E. in aquam.

(6) 116, Ita quod a simili.

(7) E. fatigatorum.

sus [1] puteum, aliqui ad dextram versus septimum circulum, a quo recesserant Virgilius et Dantes, qui erat quasi mons respectu sequentis bassioris; et sic comparatio est satis propria quia [2] de transitu ad transitum, de peccatoribus ad peccatores. Sed romipetæ vadunt ad indulgentiam ut [3] purgentur a peccatis; isti vero vadunt ad pœnam ut puniantur de peccatis. Ad literam ergo dicit autor, quod isti peccatores hinc [4] inde a dextris et sinistris eo modo [5], *come i romani hanno tolto modo,* istum modum adhuc servant [6] romipetæ ex se ipsis quando multitudo est magna Romæ, *a passar la gente su per lo ponte,* fluminis [7] Tiberini, *per l'esercito molto,* idest propter magnam multitudinem peregrinorum, *l'anno del giubileo,* tangit universalem indulgentiam per vocabulum antiquum. Ad cuius cognitionem est sciendum quod jubilæus interpretatur annus remissionis, et est nomen hebraicum, et [8] fiebat in quinquagesimo anno. Jubilus [9] enim est cantus sonorus, lætabundus [10], est vox confusa præ gaudio. In anno enim jubilæo [11] fiebat festum lætum cum clangore tubarum, et debita absolvebantur, et confirmabantur libertates, restituebantur bona; et dicunt aliqui quod jubilæus habuit initium a victoria Abræ quando redemit nepotem suum Loth de manibus trium regum. Et ecce modum transeundi romipetarum [12]: *che tutti hanno la fronte da l'un lato verso 'l castello,* scilicet sancti Angeli. Ad quod notandum, quod istud castellum, de quo fit hic mentio, fuit olim sepultura Adriani

---

(1) 116, versus pontem.
(2) E. quia scilicet de transitu.
(3) E. ut a peccatis absolvantur; isti vero.
(4) S., E. e 116, ibant hinc inde.
(5) E. eo modo, quo supra de indulgentia romana dictum est, scilicet, *come i romani.*
(6) E. servant ex se ipsis quando multitudo est magna romipetarum Romæ, *a passar.*
(7) 116, scilicet fluminis.
(8) E. qui fiebat.
(9) 116 e E. Jubileus.
(10) 116, delectabundus, est enim vox.
(11) E. jubilæi.
(12) S. romipetarum per pontem.

imperatoris. Nam illi principes antiqui aliquando sepeliebantur in alto, sicut patet in columna lapidis Numidici, in qua sunt cineres Julii Cæsaris; aliquando sepeliebantur in basso, sicut Augustus, qui est sub alta turri. Ita ad propositum: ista alta et mirabilis sepultura facta fuit super muro civitatis Adriano valentissimo imperatori; et istud mirabile opus diu vocatum est sepulcrum Adriani per multa secula. Postea tempore Gregorii I dicitur apparuisse in summitate eius unus angelus cum ense in manu; ideo denominatum fuit ab isto eventu castellum sancti Angeli. Sed proh dolor! Istud sumptuosum opus destructum et prostratum est de anno præsenti (1) MCCCLXXIX per populum romanum, quia fuerat aliquandiu (2) detentum per fautores Roberti cardinalis Gebennensis; qui facto schismate pessimo factus est antipapa contra Urbanum VI. Dicit ergo: *e vanno a santo Petro,* scilicet pro indulgentia, *e vanno verso 'l monte da l' altra sponda,* scilicet ex alia extremitate vel medietate pontis. Hunc actum notaverat autor anno prædicto jubilæi, cum ivisset ad indulgentiam. — *Di qua.* Hic autor specificat pœnam istorum. Ad cuius declarationem nota quod autor hic, sicut et in cæteris pœnis dandis, loquitur de inferno morali. Dat enim eis pœnam solitam dari (3) talibus in mundo illo: solent enim lenones bene verberari et baculari; ideo fingit quod dæmones cornuti currunt post eos acriter cædentes et flagellantes eos, ubi (4) figurative sunt illi quibus lenones faciunt poni cornua, scilicet cugucii. Ad literam ergo; dicit autor: *vidi dimon che li battean crudelmente di retro,* ita quod oportet eos habere bona terga, quia, ut dictum est, sunt ibi nudi, ita quod non gibonus grossus sustinet ibi verbera dura, *con gran ferce,* idest virgis, *su per lo sasso,*

---

(1) E. præsenti 1389. (Fu nel 1379).

(2) E. aliquando detentum.

(3) 116, dare talibus in mundo isto.

(4) S., E. e 116, isti figurative.

quod [1] undique claudit dictam bulgiam, *tetro,* idest obscurum, quia habet colorem ferrugineum, ut jam dictum est a principio capituli, *di qua di là,* idest citra et ultra medium. Et subdit aggravans pœnam: *Ahi,* idest dolenter refero, *come* illi dæmones, *facevan lor,* scilicet ipsos fustigatos, *levar le berce,* idest calcaneos, quasi dicat, faciebant eos tam velociter currere, quod non videbantur tangere terram; quod probat dicens: *a le prime percosse,* idest ad prima baculamenta tam dure impressa, *già nessuno aspettava le seconde nè le tercie,* quasi dicat nullus retardabat ut faceret aliqualem dispositionem [2], vel ut rogaret veniam vel misericordiam, sicut solent facere multi quando sunt deprehensi in aliquo fallo, quia illi ita frequenter [3] cum furore repetebant ictus quod non potuissent facere unum verbum; et si fecissent non poterant audiri, vel intelligi ab illis iratis fabricantibus super dorsum suum.

Mentr' io. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit virum [4] modernum infamatum singulari lenocinio circa tempora autoris. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste fuit quidam miles bononiensis de Caccianimicis de Bononia, vir quidem nobilis, liberalis et placibilis, qui tempore suo fuit valde potens in Bononia favore marchionis Estensis, qui fuit Azo III, qui gessit magnum bellum cum Bononia, de quo dicetur Purgatorii capitulo V; et tandem procuravit sibi facere magnam partem in Bononia, quæ vocata est ob hoc pars Marchiana. Iste ergo miles, nomine Veneticus, habuit unam sororem pulcerrimam, quam conduxit ad serviendum marchioni Azoni de sua pulcra persona, ut fortius promereretur gratiam eius; ideo autor bene solvit sibi de tali servitio. Ad literam ergo; dicit autor: *gli oc-*

[1] E. quia.
[2] 116, excusationem.
[3] E. frequenter repetebant ictus.
[4] S., E. e 116, unum modernum.

chi miei, scilicet intellectuales, *fuoron scontrati in uno,* quia [1] unus famosus occurrit speculationi suæ, *mentr' io andava,* idest interim dum sic irem per ripam meditando post Virgilium. Et hic nota quod, sicut jam sæpe potuisti perpendere, quando autor vult describere aliquam rem levem fingit se videre eam ambulando; quando vero rem difficilem vel incognitam, fingit se firmare; et tunc facit signum, quod ibi est opus maiori consideratione. Et ostendit quod statim recognoverit illum, quia viderat eum in vita; unde dicit: *et io sì tosto dissi,* quasi dicat: tam cito quam cito vidi eum, sine mora dixi: *non son già digiuno di veder costui,* quasi dicat [2]: imo satur, quia pluries viderat eum vivum, quasi dicat tacite, quod oculus eius fastidiebat et indignabatur videre virum nobilem qui tam viliter prostituerat carnem suam. Et ostendit quomodo recognoverit eum, dicens: *però fissi i piedi,* idest firmavi me, quasi dicat: apposui affectionem animi ad bene cognoscendum eum, *per affigurarlo: el Duca,* scilicet Virgilius similiter, *si ristette et assentì ch' alquanto gissi indietro;* hoc dicit autor, quia sic expediebat; nam umbra Venetici currebat velociter ante faciem dæmonis persequentis [3] eum scutica. Autor vero ibat morose, ideo necessario habebat retrocedere, imo mirum est quomodo unquam potuerit attingere eum nisi cum pede mentali. — *E quel.* Hic autor ostendit qualiter prædictus spiritus perventus ab autore voluerit se abscondere, sed non potuit; unde dicit: *e quel frustato,* idest fustigatus, *si credette celar chinando il viso;* et hoc bene fingit, quia istud vitium est magnæ infamiæ, licet parvæ culpæ; ideo summe verecundabatur cognosci in tali actu cum fuisset miles nobilis et magnificus; ideo pondus pudoris deiecit faciem suam ad terram, sed

(1) E. quia scilicet unus. (2) E. quasi dicat: satur sum quia.
(3) S. persequentis eum. Autor vero. — E. persequentis cum scutica.

frustra, unde dicit: *ma poco li valse:* quia (1) tantum recognovi eum; per quod notat quod quis non potest uti tanta arte, quod non cognoscatur tale vitium, quia cito infamia laborat contra autorem talis fraudis, et est maxima pars suæ pœnæ, *ch' io dissi: o tu che gette l' occhio a terra,* præ (2) verecundia, *tu sie Venetico Caccianemico;* sed non potes expellere infamiam maxime inimicam tibi; et hoc dico: *se le fazion,* idest lineamenta faciei, quæ aliter dicuntur *fattezze, — che porti non son false.* Hoc pro tanto dicit (3), quia sæpe similitudo formæ fallit hominem, ut Valerius ostendit in fine sui libri per exempla multorum; quasi dicat: non accepi te in scambium pro alio, quia certissime te recognosco (4) sine errore aliquo. Unde audivi quod iste dominus Veneticus concepit grave odium contra Dantem, et procuravit aliquando lædere eum; quod si sic fuit habuit obliquum, tum quia autor verum dicit, tum quia numquam parcit alicui non principi, non papæ, non patriæ, non parentibus. Et petit autor de causa tam turpis pœnæ dicens: *Ma che ti mena a sì pungenti salse?* Ad intelligentiam huius literæ, ut videas quot sunt occulta et ignorata (5) in isto libro, volo te scire, quod *Salse* est quidam locus Bononiæ concavus et declivus extra civitatem post et prope sanctam Mariam in Monte, in quem solebant abiici corpora desperatorum, fœneratorum, et aliorum infamatorum. Unde aliquando audivi pueros Bononiæ dicentes unum alteri ad improperium: Tuus pater fuit proiectus ad Salsas. Ad propositum ergo autor vult dicere: Quid (6) ducit te ad vallem tam infamem, sicut est vallis Salsarum apud patriam tuam? Non ergo capias hic Salsas pro sapore, sicut communiter omnes exponunt, quia me-

(1) 116, quia tamen recognovi.
(2) 116, pro verecundia.
(3) E. dico.
(4) S. e 116, cognosco.
(5) 116 e E. incognita.
(6) E. qui ducit.

taphora esset aliena a proposito, ut per se patet. — *Et elli.* Nunc autor ponit responsionem illius Venetici, qui satis ægre se manifestat; unde dicit: *et elli a me,* scilicet Veneticus dixit mihi, *mal volentieri il dico,* quia res ignominiosa est, *ma la tua chiara favella,* quia scilicet videris vivus, *che mi fa sovvenir del mondo antico* (¹), idest de illo bono mundo antiquo, quando homines erant amatores (²) veritatis et libertatis, quæ duo bona sunt hodie odiosissima mundo; quasi dicat: tu videris mihi unus de illis bonis romanis antiquis a quorum (³) sanguine tu originem contraxisti, ita libere loqueris veritatem (⁴). Dicit ergo: *mi sforcia,* scilicet ad dicendum id quod honestius tacerem. Et ideo statim describit se a culpa sua, dicens: *Io son colui che condussi la Ghisola bella,* scilicet sororem meam nomine Ghisolam, quæ vocabatur pulcra per excellentiam, quales multas vidi dominas Bononiæ de domo illa excedentes cæteras in pulcritudine, *a far la voglia del Marchese,* scilicet Azonis III, marchionis Estensis. Et vide, quod dicit simpliciter *del Marchese,* quia per excellentiam, quando dicitur Marchio, et non exprimitur nomen, debet intelligi de marchione Estensi, ratione generositatis et principatus antiqui. Et iste Azo fuit summe magnificus et pulcerrimus corpore; ideo bene debuit convenire cum pulcerrima ad extinguendum flammam ardentis amoris sui. Et dicit Veneticus: *come che suoni la sconcia novella.* Quomodocumque historia ista non pulcra narretur; hoc pro tanto dicit, quia diversa erat fama huius facti in vulgo. Aliqui enim mitius loquentes, dicebant, quod ista pulcra fuerat seducta et subtracta

---

(¹) 116, *antico,* ubi, scilicet ego vixi antequam venirem hic, *mi sforcia,* scilicet ad dicendum tibi, vel dic: *la tua chiara favella,* idest libera et aperta, *che me fa sovenir del mondo antiquo,* idest de illo bono.

(²) E. amatores virtutis et liberalitatis; quæ bona.

(³) E. a quorum progenie sanguinem contraxisti.

(⁴) E. loqueris verum, ideo dicit: *mi sforza.*

fraude præter conscientiam fratris sui. Alii vero dicebant, quod dictus Marchio incognitus, mutato habitu, ivit Bononiam, et intrans domum istius amici sui, manifestavit se et causam sui adventus. Et Veneticus quamvis esset de Caccianimicis, nescivit expellere istum familiarem inimicum. Vult ergo Veneticus dicere uno verbo: quidquid dicatur, ego de rei veritate fui conscius huius rei et culpabilis. — *E non pur io.* Nunc iste Veneticus venit ad aliqualem ([1]) excusationem sui; quia culpa et infamia videtur minor, quando est consueta et communis, etiam in enormibus ([2]) criminibus, nedum in levi, quale est lenocinium ([3]), *e non pur io bolognese piango qui,* idest punior in ista prima bulgia ob istud vitium, *anzi questo luoco,* idest ista prima vallis maior et capacior cæteris: *n' è tanto pieno che tante lingue non sono ora apprese,* idest, nunc aptæ et dispositæ, *a dicer sipa tra Savena e 'l Reno,* quasi dicat, quia plures sunt bononienses hic puniti ([4]) tali vitio, quam omnes bononienses, qui nunc vivunt Bononiæ. Et hic nota, quod aliqui volentes colorare factum, dicunt, quod debet intelligi, quod non sunt plures bononienses dicentes actualiter istud vulgare *sipa;* et tunc esset sensus, quod essent valde pauci lenones Bononiæ, quia pauci sunt, qui ([5]) dicant nunc in uno instanti istud vocabulum ([6]). Sed ista non est intentio autoris; imo istud ([7]) participium *apprese* dicit hic aptitudinem, et non aptum ([8]), ita quod autor vult dicere, quod tot linguæ non sunt accensæ, idest aptæ natæ ad dicendum *sipa.* Et ita intelligit ([9]) de omnibus; quia et linguæ infantum naturaliter et potentialiter sunt

([1]) E. ad aliquam.
([2]) E. enormibus, et in omnibus criminibus.
([3]) 116, lenocinium. Dicit ergo: *e non pur.*
([4]) S. qui puniuntur.
([5]) 116, qui dicunt.
([6]) E. vocabulum *sipa.* Sed est.
([7]) S. illud.
([8]) S. actum.
([9]) 116, intellige.

dispositæ ad dicendum hoc, licet modo actualiter non dicant. Et tamen non videatur tibi (1) dicere rem magnam, quando dicit, quod plures sunt bononienses mortui puniti hic (2), quam sint vivi in Bononia; quia non credo, quod sit aliqua terra tam parva in mundo, de qua non sint plures (3) lenones in inferno, quam sint uno tempore viventes in Bononia, et loquentes vulgare bononiense. Et ista civitas est hodie satis purgata isto (4) vitio; et tamen autor facit citius mentionem de una terra studiosa et famosa, quam de alia. Certe multæ sunt terræ et magnæ, in quibus magis viget istud vitium in Italia, ut nihil dicam de Parisius (5) in Gallia. Nota etiam quod autor describit gentem bononiensem ab idiomate et a fluminibus. Bononienses enim utuntur isto vocabulo *sipa,* ubi cæteri lombardi (6) et italici dicunt *sia.* Bononia etiam habet ab una parte, scilicet occidentis versus Lombardiam, flumen, quod dicitur Renus, sed non intelligas de Reno maximo flumine Alamanniæ, quod olim dividebat Germaniam a Gallia. Et iste Renus Bononiæ habet aquam bonam non solum potabilem, sed utilem ad molendina pulcerrime ad molendum frumentum (7), ad faciendum sericum et alia multa necessaria ad sustentationem et ornatum humanæ vitæ. Habet et alium fluvium, qui dicitur Savana (8) ex alio latere orientis versus Romandiolam: habet et parvum torrentem, qui dicitur Apposa, qui intersecat ipsam: habet et montem fertilem et amœnum a parte meridiei, qui est quasi clypeus contra ventum austrum, quem autor tetigit faciendo mentionem de loco Salsarum, qui est unum præcipitium in ipso monte. Ex his brevissime habes nobilem situm huius

(1) 116, tibi quod autor dicat rem.
(2) E. hic hoc vitio, quam.
(3) 116, plures in inferno.
(4) E. hoc vitio.
(5) 116, de Parisio.
(6) E. lombardi dicunt, *sia.*
(7) 116, frumentum et aptam ad faciendum.
(8) S. Savena ex alio. — 116, Savana ex illo latere.

amœnissimæ civitatis, cuius fertilitatem et bonitatem in omnibus rebus non describo, tum quia viderer recedere a proposito, tum quia notorium est omni nationi in toto occidente, quod et ipsum nomen testatur. Dicitur enim Bononia, quasi bona per omnia. Ideo bene: *Omnibus est linguis laudanda Bononia pinguis.* Et confirmat Veneticus dictum suum ratione probabili, dicens: quod avaritia est causa huius vilis vitii in eis: unde dicit: *Recate a mente,* idest reduc tibi ad memoriam, *il nostro avaro seno,* idest nostram avaram rapacitatem [1]. Et hic nota quod autor capit hic avaritiam large; nam bononiensis [2] naturaliter et comuniter non est avarus in retinendo, sed in capiendo tantum. Illi enim, qui sunt vitiosi, ibi prodigaliter expendunt ultra vires facultatis vel lucri; ideo faciunt turpia lucra, aliquando cum ludis, aliquando cum furtis, aliquando cum lenociniis, exponentes filias, sorores, et uxores libidini, ut satisfaciant gulæ et voluptatibus suis; ideo dicit: *se di ciò vuoi fede o testimonio,* quasi dicat: non oportet, quod quæras aliam probationem, quia experientia fecit tibi fidem et testimonium de hoc. Et hoc dicit Veneticus, quia Dantes fuerat Bononiæ in studio ad tempus; et ista omnia viderat et notaverat; et forte emerat ibi aliquando [3] de tali merce ab aliquo bononiensi, sicut sæpe scholares faciunt. Vult ergo dicere Veneticus: tu debes bene ista scire tamquam expertus. — *Così.* Hic ultimo autor imponit finem huic materiæ, et ostendit quomodo fuit interruptus et terminatus sermo narrantis [4] cum eius magno damno, sed maiori dedecore; unde dicit: *un dimonio il percosse de la sua scuriada,* quia aliquis dæmon hic utitur baculo, aliquis scutica, aliquis virga ferrea; et hoc est dicere, quod aliquando maritus cornutus percutit lenonem et le-

(1) 116, cupiditatem. — E. avaritiam et cupiditatem.
(2) S. bononiensis communiter. (3) E. aliquid. (4) E. narrationis.

nam, nunc cum fuste, nunc cum ferro, quia gladio vel ense ferreo, nunc pugnis et calcibus, quando non occurrunt sibi alia arma; *così parlando,* idest illo Venetico ita loquente, et ita dedit sibi præmium narrationis suæ; *e disse: via ruffian,* quasi dicat: recede hinc in mala hora, non (1) dicas plus de ista materia, quia nihil posses lucrari hic nisi verbera, quia: *qui non son femine da conio,* idest ad lucrum, ad denarios, ad pecuniam. Et hic ex omnibus dictis potes colligere, quod autor noster non notat bononienses, nisi in infamia minorum criminum et levioris culpæ; quia de rei veritate bononienses non noverunt fraudes serpentinas, nec violentias crudeles, quibus autor infamat multas nationes. Et vere bononienses sunt homines carnales (2), dulcis sanguinis, et suavis naturæ; qui super cæteros italicos familiarius tractant forenses, et benignius fovent et honorant; et ut utar argumento Dantis: non quæro aliam probam nisi experientiam, quia fui ibi per decennium.

Io me raggiunsi. Ista est tertia pars generalis, in qua autor nunc tractat de decipientibus mulieres pro se ipsis. Et primo autor, continuans dicta dicendis, ostendit quomodo pervenerunt ad considerationem secundæ sectæ istorum, dicens: *Io me raggiunsi con la scorta mia,* idest cum Virgilio qui remanserat et expectabat (3) eum, *poscia divenimmo con pochi passi dove uno scoglio,* idest unus arcus pontis, *uscia de la riva,* quia incipiebat ab imo ripæ altæ et extendebat se ad secundam ripam, ita (4) quod tegebat primam bulgiam. Unde considera hic bene, lector, ne fallaris, sicut multi decipiuntur hic, quod autor non intraverat adhuc primum pontem, imo erat adhuc in ripa alta quæ continet omnes bulgias, et per consequens claudit istam primam; et eundo per eam ad sinistram

(1) E. nec dicas.
(2) E. curiales.
(3) 116, expectaverat.
(4) S. ita quod tangebat. — E. ita tegebat.

occurrit sibi (1) Veneticus Cacianemicus, cum quo facto brevi sermone, nunc pervenit (2) ad introitum primi pontis; ideo dicit: *e saglimo quello,* idest ascendimus illum scopulum sive pontem primum, *assai ligieramente,* quia non erat altus vel arduus, sicut ripa per quam veneramus. Et specificat modum intrandi, dicens: *e noi volti a destra su per la sua scheggia,* idest eius saxo, *ci partimmo da quelle cerchie eterne,* idest recessimus a circulo exteriori qui claudit omnes, ut dictum est (3), et est æterna (4) et totus infernus. Et subdit quomodo Virgilius direxerit eum in speculationem (5) novæ gentis nondum visæ; et vult breviter dicere, quod cum sic eundo pervenissent ad medium pontis, Virgilius dixit: Expecta, revolve te, ut videas alios infelices quos nondum vidisti, quia non (6) veniebant cum fronte versus nos sicut illi primi, imo vadunt sicut nos. Ordina sic literam, quæ non est bene clara: *Lo duca disse: attende,* idest firma te in medio huius pontis, *e fa che 'l viso di questi altri malnati,* quia similiter sunt damnati propter vilem fraudem commissam in mulieres, *ai quali non vedesti ancor la faccia,* et ecce causam, *però che sono andati insieme con noi,* eo modo portantes faciem quo nos portavimus hucusque, *feggia,* idest feriat, *in te,* quasi dicat: ut oculus tuus bene respiciat eos; et hoc dixit Virgilius: *quando noi fummo là dov' el vaneggia,* idest ubi ille scopulus sive pons est vacuus, *di sotto per dar passo a li sferciati,* idest ut illi fustigati faciant transitum suum directe sub medio illius pontis; quia, ut audisti supra, media pars istorum tenebat vallem citra medium, alia medietas ultra, et fugientes ante faciem dæmonum iratorum hinc inde per ripas omnes revertebantur ad istum passum. — *Dal vec-*

(1) S. ei Veneticus.
(2) 116, pervenit cum Virgilio ad.
(3) E. dictum est. Et subdit.
(4) 116, æterna sicut et totus infernus.
(5) S. in speculatione.
(6) E. quia nondum.

chio. Nunc autor ostendit quomodo dum starent intenti ad respiciendum istos Virgilius ostenderit (1) sibi singularem virum illustrem antiquum valde notatum infamia deceptionis mulierum; et iste erat Jason. Dicit ergo primo ostendens quomodo stabant: nos, Virgilius et ego, *guardavam dal vecchio ponte,* scilicet stantes in isto ponte, qui est veterior quam pons vetus Arni de Florentia, quia scilicet est æternus; respiciebamus *la traccia,* idest istam novam turbam *che venia verso noi, e che,* idest et quam tracciam, *la fercia,* idest virga, *similmente scaccia;* quasi dicat, qui similiter habebant de baculatis sicuti primi. Et dum sic respiceremus: *el mio maestro disse senza mia dimanda,* quia prævenit me in materia notissima (2). Et hic nota quam subtiliter, quam magnifice autor describit (3) virum (4) illustrissimum, primo a pulcritudine corporis, dicens: *guarda quel grande che viene;* Jason siquidem fuit magnus corpore, sed maior animo; a fortitudine animi, cum dicit: *e non par lagrime spanda per dolor,* quasi dicat: vere virilis est, quia viro forti non convenit lacrimari more mulierum; a nobilitate generis, cum dicit: *quanto aspetto real ancor ritene!* Fuit enim Jason de stirpe regali, filius regis et nepos regis; et oppressus adversis et spoliatus regno, factus est probior, ut postea dicam; a nomine proprio, cum dicit: *el èe Jason;* a prudentia et audacia, cum dicit: *che fene,* idest fecit, *li colchi,* idest populos colchorum in septemtrione. Colchi enim fuerunt in extremo Ponti, idest majoris maris, in terra, non (5) insula, ut quidam falso dicunt; nam in mari majori nulla est insula, et Jason transivit per strictum maris inter Troiam et Græciam in ipsum mare maius, quod totum transcurrit. Ideo dicit: quod fecit colchos *privati del montone,* idest aureo vellere, de quo dice-

(1) 116, ostendit. (2) E. novissima. (3) E. describat.
(4) 116, virum istum. (5) 116, non in insula.

tur secundo capitulo Paradisi; et dicit: *per core e per senno,* idest magnanimitate et prudentia sua. — *Elli.* Hic autor, descripto Jasone egregie (1) a virtute qua fecit magnalia, nunc describit ipsum a vicio malignæ (2) ingratitudinis quam fecit contra Isiphilem; et sagaciter interserit pietatem mulieris erga parentem suum, et impietatem cæterarum erga suos. Ad cuius rei mirabilis intelligentiam est breviter sciendum, quod sicut scribit Statius in V sui majoris, Lemnos est insula in mari Græciæ una de Cicladibus, quod mare hodie appellatur Arcipelagus, cuius cives olim iverunt contra provinciam Thraciæ sibi oppositam cum magna classe, et cum stetissent per triennium pertinaciter impugnantes hostes suos, uxores eorum non poterant (3) eos revocare domum precibus, blanditiis vel minis (4); ideo tandem deliberaverunt interficere omnes maritos et masculos earum. Et adverte quod istud fuit historialiter verum, sicut dicit Orosius, licet poetæ fingant, quod Venus immiserit istum furorem in animos istarum mulierum, quia viri non sacrificabant Veneri, quod totum erat verum, quia Lemnii non colebant Venerem sed Martem, quia scilicet non dabant operam rebus venereis, sed rebus bellicis; ideo istæ famulante (5) Venere, idest ardore iræ et libidinis, quia viri earum non vacabant eis, nec respondebant amori debito, converterunt amorem in crudelissimum odium. Nam finaliter audientes quod viri sui rediebant (6) cum victoria, qui forte portabant alienas fœminas, conjuratione facta et ordine dato, receperunt viros simulate cum magno gaudio, et adveniente nocte, illos fessos et sepultos somno et vino interfecerunt. Sola tamen Isiphile filia regis Toantis pietate mota pepercit patri suo (7), qui erat rex insulæ, senex multum, et il-

(1) E. egregio. (2) E. maligno. (3) E. non potuerunt.
(4) E. atque minis; interim tandem. (5) 116 e E. stimulante.
(6) S. e E. redibant. (7) 116, suo Toanti, qui.

lum impositum in naviculam (1) misit extra insulam commendans ipsum diis et fortunæ; et facto igne simulabat (2) facere funus ei; et sic insula nobilis campis, divitiis, viris et viribus, et nuper ditata triumphis hostium perdidit simul et semel omnes masculos. Et ecce in diebus illis ante primam destructionem Troiæ supervenit ad insulam navis magna famosa dicta Argo, cum qua inclitus Jason cum argonautis suis juvenibus animosis ibat in regionem colchorum ad acquirendum aureum vellus. Et continuo mulieres lemniæ visa navi mirabili suspicantes quod esset missa (3) divinitus ad faciendum justam vindictam de crudelissimo scelere earum, concurrerunt (4) ad mœnia civitatis munientes turres lapidibus, saxis, palis, et induentes tristia arma maculata sanguine suorum, parabant se ad defensionem. Cum autem navis Jasonis appropinquaret ad insulam per jactum sagittæ, fœminæ cum debilibus manibus mittebant tela contra viros fortissimos, quales erant Hercules, Thelamon, Nestor, Castor et Pollux, et alii viri magnanimi. Tunc Jason cum ramo olivæ et fronte serena, petita fiducia, narravit causam sui adventus; et breviter fuerunt recepti benigne omnes intra civitatem loco virorum interfectorum; et invenientes ibi dulcem (5) pasturam steterunt per annum, et Isiphile prægnans de Jasone peperit gemellos. Jason autem cupidus gloriæ, non oblitus honoris sui voluit ire viam suam, et promisit Isiphili sacramento se rediturum per insulam Lemnos, et assumpturum ipsam in sponsam unicam si reverteretur voti compos. Sed captus novo amore Medeæ reversus est in patriam, Isiphile derelicta. Deinde fama facta est in insula Lemnos quod Isiphile liberaverat patrem suum

(1) 116, in navicula.
(2) E. simulabat funus eius.
(3) E. missa mirabili divinitate ad faciendam.
(4) E. cucurrerunt.
(5) E. duplicem pasturam.

qui regnabat in insula Chio. Isiphile ergo fugiens iram fœminarum (1) furiatarum recessit furtive, et volens accedere ad patrem capta est a piratis (2) et portata in terras Thessaliæ, de cuius mirabili fortuna dicetur plene Purgatorii capitulo XXVI. Nunc ad literam dico, quod autor tangit malignam ingratitudinem Jasonis contra mulierem bene de se meritam, dicens: *elli,* idest ille Jason, *passò per l' isola di Lenno,* dum iret ad (3) acquirendum pellem inauratam, ut dicit Tullius, *poi che le femine ardite, spietate,* imo dæmoniatæ, spiritatæ, *denno a morte tutti li maschi loro e ingannò ivi,* scilicet in dicta insula impie et ingrate, *Isifile la giovenetta con segni e con parole ornate,* ostendens illi signa dilectionis et amoris cum verbis blandis coloratis, quia fuit affabilis multum, quales sunt communiter græci, *che pria avea ingannate tutte l' altre,* scilicet liberando patrem suum. Et aggravat (4) delictum suum dicens: *lassolla quivi gravida e soletta,* sine patre vel fratre, vel alio tutore legitimo, odiosam omnibus fœminis suis, et ideo: *tal colpa,* scilicet tam vilis, *condanna lui a tal martiro,* scilicet ad tam vilem pœnam; et addit Virgilius: *et anco di Medea si fa vendetta,* quasi dicat: non solum pro Isiphile sic punitur, sed etiam pro Medea, quam similiter ingrate (5) prodidit. Et ad intelligentiam huius literæ volo te bene notare quod istud fuit verum historice loquendo, quod magna vindicta facta fuit de Jasone in vita; quia si Jason crudeliter prodidit Medeam, ipsa crudelius (6) interfecit sibi filios, et postea crudelissime interfectus est a suis. Sciendum est ergo, quod Jason victor aurei velleris reversus cum Medea in patriam, illam expulit ob amorem alterius; sed ipse postea, expulsus de regno a suis consanguineis filiis regis Peliæ,

---

(1) E. fœminarum recessit. (2) E. a piratis Thessaliæ, de cuius.
(3) E. ad accipiendum pellem auratam, dicit. (4) S. aggravans.
(5) E. sic ingrate. (6) E. crudeliter interfecit filios suos.

reconciliata sibi uxore Medea, redivit in colchos; ibi (1) magna virtute et felicitate sua acquisivit regnum soceri, qui erat expulsus, et ipse exul exulem reduxit in patriam in recompensationem injuriarum antiquarum; imo ampliavit regnum colchorum multis urbibus captis, sicut Justinus scribit; sed victor a septemtrione parabat bellum ab oriente contra persas, sed infeliciter interfectus est a suis. Sicut enim scribit Valerius accidit, quod quidam juvenes familiares sui nescio qua de causa verberaverunt magistrum salæ, ubi fiebant ludi; ille conquestus (2) est Jasoni: Jason in satisfactionem injuriæ dedit illi (3) electionem, quod (4) vel acciperet eis triginta denarios vel daret singulis decem verbera. Ille avidior vindictæ quam pecuniæ elegit ultimum: juvenes pro verecundia accensi indignatione et ira Jasonem improvidum interfecerunt. Sic ergo patet quod Jason qui fecerat alios cædi palmis, ipse virgis ferreis baculatus est. — *Con lui.* Hic ultimo autor terminat istam materiam et pœnam, concludens sic: *chi,* idest quicumque, *inganna,* scilicet mulieres a quibus recepit beneficia magna, sicut Jason ab Isiphile et Medea, *da tal parte,* idest tali modo, scilicet cum ficto et fallaci amore, *sen va con lui,* quasi dicat: currit fugiendo sub eadem pœna, ita quod socii in culpa sunt socii in pœna. Et dicit: *e questo basti saper de la prima valle,* idest bulgia, *e di color che in se assanna,* idest de punitis in ea; quasi dicat autor: pauca sufficit dicere de tali materia, et vere autor dixit pauca, sed pulcre et subtiliter secundum subiectam materiam.

Già eravam. Ista est quarta et ultima pars generalis huius capituli, in qua autor agit et tractat de secunda specie fraudis, quæ vocatur adulatio, quæ punitur in secunda bulgia; de cuius pœna breviter autor tractat in

---

(1) E. ubi. (2) S. questus est Jasoni. (3) E. ei.
(4) 116, quod vellet accipere triginta denarios, vel dare singulis.

generali, et de (1) punitis eius in speciali. Et primo continuans dicta dicendis, dicit: *Già eravam là ove il stretto calle,* idest pons per quem ibant, *s' incrocicchia,* idest incorporatur, incastratur, committitur, conjungitur, *con l' argine secondo,* idest cum secunda ripa circulari, quæ dividit primam bulgiam a secunda, *e fa di quel,* scilicet aggere, *spalle ad un altro arco,* quia scilicet secundus pons fundatur in ista ripa secunda; et vult dicere uno verbo, quod jam pervenerant ad finem primi pontis, visa plene prima bulgia, et ad principium secundi pontis. Et hic nota quod autor hic servat unum modum, quem non servat in tota civitate infernali, quia alibi semper facit unum vel plura capitula de uno aliquo vitio; hic vero pertractat duas species fraudis in eodem (2) capitulo, quia istæ duæ fraudes habent maximam affinitatem inter se, scilicet lenocinium et adulatio, imo omnis leno est adulator, licet non e converso, et uterque semper intendit decipere. — *Quindi.* Hic autor describit pœnam adulatorum in generali. Ad cuius intelligentiam est notandum quod autor dat adulatoribus pœnam vituperosam nimis secundum exigentiam materiæ fœdæ. Fingit enim quod isti stant submersi in una valle stercoris bullientis, ex qua emanat maximus fœtor et intolerabilis; nam multi doctores appellant adulationem oleum. Autor vero, qui fuit rigidus, ut Cato amator honestatis, habuit istos ad summum fastidium; ideo bene convertit oleum in stercus; nam nullus fodiens in stercore, aut purgans latrinas est ita fastidiendus et fœtidus sicut adulator; unde ista vallis est maxime plena meretricibus et joculatoribus, qui maxime student adulationi de qua vivunt. Sed autor condigne solvit eis, dicens: *quindi,* idest de introitu sive principio secundi pontis, *sentimmo*

---

(1) E. et de pœnis eius.

(2) S. in uno capitulo.

reconciliata sibi uxore Medea, redivit in colchos; ibi [1] magna virtute et felicitate sua acquisivit regnum soceri, qui erat expulsus, et ipse exul exulem reduxit in patriam in recompensationem injuriarum antiquarum; imo ampliavit regnum colchorum multis urbibus captis, sicut Justinus scribit; sed victor a septemtrione parabat bellum ab oriente contra persas, sed infeliciter interfectus est a suis. Sicut enim scribit Valerius accidit, quod quidam juvenes familiares sui nescio qua de causa verberaverunt magistrum salæ, ubi fiebant ludi; ille conquestus [2] est Jasoni: Jason in satisfactionem injuriæ dedit illi [3] electionem, quod [4] vel acciperet eis triginta denarios vel daret singulis decem verbera. Ille avidior vindictæ quam pecuniæ elegit ultimum: juvenes pro verecundia accensi indignatione et ira Jasonem improvidum interfecerunt. Sic ergo patet quod Jason qui fecerat alios cædi palmis, ipse virgis ferreis baculatus est. — *Con lui.* Hic ultimo autor terminat istam materiam et pœnam, concludens sic: *chi,* idest quicumque, *inganna,* scilicet mulieres a quibus recepit beneficia magna, sicut Jason ab Isiphile et Medea, *da tal parte,* idest tali modo, scilicet cum ficto et fallaci amore, *sen va con lui,* quasi dicat: currit fugiendo sub eadem pœna, ita quod socii in culpa sunt socii in pœna. Et dicit: *e questo basti saper de la prima valle,* idest bulgia, *e di color che in se assanna,* idest de punitis in ea; quasi dicat autor: pauca sufficit dicere de tali materia, et vere autor dixit pauca, sed pulcre et subtiliter secundum subiectam materiam.

Già eravam. Ista est quarta et ultima pars generalis huius capituli, in qua autor agit et tractat de secunda specie fraudis, quæ vocatur adulatio, quæ punitur in secunda bulgia; de cuius pœna breviter autor tractat in

(1) E. ubi. (2) S. questus est Jasoni. (3) E. ei.
(4) 116, quod vellet accipere triginta denarios, vel dare singulis.

generali, et de (1) punitis eius in speciali. Et primo continuans dicta dicendis, dicit: *Già eravam là ove il stretto calle,* idest pons per quem ibant, *s' incrocicchia,* idest incorporatur, incastratur, committitur, conjungitur, *con l'argine secondo,* idest cum secunda ripa circulari, quæ dividit primam bulgiam a secunda, *e fa di quel,* scilicet aggere, *spalle ad un altro arco,* quia scilicet secundus pons fundatur in ista ripa secunda; et vult dicere uno verbo, quod jam pervenerant ad finem primi pontis, visa plene prima bulgia, et ad principium secundi pontis. Et hic nota quod autor hic servat unum modum, quem non servat in tota civitate infernali, quia alibi semper facit unum vel plura capitula de uno aliquo vitio; hic vero pertractat duas species fraudis in eodem (2) capitulo, quia istæ duæ fraudes habent maximam affinitatem inter se, scilicet lenocinium et adulatio, imo omnis leno est adulator, licet non e converso, et uterque semper intendit decipere. — *Quindi.* Hic autor describit pœnam adulatorum in generali. Ad cuius intelligentiam est notandum quod autor dat adulatoribus pœnam vituperosam nimis secundum exigentiam materiæ fœdæ. Fingit enim quod isti stant submersi in una valle stercoris bullientis, ex qua emanat maximus fœtor et intolerabilis; nam multi doctores appellant adulationem oleum. Autor vero, qui fuit rigidus, ut Cato amator honestatis, habuit istos ad summum fastidium; ideo bene convertit oleum in stercus; nam nullus fodiens in stercore, aut purgans latrinas est ita fastidiendus et fœtidus sicut adulator; unde ista vallis est maxime plena meretricibus et joculatoribus, qui maxime student adulationi de qua vivunt. Sed autor condigne solvit eis, dicens: *quindi,* idest de introitu sive principio secundi pontis, *sentimmo*

(1) E. et de pœnis eius. (2) S. in uno capitulo.

gente che si nicchia, idest planimode plorat, sicut facit aliquando infirmus in lecto, qui non potest alte clamare; ita vox istorum non poterat audiri nisi debiliter, quia non habebat liberum exitum cum esset suffocata sub aqua, *nell' altra bolgia,* scilicet secunda sequenti, *e che sbuffa col muso,* sicut facit porcus in cœno, et bene dicit, quia vitium adulationis stat in labiis, *e picchia,* idest verberat et percutit, *se medesma con le palme,* quia scilicet cum manibus percussis plorabant (1), sicut est de more dolentium; sed palmarum percussio non audiebatur hic nisi debiliter, sicut nec vox, quia manus habebant crustam stercoris super se, ideo non faciebant magnum sonum. Et specificat (2) modum istius pœnæ, dicens: *le ripe,* scilicet ex parte interiori, *eran grommate,* idest tasatæ, incrustatæ, *d' una muffa per l' alito,* idest propter flatum et fœtorem, *di giù,* idest manantem a stercore inferiori, *che vi s' appasta,* idest applicatur et adhæret, *che facean zuffa con gli occhi e col naso,* idest faciebant pugnam et rixam (3) cum visu, quia horribilissimum erat videre, et cum naribus, quia (4) molestissimum erat sentire. Et subdit quomodo venerint (5) ad videndum istos, dicens: *lo fondo èe cupo,* quia profunda est adulatio et magna nimis; sed aliqui omnino sunt submersi in ea; aliqui usque ad os, aliqui usque ad * ilia, aliqui usque ad * (6) genua, aliqui tantum tenent pedes in ea; ideo dicit: *sì che non ci basta l' occhio a veder,* quia intellectus non potest comprehendere magnitudinem adulationis, *senza montar al dosso del arco,* idest ad medium pontis, *ove lo scoglio più sovrasta,* idest ubi pons est eminentior et altior, quasi dicat, nisi deveniatur ad altitu-

(1) 116, plorabat. — E. plorat.
(2) E. specificat materiam huius pœnæ, sive modum, dicens.
(3) S. rixas.
(4) E. quia iis erat molestissimum sentire.
(5) S., E. e 116, venerunt.
(6) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri testi.

dinem. Unde nota, lector, quod adulatio est vere alta, lata, et profunda, unde et paucissimi inveniuntur etiam sapientum, qui non habeant aliquam partem adulationis; ideo bene videtur verum quod dicebat una bona vetula: dicebat enim quod unum est magnum peccatum in mundo, de quo nullus confitetur, scilicet complacentia; *e quindi,* scilicet de medio huius (1) pontis, *vidi gente giù nel fosso atuffata,* idest submersa, *in uno sterco che parea mosso da i privadi umani,* idest a latrinis hominum: hoc dicit quia stercora humana sunt fœtidiora aliis, et plus quando moventur; hic autem continuo movebantur, quia adulatores natabant in eo et percutiebant se palmis. Facit etiam mentionem potius de stercore humano, quam alterius animalis, quia adulari est proprium hominis, non alterius animalis. — *E mentre che là giù con l' occhio cerco.* Hic autor incipit tractare in speciali de quibusdam unctis tam suavi unguento; et primo nominat unum virum modernum. Iste fuit quidam Alexius miles dignitate, nobilis genere, natione lucanus, natura blandissimus. Fuit enim de Interminellis de Luca; de qua stirpe ex linea materna fuit ille strenuus miles Castruccius tyrannus cordatus et multum formidatus in tota Tuscia, qui fuit magnus malleus Florentiæ, dominus Pisarum, Lucæ et Pistorii; de quo autor noster non facit mentionem (2) in opere suo, quia claruit paulo post mortem eius. Iste ergo Alexius ex prava consuetudine tantum delectabatur adulatione, quod nullum sermonem sciebat facere, quem non condiret oleo adulationis: omnes ungebat, omnes lingebat, etiam vilissimos et mercenarios famulos; et ut cito dicam, totus colabat, totus fœtebat adulatione. Ideo bene autor describit eum totum unctum ista fæce, ita ut non discerneretur (3) ab habitu; erat

(1) S. istius. — E. illius. (2) 116, mentionem vel descriptionem in opere suo.
(3) S. e 116, dignosceretur.

totus sordidatus (1) a capite usque ad pedes. Dicit ergo: *e vidi un col capo sì lordo di merda,* turpem capellum habebat; *che non parea s' era laico o cherco,* idest non discernebatur (2), utrum esset sacerdos, vel secularis, quia scilicet (3) non poterat videri si habebat capillos vel clericam. Per (4) hoc notat quod iste fecerat sibi habitum in adulatione, nihil (5) sciebat dicere vel facere sine medio adulationis; ideo ita visus est facere viro sapienti: et hunc vidi, *mentre io cerco là giù con l' occhio,* idest dum scrutarer de uno aliquo viro notabili (6) in ista sentina sordida cum oculo mentali; et licet istud scrutinium videretur provocare nauseam videnti, tamen animæ humanæ nihil nocet videre stercora. Et ponit interrogationem illius spiritus ad se qui miratur et conqueritur, quia autor plus respiceret ipsum quam cæteros; unde dicit: *quei,* scilicet Alexius, *me sgridò,* cum ore suo fœtido repleto stercore adulationis, et tamen hic non loquitur adulanter, imo indignanter, *perchè sie' tu sì 'ngordo,* idest intemperate avidus, *di riguardar più me che gli altri brutti?* idest alios adulatores inquinatos hic, quasi dicat: hic est magna multitudo adulatorum et joculatorum, de quibus potes scribere, non (7) deberes ponere me, nec referre nova de me ad mundum viventium. Et ponit responsionem sui ad illum assignans rationem quare, dicens: *et io a lui,* supple respondi, *perchè già t' ho veduto coi capilli asciutti,* quasi dicat: vidi te vivum satis honoratum et ornatum militem, quamvis modo sis ita deturpatus isto turpi liquore; quasi dicat autor: idcirco potius te respicio, quia melius possum judicare (8) de te, quia audivi te loquentem inter vivos ita fastidiose, ita quod

(1) E. fœdatus.
(2) S. dignoscebatur.
(3) E. scilicet sciri non poterat si habebat.
(4) S. Propter hoc notat. — E. Et per hoc notat.
(5) E. quia nihil.
(6) 116, nobili.
(7) E. non debes.
(8) E. videre te.

non audivi alium similem cæteris paribus, considerato quod istud (1) debet esse officium joculatorum, servorum, meretricum, et non convenit uni nobili militi. Ideo vide quod autor in omni genere conatur, ut plurimum, facere mentionem de aliquo viro notabili; ideo dicit: *però t'adocchio,* idest oculo noto, *più che gli altri tutti;* et sic potes videre quando fuit homo iste, quia scilicet tempore autoris. Et ponit responsionem illius confitentis suam culpam (2) causam suæ damnationis. Unde dicit: *et elli,* scilicet Alexius respondit, *allor,* idest tunc, *battendosi la zucca,* idest percutiens sibi caput cum manu in signum doloris; non tamen debuit sibi facere magnum malum, quia manus erat tota mollis et pinguis tali unctione: *le losinghe ond' io,* idest a quibus ego, *non ebbi mai la lingua stucca,* idest saturam, satiam, stuffam; ecce ergo causam (3) quia autor damnat eum hic, quia numquam illa lingua vidit se semel satiam (4) adulatione, ita erat corruptus tam vili delectatione.—*Appresso.* Hic autor descripto uno notabili (5) adulatore moderno, nunc describit unam mulierem antiquam maximam adulatricem. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod Thais fuit olim formosissima et famosissima (6) meretrix in civitate Athenarum, quæ sui pulcritudine et adulatione etiam viros excellentissimos alliciebat ad sui amorem. Unde Valerius scribit quod Demosthenes qui fuit tantus in eloquentia apud græcos, quantus Cicero apud latinos, semel accessit ad cameram eius, et audiens quod illa petebat centum talenta in prætium libidinis, dixit: nolo emere tanti (7) pœnitere. Sciebat enim Demosthenes, quod ex actu venereo semper sequitur pœnitentia et displicentia; ideo nolebat

(1) 116, istud non esset officium.
(2) E. culpam, suæque damnationis causam.
(3) E. e 116, causam quare autor.
(4) E. satiatam.
(5) E. nobili.
(6) E. famosa.
(7) 116, tantum pœnitentiæ.

emere tam caro prætio pœnitudinem. Sed si Demosthenes vir sapiens vitavit venenum dulce istius meretricis, non tamen alii poterant evadere a laqueis eius. Nam sicut scribit Terentius, qui propriissime descripsit mores lenonum et adulatorum, ista Thais fuit astutissima meretrix, cuius artes et fraudes diffuse tangit in secunda comœdia quæ intitulatur Eunuchus. Narrat enim quod Thais amabat quemdam atheniensem nomine Phedriam, et post istum venit quidam miles Trasso [1], qui tetigit eam, et ipsa cœpit vacare isti propter pilare eum. Trasso autem ut servaret sibi amorem eius, et retraheret [2] eam ab amore Phedriæ quem ipsa videbatur diligere, promisit donare sibi unam ancillulam virginem, et ista propter hoc nolebat [3] perdere amorem Phedriæ a quo multa rapuerat: et ut breviter dicam, Trasso misit Thaidi virginem promissam per quemdam lenonem nomine Gnatonem, qui optime noverat artem adulandi, qui dicebat de se: cum maxime decipio tunc triumpho; et bene, quia finis adulatoris est decipere, sicut medici sanare, et rhetorici persuadere. Gnato ergo assignata virgine Thaidi, reversus est ad Trassonem dominum suum, qui petivit si Thais retulerat grates magnas. Respondit Gnato: imo ingentes; quasi dicat, maximas, ultra magnas, mirabiles, nedum magnas, quia ingens plus importat quam magnus. Nunc ad literam, dicit autor: *el duca,* scilicet Virgilius, *mi disse appresso ciò,* idest post ea quæ dixerat de Alexio, *fa' che pinghe,* idest impellas ulterius, *il viso,* scilicet intellectualem, *un poco più avante,* idest aliquantulum ultra Alexium, *sì che attinghe,* idest ita quod bene attingas et cognoscas, *con gli occhi la faccia di quella sozza scapigliata fante.* Et vide quomodo bene describit Thaidam proprie; quia enim erat tam pulcra et fucata [4] in vita,

---

(1) 116, nomine Traxo.
(2) E. traheret.
(3) E. volebat.
(4) 116, fricata in vita.

nunc est tam deformata, et sordidata stercore; et ubi erat tam polita (1) et ornata, nunc est ita irta (2) et decapillata; quia ubi Alexius percutiebat sibi caput cum manu pro dolore, ista lacerabat (3) sibi crines cum manibus, et exarabat sibi genas cum unguibus; unde dicit: *che là se graffia con l' unghie merdose.* Et hic nota, lector, quod multi (4) mirantur et truffantur de isto modo loquendi tam inepto, quo autor utitur aliquando in ista materia; sed certe non poterat melius loqui, considerata persona de qua loquitur, quia sermones sunt formandi secundum subiectam materiam (5). Nonne sancti doctores nedum poetæ qui habent majorem licentiam cæteris scribentibus utuntur sæpe similibus sermonibus? Quomodo poterat autor pulcrius loqui de meretrice impudentissima? Bene (6) dicit Salomon: *Omnis fornicaria est stercus conculcatum in via,* qualis fuit ista magna meretrix. Meretrix enim dicitur, quasi merito trita; et tangit morem meretricis quæ numquam quiescit in loco, imo est semper in continuo motu, dicens: *et or s' accoscia, et or èe in piedi stante,* idest et nunc ponit se ad sedendum, nunc stat recta (7) in pedibus. Unde Salomon loquens de tali (8) dicit: *Et ecce mulier ornatu meretricio præparata, garrula, vaga, quietis impatiens, non valens consistere pedibus domo sua* (9), *apprehensum deosculatur juvenem, et procaci blanditur vultu, dicens: veni, inebriemur uberibus, et cupidis fruamur amplexibus, transfixisti enim sagitta jecur meum.* Sic recte dicebat Thais ad juvenem de quo scribit Æsopus. Et describit eam a nomine proprio, dicens: *Taide èe la puttana.* Fuit etiam alia Thais famosa meretrix Alexandri magni, quæ cum Alexandro ebrioso immisit

(1) E. pulcra.
(2) E. irrita.
(3) 116, lacerat.
(4) S. aliqui hic mirantur.
(5) S. personam vel materiam.
(6) E. de qua bene dicit.
(7) S. recta in pedem. — E. erecta in pedibus.
(8) S. de talibus.
(9) E. in domo sua.

ignem (1) in regiam persarum, de qua dictum est supra in capitulo XII, *che rispose al drudo suo,* idest proco suo fatue amanti eam quæ decipiebat eum; et sic vide quod supra punivit viros fallentes mulieres in persona Jasonis, nunc punit mulieres fallentes viros in persona Thaidis, *anzi meravigliose,* idest habes gratias non solum magnas, sed ingentes apud me, *quando disse,* idest petivit, *ho io grazie grandi appo te?* Et hic nota, lector, quod aliqui mirantur, imo calumniant dictum autoris, hic dicentes, quod Thais non fecit istam responsionem Trassoni, sicut jam scripsi. Ad quod respondeo, quod istud est rixari de lana caprina et de lege suffia canina. Nam si Thais retulit istas grates Gnatoni nuncio Trassonis, bene potuit dicere autor quod retulerit (2) ipsi Trassoni, quia procurator et nuncius est tamquam pica et organum referens verba (3) domini. Et ultimo autor terminat capitulum (4) et materiam istam concludens: *e quinci sian le nostre viste sazie,* quasi dicat: satis stetimus in alto ponte ad respiciendum et contemplandum istud fundicum magnæ (5) spetiariæ. Et hic nota laudabilem et mirabilem cautelam autoris, qui tam cito se expedit de duplici materia duarum bulgiarum tamquam utilissima. Sicut enim sensus abhorret talia videre, unde homo claudit nares et transvertit visum, ita oculus intellectualis talia detestatur, et cito divertit ad aliam materiam.

(1) 116, ignem in regno persarum.
(2) E. retulit. — 116, retulerit sibi Traxoni.
(3) E. verba domini sui. Et. — 116, verbum domini. Et.
(4) S. istud capitulum.
(5) 116 e E. magnum spetiariæ.

CANTUS DECIMUS NONUS, *in quo tractat de simoniacis papis præteritis entibus in lapidibus propaginatis; et ista est tertia bulgia: et sicut locutus est Dantes cum aliquo eorum olim papa de Ursinis, et sub titulo multorum aliorum.*

O *Simon mago, o miseri seguaci.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de pœnis lenonum et adulatorum, qui puniuntur in prima et secunda bulgia; nunc consequenter agit et tractat de tertia (1) specie fraudis, scilicet simonia et simoniacorum pœna, qui puniuntur in tertia bulgia. Et præsens capitulum XIX potest dividi in quatuor partes generales. In quarum prima autor describit pœnam simoniacorum in generali. In secunda introducit unum pontificem magnum simoniacum, qui (2) confert secum multa, ibi: *Chi èe maestro.* In tertia dictus pontifex nominat alios simoniacos et se cum (3) illis, ibi: *Se di saper.* In quarta et ultima increpat et vituperat amare simoniaços, quorum avaritia mundus est perversus, ibi: *Io non so.* Ad primum ergo dico, quod in prima parte autor describit pœnam simoniacorum in generali; et primo descripturus pœnam mirabilem ex indignatione et ira exclamat contra simoniacos, incipiens (4) a Simone mago primo autore simoniæ. Sed antequam descendam ad (5) literæ expositionem, ad evidentiam clariorem volo primo memorare tibi quod, sicut scribitur in actibus apostolorum, iste Simon fuit judæus a juventute sua philosophus, astrologus et nigromanticus ma-

(1) E. de triplici specie.
(2) E. qui confert multum secum, ibi.
(3) E. cum aliis, ibi.
(4) E. incipiendo.
(5) 116, ad literam, ad evidentiam.

gnus, qui videns Petrum et alios apostolos suscitare mortuos et facere alia mirabilia supra naturam, quæ ipse facere non poterat arte sua, cupidus gloriæ imaginatus est posse habere hanc gratiam; et accedens ad Petrum cum pecunia, petivit ut venderet sibi gratiam Spiritus Sancti. Cui Petrus ait: *Pecunia tua sit tecum in perditione* (1). Ille indignatus recessit, et deinde sæpe (2) voluit contendere secum de virtute sua donec confusus et infeliciter prostratus est ab eo. Ad propositum ergo iste Simon fuit primus qui in novo testamento tempore primitivæ ecclesiæ voluit emere sacra; imo etiam vendere, quia (3) emebat ut posset etiam vendere aliis. Nunc ad literam dicit autor: *O Simon mago,* sic dictus quia magicus erat et nigromantiam exercebat, *o miseri seguaci,* idest simoniaci prælati, *che le cose di Dio,* idest res sacras, res ecclesiasticas, *che denno esser spose di bontate,* idest quæ debent legitime conferi (4) virtuti et bonitati, idest virtuosis et bonis; unde scribitur in decreto, quod bigamus non potest esse sacerdos, quia sicut Christus non habuit nisi unicam sponsam (5) et intemeratam, scilicet ecclesiam, ita et sacerdos; *e voi rapaci,* idest avari (6) rapientes, *avolterate,* idest subjicitis adulteris (7), quia scilicet datis vitiosis et indignis, quod (8) est multo peius, *per oro e per argento,* quia non personæ meritæ, sed pecuniæ. Qui enim maritant sponsas solent dare eis dotes; isti vero cum dant ecclesias, recipiunt munera et pecunias; ideo autor promittit eis præmium pro labore, dicens: *Or conven che la tromba suoni per voi,* idest nunc expedit, quia ordo exigit, quod vox poetica alta procla-

(1) 116, perditione tua, quoniam donum Dei extimasti pecuniam possidere; a quo postea ementes spiritualia dicti sunt simoniaci. Ille

(2) 116, semper.

(3) 116 e S. quia ideo emebat. — E. quia ideo emere volebat ut posset.

(4) S., 116 e E. conferri. (5) E. sponsam intemeratam.

(6) 116, avare rapientes. (7) E. adulteriis. (8) 116, et quod est.

met et præconizet vestra vitia et supplitia; et certe nulla est tuba viventis quæ ita fecisset nota mala istorum, et ecce ordinem: *però che nella terza bolgia state.* — *Già eravam.* Hic autor facta exclamatione condigna, describit locum ad quem devenerunt, ut sic intret materiam, dicens: *Già eravam montati de lo scoglio a la seguente tomba,* idest ad tertiam bulgiam, quam autor bene vocat tumbam, idest sepulturam, quia in ea sunt sepulti simoniaci, ut statim patebit. Veniebant enim per pontem tertiæ bulgiæ, et jam (1) pervenerant ad culmen medium (2) ipsius, ideo dicit: *in quella parte ch' a punto,* idest perpendiculariter et directe, *piomba,* idest trahit ad plombinum (3), *sopra il mezzo fosso,* quia media pars pontis respondet (4) punctaliter supra medium vallis. Et descripturus autor pœnam peregrinam istorum, incipit a quadam exclamatione admirativa, et dirigens sermonem ad Deum, qui tam juste punit, dicit: *O somma sapienzia,* scilicet divina, *quanta èe l' arte,* quasi dicat valde mirabilis, *che mostri in cielo,* quia das diversos gradus gloriæ in cœlo angelis et beatis, *in terra e nel mal mondo,* idest in inferno tam viventium, quam mortuorum (5), ut patet, quia omnibus dat (6) pœnas meritas secundum exigentiam peccatorum, *e quanto giusto,* idest et quantum justitiæ, *tua vertù comparte!* idest proportionabiliter distribuit dando unicuique justissime quod convenit et meretur. — *Io vidi.* Hic autor describit ipsam (7) pœnam. Ad cuius intelligentiam est breviter notandum (8), quod pœna istorum est talis, scilicet, quod stant inclusi et sepulti recti in foraminibus terræ cum capitibus deorsum et pedibus sursum, quorum plantæ pedum aduruntur (9) con-

(1) S. ita.
(2) S. medium pontis, ideo.
(3) S. plombum.
(4) E. respondit punctualiter.
(5) E. morientium.
(6) S. das.
(7) 116, describit istam.
(8) S. sciendum.
(9) 116, comburuntur.

tinua flamma; unde vigente (1) calore furioso (2) exagitant crura et pedes, qui stant extra terram: et hoc (3) est justissima pœna eorum; quoniam isti, qui deberent contemplari cœlestia et meditari divina, servantes legem Christi cuius profitentur se vicarios et imitatores, omnia mundana et vana calcantes (4) contrarium faciunt, solis terrenis miserabiliter immersi. Ideo bene finguntur plantati intra terram, quia habent cor ad sola terrena et pedes contra cœlum; quasi dicant: in totum sperno cœlestia, et terrena colo tota mente; ita quod fodiunt terram et quærunt aurum, argentum (5) in ea, nec curant thesaurizare sibi in cœlo: pedes ardentes sunt affectiones eorum, quæ continuo moventur ardore insatiabili ad concupiscentias suas. Nec dicas, sicut aliqui dicunt, quod isti ardent sub terra in fornace ignis ardentis, quia isti non pascuntur hic igne, imo sugunt succum terræ et bibunt aurum de minera (6), idest venis et visceribus terræ, sicut bibit Marcus Crassus mortuus. Nunc ad literam: dicit autor: *Io vidi la pietra livida piena di fori,* idest foraminibus, *tutti d' un largo,* idest quæ omnia foramina erant eiusdem latitudinis; erant enim capacia unius hominis tantum (7), *e ciascuno era tondo,* idest singula erant in forma circulari, *per le coste,* scilicet illius aggeris sive ripæ, *e per lo fondo,* idest per planitiem illius tertiæ vallis. — *Non mi parean.* Hic autor explicat (8) formam istorum foraminum per unam comparationem. Ad cuius declarationem debes scire quod Florentiæ in ecclesia patronali Johannis Baptistæ circa fontem baptismalem sunt aliqui puteoli marmorei rotundi in circuitu capaces unius hominis tantum, in quibus solent

(1) S. e E. urgente.
(2) S. e E. furiose.
(3) 116 e E. hæc est.
(4) S. ita calcantes.
(5) S. e E. argentum et gemmas in ea.
(6) E. minerva.
(7) 116, tantum tamen; *e ciascuno.*
(8) S. exemplificat.

stare sacerdotes cum cruribus ad baptizandum pueros, ut possint liberius et habilius exercere officium suum tempore pressuræ, quando (1) oportet simul et semel plures baptizari, quoniam tota Florentia tam populosa non habet nisi unum Baptismum (2) tantum, sicut (3) Bononia etc. Nunc ad literam dicit autor: illa foramina, *non mi parean men ampli nè magiori,* quasi dicat (4): in totum similia, *che quei che son nel mio bel san Giovanni,* quia, ut dicunt florentini, istud fuit templum Martis; unde non videtur habere formam ecclesiæ christianæ, quia est rotundum, angulatum, habens octo facies angulares; nescio tamen si verum sit, quia simile templum est in civitate Parmæ in Lumbardia; et dicit: *fatti per loco de' battezzatori,* idest sacerdotum baptizantium ibi. Et autor incidenter commemorat unum casum satis peregrinum, qui emerserat (5) pauco tempore ante in dicto loco. Qui casus fuit talis: cum in ecclesia prædicta circa Baptismum colluderent quidam pueri, ut est de more, unus eorum furiosior aliis intravit unum istorum foraminum, et ita et taliter implicavit et involvit membra sua, quod nulla arte, nullo ingenio poterat inde retrahi (6). Clamantibus ergo pueris, qui illum juvare non poterant, factus est in parva hora magnus concursus populi; et breviter nullo sciente aut potente succurrere puero periclitanti, supervenit Dantes, qui tunc erat de Prioribus regentibus. Qui subito viso puero, clamare cœpit: Ah quid facitis, gens ignara! portetur una securis; et continuo portata securi, Dantes manibus propriis percussit lapidem, qui de marmore erat, et faciliter fregit: ex quo puer quasi reviviscens a mortuis liber eva-

(1) E. quando scilicet oportet. (2) E. Baptisterium sicut.
(3) 116, sicut et Bononia etiam.
(4) 116, dicat: imo æque ampla et æque magna, quasi dicat: in totum.
(5) E. emerserat antea in dicto. (6) 116, extrahi.

sit. Ad literam ergo, dicit autor: *l' un di quelli,* scilicet foraminum, *rupp' io per un che v' annegava dentro,* sicut patet ex dictis. Et addit autor: *e questo fia sugel,* idest signale et indicium, *ch' ogni uomo sganni,* idest quod certioret omnes sine aliqua deceptione, quod iste lapis fractus fuit a me bono animo et honesta de causa, scilicet pro liberatione pueri; quod pro tanto dicit ne videretur violasse rem sacram et sic commisisse crimen sacrilegii. Et hic nota quod comparatio est propria ratione loci et locati: ratione loci, quia in ista ecclesia baptismali sunt foramina marmorea similia (1) illis quæ erant in petra dura livida perforata: ratione locati, quia sicut in dictis foraminibus stant sacerdotes ministrantes sacra, ita in istis stant sacerdotes, qui ministrantes sacra vendiderunt ea. Comparatio est diversa, quia illi stabant cum pedibus in foraminibus, isti vero cum capitibus. — *Fuor de la bocca.* Hic autor describit modum plantationis istorum sacerdotum, dicens: *li piedi, e de le gambe infino al grosso,* idest pars crurium usque ad pulpam, *soperchiava,* idest superstabat, *fuor de la bocca a ciascuno,* idest extra orificium illius foraminis supra terram, *e l' altro,* idest totum residuum, *stava dentro,* scilicet absconditum intra foveam, *e le piante intrambe erano accese a tutti,* idest omnibus simoniacis ita plantatis, *perchè le giunte,* idest juncturæ, *guicciavan sì forte,* idest ita exagitabantur, *che avrian spezzate ritorte,* idest torques sive vincos tortos, quibus ligantur currus lignorum, *e strambe,* quæ sunt quædam cordæ factæ ex vincis (2) et tricatæ, ex quibus ligantur ballæ curaminis in Barbaria. Ducebant enim simoniaci ita crura propter ardorem flammarum, sicut violenti supra ducebant brachia contra flammas ardentes. Et explicat cursum illarum flammarum per unam

---

(1) E. simillima. (2) S. juncis.

comparationem satis manifestam, dicens: *il fiammeggiar,* idest ventilatio flammæ accensæ, *era lì tal dai calcagni a le punte,* idest erat ita in discursu superficiali solum per plantam pedis, *qual,* supple *'l fiameggiar de le cose unte, suol moversi pur per la buccia strema,* idest per pellem exteriorem, cuius ratio est naturalis, quia ignis sequitur nutrimentum suum quo magis conservetur (1); et sic vide comparationem propriam ad propositum, quia sicut flamma discurrit velociter (2) per superficiem rei unctæ, * ita nunc flamma discurrebat per superficiem plantæ unctæ * (3) istorum divitum pinguium sacerdotum.

Chi èe colui, Maestro. Ista est secunda pars in qua autor introducit unum summum pontificem, qui fuit summe infamatus isto vitio simoniæ. Ideo bene fingit se videre unum, qui fortius cæteris exagitabat crura et pedes, et petit a Virgilio quis sit (4), dicens: *diss' io,* scilicet Virgilio, *o Maestro, chi èe colui che se cruccia,* idest irascitur, *guicciando più che gli altri soi consorti,* idest quam alii prælati plantati et puniti ibi secum: potest etiam forte intelligi de consortibus (5) suæ stirpis, quia (6) cum multi fuerint prælati simoniaci de Ursinis, iste tamen fuit major, imo fuit quasi primus papa qui esset publice infamatus de simonia. Iste enim erat papa Nicolaus de Ursinis, de quo infra plene dicetur; et tangit (7) causam illius magnæ agitationis, dicens: *e cui fiamma più roggia succia,* idest et quem flamma magis rubea (8) quam ardentior adurit et cruciat. Et subdit responsionem Virgilii ad se qui offert se portaturum ipsum inferius ad illum spiritum ad inquirendum de eius substantia et qualitate; unde dicit: *et elli a me,* scilicet Virgilius respondit: *tu saprai da lui*

(1) 116, conservatur. (2) E. velociter super faciem rei.
(3) Quanto è compreso fra i due asterischi manca nel nostro testo; è stato supplito dagli altri Codici.
(4) S. sit ille, dicens. (5) S. consortio.
(6) E. quia multi fuerunt prælati. (7) 116, tetigit. (8) E. rubra.

di se, scilicet quis est, *e de suoi torti,* idest de suis peccatis, *se tu vuoi ch' io ti porti là giù,* scilicet ex isto ponte alto ad illam vallem bassam, *per quella ripa che più giace,* idest per quam est melior via, quia scilicet costa non est ita repens vel rigida. Et autor committit [1] se voluntati Virgilii, dicens: *et io,* supple dixi: *tanto m' èe bello,* idest tantum videtur mihi pulcrum et bonum, *quanto a te piace;* et ecce quare, quia, *tu sie Signor,* ideo debes præcipere, non petere si volo, *e sai ch' io non mi parto dal tuo voler,* quia voluntas mea dependet ex tua, imo, quod plus est, *e sai quel che si tace,* idest nosti etiam intentionem meam me tacente. Et sic vide quod Virgilius [2] non respondet sibi, iste est talis; sed offert portare ipsum ad fundum vallis, quia isti simoniaci stant inclusi et absconditi sub terra, ita quod autor non poterat videre illos de ponte, sicut viderat alios de superioribus bulgiis, nec poterat loqui illi [3], nec loquentem audire; ideo si volebat de eo scire, oportebat necessario quod Virgilius portaret eum prope illum, quia ipse cum corpore non poterat ire per ripam arduam. Et describit modum suæ transportationis, dicens: *alor venimo su l' argine quarto,* scilicet ad finem pontis bulgiæ tertiæ in quo erant, qui terminatur [4] ad aggerem quartum, et descenderunt per ripam interiorem inferius. Unde dicit: *volgemmo e discendemmo a mano stanca,* idest ad sinistram, *là giù nel fondo foracchiato et arto,* idest pleno foraminibus arctis, ut jam dictum est. Et subdit autor quod Virgilius nunquam posuit eum ad terram donec pervenerunt ad illum. Unde dicit: *Lo bon Maestro non mi dipose ancor de la sua anca,* idest de suo humero in

---

(1) E. convertit.

(2) 116, E. e S. Virgilius est ratio Dantis; et hic nota quod autor hic facit necessario istam fictionem, scilicet quod Virgilius non respondet.

(3) E. illis.

(4) S. e E. terminantur.

quo portabat me, *sin me giunse al rotto,* idest ad illud foramen cavatum, *di quel che si pingea con la cianca,* idest illius papæ Nicolæ ([1]), qui ita agitabat crura percutiens illa invicem. Unde vide quod simoniaci plangunt cum cruribus, ubi adulatores in bulgia præcedenti plorabant ([2]) cum manibus percutientes sibi palmas; unde magnitudo doloris in istis non deprehenditur nisi ex agitatione pedum. — *O qual.* Hic autor ostendit quomodo allocutus fuerit istum spiritum, et adverte quale exordium facit, quia nolebat ([3]) captare benivolentiam istius sacerdotis simoniaci; unde dicit: *Io cominciai,* supple dicere, *o qual chi sie,* idest: o quicumque sis, *che tieni il di su di sotto,* idest qui ordine perverso tenes caput partem nobiliorem et superiorem in limo terræ, et pedes partem viliorem inferiorem sursum contra cœlum; quasi dicat, qui non petis nisi terram ([4]), et calcitras contra cœlum, quod numquam videbis, *anima trista, come pal commessa,* scilicet plantata et fixa ad modum pali fortiter, ita quod non potes inde divelli, sed semper stabis ibi, donec veniet palus novus, qui detrudet ([5]) te decessum ([6]), *fa' motto se tu puoi.* Hoc pro tanto dicit quia non videbatur bene verisimile, quod ille posset bene loqui, qui habebat os repletum terra, ideo autor stabat multum attentus. — *Io stava.* Hic autor specificat suam magnam attentionem per unam comparationem mirabilem. Ad cuius declarationem debes considerare casum, qui aliquando contingit in mundo, scilicet, quod unus pessimus sicarius damnatus per justitiam temporalem ad plantationem corporis, postquam est positus in fossa cum capite deorsum revocat confessorem suum ut confiteatur sibi aliquid peccatum, et dicat sibi aliquid de novo. Tunc

---

([1]) E. e 116, Nicolai.
([2]) E. plangebant.
([3]) E. volebat.
([4]) E. terrena.
([5]) E. qui demittet te deorsum, *fa' motto.*
([6]) 116 e S. deorsum.

confessor necessario inclinat aurem suam ad terram et attente auscultat illum; ita a simili stabat autor hic inclinatus expectans attente responsionem illius plantati. Dicit ergo: *Io stava,* scilicet cum aure juxta os foraminis, *come 'l frate,* idest aliquis religiosus sacerdos, sicut quidam frater minor vel prædicator, *che confessa il perfido assassino,* idest perdentem fidem qui prodit alium pro pecunia [1] vel simili modo, *che richiama lui,* idest revocat illum confessorem, qui jam recedebat a fovea, et confortaverat ipsum usquequo fuerat positus cum capite deorsum; et ideo revocat eum ut dicat adhuc sibi aliquid enorme peccatum, cuius fuerat oblitus, *poi ch' èe fitto,* scilicet in foveam terræ; et ecce quare: *perchè la morte cessa,* idest quia parum tardatur interim illa mors acerba, quia lictor ibi paratus differt modicum jacere terram in foveam; vel dic: *perchè la morte,* idest mors animæ, *cessa,* quia scilicet aliquid [2] peccatum, quod solum erat sufficiens ad mortem animæ, revellatur [3] tamquam spina de corde eius; et ista est melior et verior expositio. — *Et ei gridò.* Hic autor ponit responsionem illius spiritus qui subalternaverat ipsum autorem, accipiens ipsum loco Bonifacii. Ad cuius peregrinæ fictionis intelligentiam est prævidendum, quod papa Nicolaus de Ursinis sciebat per quamdam prophetiam, quam viderat vivus, vel per relationem [4] alicuius dæmonis, quod papa Bonifacius debebat stare in papatu annis octo et mensibus novem; et quia Bonifacius erat primus simoniacus post eum, ideo bene autor subtiliter fingit, quod ille audiens autorem credidit ipsum esse [5] Bonifacium, quia ad illam bulgiam non erant soliti ire nisi solummodo simoniaci, et numquam post mortem eius venerat alius papa simoniacus; ideo expectabat eum, nec poterat ima-

---

(1) E. pecunia, vel occidit, vel alio simili modo. (2) E. aliquod.
(3) E. relevavit. (4) E. revelationem. (5) 116, esse papam Bonifatium.

ginari, quod iste requirens eum, esset alius nisi Bonifacius. Et tamen summe mirabatur de eius adventu intempestivo, quia expectabat eum post aliquot annos. Nunc ad literam, dicit autor: *Et ei,* scilicet papa Nicolaus, *gridò,* totus stupefactus, petens cum admiratione: *se' tu già costì ritto, Bonifacio?* quasi dicat: es tu (1) tam cito hic præsens? Et repetit bis, sicut faciunt admirantes. Et tangit causam justæ admirationis, dicens: *lo scritto,* idest scriptura prophetiæ, quam vidi, *mi mentì,* idest mentita fuit, et dixit mihi falsum, si verum est, quod tu sis Bonifacius, *di parecchi anni.* Et bene dicit, quia Bonifacius mortuus est in MCCCIII, et autor habuit hanc visionem in MCCC; ergo Bonifacius erat victurus adhuc duobus annis et mensibus novem. Ideo bene dicit, *di parecchi anni:* et sic nota, quod Bonifacius vivebat adhuc; et autor cognoscens ipsum simoniacum, vult ostendere illum iturum (2) ad infernum. Ideo bene fingit alium simoniacum damnatum, qui expectabat eum, prædicere sibi hoc. Imo autor, quando ista scripsit, viderat pravam vitam Bonifacii, et eius mortem rabidam, ideo bene judicabat eum damnatum. Sed videtur prophetare de eo, quia habet respectum ad tempus suæ visionis, non ad tempus facti. Nota etiam quod Bonifacius non fuit primus papa immediate post Nicolaum, sed fuit primus simoniacus. Nam duo fuerunt intermedii boni pontifices, scilicet papa Martinus de Turso bonæ conscientiæ, licet malæ gulæ; et Cœlestinus, vir sanctæ vitæ, de quo dictum est III capitulo huius Inferni et dicetur statim hic. — *Se' tu sì tosto.* Hic dictus Nicolaus improperat Bonifacio duo mala: primo quia sponsam Christi fraudulenter assumpsit de (3) manu Pastoris simplicis: secundo quia (4) eam more meretricio tractavit, simoniace

(1) E. tu jam tam cito.
(2) E. illum vivum ad.
(3) 116, de manibus.
(4) E. quia etiam eam.

vendendo eam, et tyrannice tractando. Ad evidentiam horum plenam est sciendum, quod anno Domini MCCXCIV cum cardinales essent in civitate Perusii multum arctati a perusinis, quia ecclesia fuerat sine pastore pluribus duobus annis, non valentes concordare in aliquo, qui esset de Collegio, finaliter elegerunt quemdam sanctum virum, qui vocatus est frater Petrus de Morono. Hic erat de Aprutio; qui agens pœnitentiam, ordinatis pluribus monasteriis sui ordinis, ivit ad montes Muronis, quæ montanea est supra Sulmonem. Iste vocatus papa Cœlestinus V creavit duodecim cardinales de mense septembris pro magna parte ultramontanos ad petitionem Caroli II; quo facto ivit cum curia Neapolim. Erat autem vir simplex, illiteratus, inhabilis officio; ideo quærebat viam posse renuntiare papatui. Inter cardinales erat quidam dominus Benedictus de Anania civitate de provincia Campaniæ, vir per oppositum astutissimus, literatus habilissimus ad quæcumque magna officia et imperia mundi; qui summe affectabat summam dignitatem. Iste sagaciter explorata voluntate Caroli et cardinalium, qui optabant omnes mutare pontificem, persuasit Cœlestino, ut faceret unam decretalem, quod quilibet papa posset renuntiare papatui, exemplo Clementis I. Quo facto, dictus Cœlestinus in festo beatæ Luciæ in præsentia cardinalium spoliavit se dignitate pontificali, et renuntiato papatui (1), redivit ad pœnitentiam cum magna alacritate, postquam sederat mensibus quinque diebus octo. Sed postea Bonifacius fecit ipsum (2) capi in monte sancti Angeli in Apulia in loco, ubi (3) reduxerat, et private posuit eum in arce Sulmonis in Campania, ne ille (4) vivens posset præjudicare suæ electioni. Nam multi christiani reputabant Cœlestinum verum et rectum

(1) S. e E. papatu. (2) 116, e E. eum.
(3) 116, ubi se reduxerat et privatim posuit se in arce. (4) S. illic.

papam, non obstante renuntiatione, dicentes, quod tali dignitati non poterat (1) renuntiari; et quod licet Clemens renuntiaverit, tamen fideles tenebant eum pro Patre, et postea oportuit, quod esset (2) papa post mortem Cleti (3). Cœlestinus ergo in dicto loco parum vixit; et die, qua mortuus est, fuit sepultus in una parva (4) ecclesia in Sulmone, quæ erat de ordine suo, et paupercule fuit positus sub terra (5) ultra decem brachia, ne eius corpus inveniretur. Igitur eodem anno Bonifacius tantum operatus est cum cardinalibus et Carolo II, qui habebat pro se duodecim cardinales factos per Cœlestinum, quod creatus est (6) in papam. Nam vadens ad Carolum, dixit: Bone Rex: Tuus papa Cœlestinus voluit servire tibi in bello Siciliæ, sed nescivit; sed si tu das operam, quod tui amici cardinales eligant me (7) papam, ego sciam et volam servire tibi, promittens sacramento apponere (8) totum posse ecclesiæ. Tunc rex promisit et ordinavit, quod duodecim cardinales amici sui darent (9) sibi voces; et continuo dominus Matthæus de Ursinis et dominus Jacobus de Columna principes sectarum dederunt sibi voces. Et isto modo Benedictus fuit electus papa in civitate Neapoli et vocatus Bonifacius VIII in vigilia nativitatis Christi. Qui statim electione facta, recessit cum cardinalibus de Neapoli et venit Romam, et multum laboravit pro Carolo pro acquirenda Sicilia. Hic Bonifacius fuit nobilis genere, magnus animo, plusquam deceat sacerdotem, dominativus, amator honoris et status ecclesiæ; et sua prudentia et potentia multum fuit formidatus, fuit pecuniosus valde, amplectens lucra sine conscientia,

(1) E. potuerat renuntiare.
(2) 116, esset ipse post mortem electi.
(3) E. electi.
(4) 116, parvula. — E. parvula ecclesia Sulmonæ.
(5) 116, sub terram.
(6) 116, est papa.
(7) E. me in papam ego volam.
(8) E. apposito.
(9) E. darent sibi voces, et isto modo.

allegans, quod licitum erat omnia facere pro exaltatione ecclesiæ; magnificavit et ditavit summe suos. Nunc ad literam descendendum est. Dicit ergo Nicolaus Bonifacio: *Se' tu sì tosto di quell' aver sazio,* idest de thesauro magno, *per lo qual,* idest pro quo ære acquirendo, *non temesti torre a 'nganno,* quia tot fraudibus usus fuit, ut audisti, ut eriperet ecclesiam de manibus Cœlestini, qui tamen deceptus fuit, quia decipi voluit; quia bene cognoscebat ambitionem Bonifacii, et cessit consilio eius, et hoc ipse quærebat et optabat. Et etiamsi numquam decepisset Cœlestinum, constat [1], quod ipse fraude, non recta via, pervenit ad optatum. Dicit ergo: *la bella donna,* scilicet ecclesiam, quæ est pulcra sponsa Christi, *poi di farne strazio,* scilicet inhoneste tractando eam, et prostituendo tamquam meretricem. Aliqui tamen dicunt quod potest intelligi de quodam comitissa Margarita, quam Bonifacius tradidit cuidam nepoti suo; sed sive hoc fecerit, sive non, autor non loquitur de alia domina quam de ecclesia [2] per quam acquisivit thesaurum magnum.— *Tal.* Hic autor tangit confusionem, quam incurrit ex responsione illius spiritus impertinente sibi, et hoc per comparationem de se manifestam; unde dicit: *io me feci tal,* idest ita confusus, *quai son color che stanno quasi scornati,* velut si loquens ludificaretur eos, *per non intender ciò ch' èe lor risposto,* quia scilicet responsio videtur omnino aliena ab interrogatione, et ideo: *risponder non sanno.* Et ponit subitum consilium Virgilii, dicens: *allor Virgilio,* videns me stare ita suspensum, tacitum et mutum, *disse: dille tosto,* ne perdas tempus, *non son colui, non son colui che credi,* quasi dicat: non sum Bonifacius, qui non est adhuc mortuus, sed sum unus vivus, non simoniacus; ideo non veni huc ad pœ-

(1) E. constabat. (2) S. ecclesia Dei.

nam, sicut omnes alii. Et vide quod Virgilius vult quod autor respondeat hic in ea forma qua ille spiritus interrogaverat (1), quia ille ex admiratione repetiverat bis idem dictum; et ita nunc autor similiter ex admiratione repetit idem dictum, quia nimis videbatur sibi mirabile, quod ille interrogatus quis esset a Dante, responderet: es tu jam hic, es tu jam hic, Bonifaci? Et ponit obedientiam suam, dicens: *et io risposi come a me fu imposto,* quia dixi quod non eram Bonifacius, et quod Bonifacius de rei veritate non erat adhuc satius æris (2), sed continuo plus et plus accumulabat. Et ultimo ponit effectum ostendens indignationem et responsionem illius, dicens: *perchè lo spirito torse tutti i piedi;* in signum iræ et doloris. Doluit enim quod iste non esset Bonifacius, quia in adventu eius erat cooperiendus ab eo, ut statim dicetur; ideo dicit: *poi mi disse sospirando con voce di pianto: Dunque che a me richiedi?* quasi dicat: quare petis ut loquar? quid ego habeo facere tecum, cum non habeam facere nisi cum simoniacis? venisti tu forte ad petendum primam vacantem? (3)

Se di saper. Ista est tertia pars generalis, in qua dictus spiritus describit se et alios simoniacos præcedentes et sequentes eum. Et primo continuans se ad præcedentia respondet ad id quod autor supra tacite petebat, quando dixit: *se puoi, fa' motto;* volebat enim audire et scire quis esset; et respondet, quod fuit papa, ita quod describit se a summa dignitate, dicens: *Sappi ch' io fui vestito del gran manto,* idest mantello (4) Petri, quo nullus est major sive imperialis sive regalis, inter christianos, *se te cal cotanto di saper ch' io sia,* idest, si tu habes tantam affectionem cognoscendi me, *che tu abbi però la ripa corsa,* idest, si ob hanc causam assumpsisti tibi tantum

(1) S. interrogabat. (2) 116,ære. (3) 116, vacationem?
(4) E. mantello beati Petri apostoli, quo manto nullus est.

laboris (1), quod veneris a medio pontis usque ad finem, et descendens per ripam usque ad fundum; quia, ut dictum est, autor stans in culmine pontis viderat istum, cui (2) ardentior flamma adurebat plantas, et qui (3) plorabat cum pedibus. Et describit se a genere, dicens, quod fuit de Ursinis; unde dicit: *e fui figliuol de l' orsa,* idest fui Ursinus, quia ursinus est parvus ursus filius ursæ; et dicit: *veramente,* quasi dicat: non solum nomine sed etiam facto; nam ursa est animal ferox et avidum, et dicitur ab urgendo (4), quod declarat describens se a vicio suo, et respondens ad (5) id de quo autor petiturus erat, scilicet, *di soi torti,* unde dicit: *cupido sì,* idest tam avarus (6), *per avanciar gli orsatti,* idest causa lucrandi Ursinos, et obligando (7) ipsos mihi, vel causa excendendi (8) Ursinos in divitiis et potentia, *che mi misi l' avere in bursa su,* scilicet in mundo, *e misi me qui,* quasi dicat: et damnavi me in isto loco; vel dicas (9), *qui,* idest et illos Ursinos. Et hic ad cognoscendum quis fuerit iste papa, de quo debuissem (10) dicere prius, quam de Bonifacio, quia præcessit eum, est sciendum, quod ipse (11) loquitur hic de exaltatione suorum, quod (12) anno Domini MCCLXXVI fuit factus papa Nicolaus III de Ursinis de Roma, qui vocabatur Johannes Guatanus. Hic dum fuit clericus et cardinalis fuit honestus homo et bonæ vitæ; sed factus papa, factus est magnanimus calore suorum consortum, et multa fecit ad magnificandam suam domum; nam fuit primus, in cuius curia palam committeretur simonia per suos attinentes. Quapropter multum ditavit eos pos-

---

(1) E. laborem.
(2) E. cuius.
(3) 116, quia.
(4) 116, uriendo.
(5) S. ad id quod autor.
(6) E. avidus.
(7) 116, ipsos obligandi mihi.
(8) E. extendendi.
(9) E. e S. dicas, *qui*, in istum locum posui mihi in bursa, vel dicas, *qui*, idest et illos Ursinos.
(10) 116, debuisset.
(11) E. iste.
(12) E. quæ fuit anno Domini 1286, quo fuit.

sessionibus, pecuniis et castellis, super omnes romanos. Et in parvo tempore, quo vixit, fecit septem cardinales romanos, ut plurimum suos attinentes: inter alios fecit dominum Jacobum de Columna consanguineum suum, ne Columnenses adhærerent Hannibalensibus inimicis (1) suis; et fuit reputata magna res, quia Columnenses fuerant privati omni beneficio ecclesiastico per Alexandrum III, quia faverant Federico I contra ecclesiam; nam Columnenses fuerant olim de Alemania. Fecit etiam fieri nobilia et magna palatia juxta sanctum Petrum; fecit sibi donari civitatem Bononiæ et comitatum Romandiolæ a Rodulpho rege romanorum, quia non fecerat transitum in Italiam, sicut promiserat: quæ donatio non fuit reputata justa, quia Rodulphus impeditus aliis suis bellis et brigis (2), non potuerat pervenire ad benedictionem imperialem. Sed quod clerici capiunt, raro dimittunt; et fecit dominum Bertoldum nepotem suum comitem Romandiolæ; et cardinalem Latinum, filium sororis suæ natum ex Brancaleonibus romanis, fecit legatum. Ex dictis ergo patet, si (3) papa Nicolaus de Ursinis fuit cupidus pro exaltatione suorum! — *Di sotto.* Hic prædictus Nicolaus ostendit, quod alii simoniaci præcesserunt eum, et alii sequentur, et quod in adventu Bonifacii ipse non amplius apparabat (4) extra cum cruribus. Unde dicit: *gli altri,* scilicet pontifices, et neminem nominat, quia nullus fuerat ante eum ita publice infamatus de simonia, *che precedetter me simonizzando*, idest venaliter dando sacra, *son tratti di sotto al mio capo,* quia amplius (5) non est quasi infamia de eis postquam ego superveni; ideo dicit: *piatti per la fessura de la pietra,* idest absconditi infra terram plus quam fuerit absconditus Cœlesti-

(1) 116, vicinis suis.
(2) E. brighis.
(3) E. quod papa.
(4) E., S. e 116, apparebit.
(5) 116, amplius quasi non est plus infamia.

nus per Bonifacium, et peius, quia corpus Cœlestini fuit sepultum infra terram anima volante ad cœlum; sed e contra animæ istorum simoniacorum sunt plantatæ in terra in modum palorum, et eorum corpora sunt elevata in altum in magnificis sepulturis. Idem accidit isti; unde dicit: *io altresì cascherò là giù,* scilicet sub terram supra (1) alios, *quando verrà colui,* scilicet Bonifacius, *cui io credea che fossi allor ch' io feci il subito dimando,* idest tunc quando attonitus novitate rei, subito petivi: es tu jam hic, Bonifaci! es tu jam hic, Bonifaci! Et hic nota quod ista (2) fictione autor vult dicere, quod invalescente (3) avaritia hominum continuo in dies magis et magis crescit. Simonia etiam procedit ab avaritia, ita quod post unum simoniacum sæpe venit alius, licet non immediate, qui tollit (4) infamiam alterius. Ideo bene fingit quod papa Nicolaus de Ursinis tegit (5) omnes prædecessores suos, quia quasi non erat infamia de omnibus præcedentibus simoniacis, quando iste cœpit (6) simonizare; et ita infamia Nicolai (7) cessabit adveniente Bonifacio, quia superabit (8) ipsum et omnes alios antiquos: et ita post Bonifacium italicum veniet (9) unus gallicus, qui vincet omnes in simonia, quia simoniace emet sibi papatum, paciscendo de eo sicut statim dicetur. Nota etiam quod sicut supra in tractatu hæreticorum autor noster artificiose finxit (10), quod omnis hæresiarca habet suam archam magnam, in qua sunt sepulti simul secum omnes sui sequaces; ita nunc a simili in isto tractatu simoniacorum, qui habent magnam convenientiam cum hæreticis, fingit quod summus pontifex habet hic suum foramen,

(1) S. sub alios.
(2) E. in ista.
(3) E. invalescente avaritia, continuo magis et magis crescit simonia, quæ procedit ab avaritia.
(4) E. tulit.
(5) S. tetigit.
(6) E. incœpit.
(7) E. huius Nicolai.
(8) 116, superabat.
(9) 116, venit.
(10) S. e 116, ostendit.

in quo habet suam sepulturam, et alio superveniente, ille subintrat; et ita cardinalis habet suum, archiepiscopus suum, patriarcha suum, et ita episcopus, abbas, præpositus, et ita de cæteris usque ad simplicem sacerdotem, quia hic est de omni genere sacerdotum; et sicut inter prælatos hæreticos non fecit mentionem nisi de magno sacerdote Anastasio, ita nunc inter sacerdotes simoniacos non nominat nisi aliquos summos pontifices, ut ostendat quantum avaritia potest in alios quando facit caput ita delirare, et cum caput dolet cætera membra (1) dolent vel languent; facit etiam quod unus magnus simoniacus nominat alios, quia meretrix cognoscit meretricem, et illam manifestat. — *Ma più.* Nunc Nicolaus prædicit alium pontificem simoniacum sequuturum post Bonifacium. Et ad cognitionem istius oportet præscire longam historiam, quam non possum magna brevitate perstringere, ne dicam cum Horatio: *Cum brevis esse laboro obscurus fio.* Res ergo sic se habet: post mortem Bonifacii electus fuit papa Benedictus XI de Tervisio, qui fuerat frater prædicator, quem Bonifacius fecerat cardinalem propter virtutem et scientiam suam; qui vixit in papatu solum octo mensibus cum dimidio, quia (2) bonus erat, nam extinctus est veneno, ut quidam dixerunt. Mortuo Benedicto et sepulto Perusii, magna discordia fuit inter maledictos cardinales. Erant enim divisi in duas sectas quasi æquales; et unius erat caput dominus Matthæus Rubens de Ursinis cum domino Francisco Gatano (3) nepote Bonifacii; et alterius erat princeps dominus Neapoleo de Ursinis de Monte, et cardinalis Nicolaus de Prato, qui fuerat frater prædicator, vir magnæ scientiæ et singularis prudentiæ, qui volebat ponere (4) Columnenses in

(1) S., E. e 116, membra languent.
(2) E. qui bonus erat, et extinctus.
(3) E. Guaitano.
(4) S., E. e 116, reponere.

statum. Cum ergo cardinales stetissent octo (1) mensibus inclusi a Perusinis in conclavi, et (2) non possent convenire, cardinalis pratensis sagacissimus persuasit in secreto domino Francisco Gatano (3), quod eligerent in papam dominum Raymundum de Grotto, archiepiscopum burdegalensem, inimicum regis Franciæ, propter offensam factam illis de domo sua per Carolum de Valois, fratrem ipsius regis in bello Vasconiæ; ut sic cardinalis Matthæus de Ursinis consentiret cum parte sua, quia rex Franciæ Philippus pulcer erat amicus Columnensium, cum quibus destruxerat Bonifacium. Quo facto, cardinalis de Prato cum parte sua, ignorante parte (4) Ursinorum, misit secretissime et festinantissime cursorem a Perusio Parisius cum literis ad regem Philippum rogantibus, quod si volebat recuperare suum statum cum (5) ecclesia, et relevare Columnenses amicos suos, faceret sibi de inimico amicum Raymundum archiepiscopum burdegalensem, qui erat electus tamquam inimicus regis per aliam partem. Philippus solicitus statim misit literas (6) amicabiles in Vasconiam ad dictum archiepiscopum, quod veniret sibi obviam, quia ibat ad eum locuturus sibi pro suo magno commodo et honore. Et breviter rex infra sex dies fuit personaliter cum archiepiscopo secrete cum paucis in una abbatia forinseca. Ibi (7) audita missa juraverunt credentiam sibi invicem super altari. Et rex Philippus, præmissis aliquibus verbis placidis ad reconciliandum archiepiscopum (8) cum domino Carolo de Valois fratre regis, qui vocatus est Carolus sine Terra, de quo alibi dictum est, et dicetur, dixit: Vide, archiepiscope: in manu mea est facere te papam,

(1) 116, novem.
(2) E. ut non possent.
(3) E. Guatano quod eligeret.
(4) 116, alia parte Ursinorum.
(5) 116, in ecclesia.
(6) E. literam in Vasconiam.
(7) E. ubi.
(8) E. ipsum archiepiscopum.

si volo; ideo veni ad te, et si promittis (1) mihi facere gratias, quas petam, faciam tibi istum honorem; et ad robur dicti sui continuo ostendit sibi literas. Tunc Vasco cupidus summæ dignitatis, quasi stupefactus gaudio, dejecit se ad pedes regis, et dixit: Domine mi, nunc cognosco, quod diligis me plusquam hominem mundi, et vis reddere mihi bonum pro malo; tuum ergo est præcipere, meum autem parere. Rex erexit eum, et osculato ipso per os, dixit: Hæ sunt gratiæ, quas volo: Primo, quod recommunices me perfecte (2) ecclesiæ, et remittas facinus perpetratum in Bonifacium, et recommunices me et meos sequaces. Secundo, quod concedas mihi, et dones decimas regni per quinquennium in subsidium expensarum, quas feci in bello Flandriæ. Tertio, quod debeas destruere et annullare memoriam Bonifacii. Quarto, quod reddas cardinalatum (3) Jacobo et Petro de Columna. Quinto, quod destruas ordinem Templariorum. Sextam gratiam servo (4) mihi ad tempus. Archiepiscopus (5) juravit super corpus Christi omnia (6) facere; et ultra hoc dedit sibi in obsides unum fratrem suum, et duos nepotes; et rex juravit eum facere papam. Hoc facto recesserunt, et rex duxit secum dictos obsides sub colore amoris, ut reconciliaret eos Carolo fratri suo. Et reversus Parisius, statim rescripsit cardinali de Prato et amicis de parte sua, quod secure eligerent dominum Raymundum in papam tamquam perfectum amicum. Et sic trigesima (7) quinta die responsione facta, cardinalis de Prato cum consensu omnium elegit prædictum papam: et utraque pars cum magno gaudio cantavit: *Te Deum laudamus,* ignorante parte Bonifacii

(1) 116, promittas.
(2) 116, pro fratre ecclesiæ.
(3) E. cardinalatum dominis Jacobo.
(4) 116, reservo mihi.
(5) E. Tunc archiepiscopus.
(6) E. omnia hæc sibi facere.
(7) S. xxv die.

fraudem commissam. Hæc electio facta est in MCCCV, die quinta junii, et vacaverat sedes mensibus decem, diebus viginti octo. Nunc ergo considera, lector, si iste papa fuit (1) creatus cum maiori fraude, quam Bonifacius. Sed cardinales italici suis discordiis et culpis bene fuerunt castigati a vasconibus; quia curia translata fuit ultra montes. Nam archiepiscopus præsentata sibi electione apud Burdegalam, statim acceptavit libenter, et continuo citavit cardinales, quod deberent ire Lugdunum ad eius coronationem supra Rhodanum, et fecit se vocari Clementem V; et requisivit regem Franciæ et Aragoniæ et omnes barones gallicos, ut adessent. Cardinales italici fuerunt ex hoc multum confusi, et gravati. Et dominus Matthæus Rubeus, vir antiquissimus, prior cardinalium, detecta fraude, dixit cardinali pratensi: Venisti ad optatum; sed tarde revertetur ecclesia in Italiam. Et cardinali Neapolioni dixit: Heu miser, infelix! hodie fecisti caput mundi de gente sine capite. Congregatis igitur cardinalibus apud Lugdunum, papa fuit coronatus die (2) undecima novembris, in præsentia regis Franciæ. Quem (3) juxta promissum papa recommunicavit (4) et restituit ad omnes honores et dignitates, quibus Bonifacius privaverat eum; et donavit sibi decimas totius regni per quinquennium. Et ad petitionem dicti regis fecit duodecim cardinales vascones et francos, omnes amicos et officiales dicti regis. Restituit etiam duos cardinales de Columna ad omnes honores et dignitates, quibus fuerant privati a Bonifacio. His gestis recessit cum cardinalibus et tota curia ad suam civitatem Burdegalam, ubi omnes tam cardinales quam alii italici (5) fuerunt male tractati;

(1) 116, erat creatus cum magna. (2) S. die decima.
(3) E. Quem regem juxta.
(4) S. communicavit et restituit. — 116, reconciliavit et restituit.
(5) S. itali.

quia cardinales gallici et vascones regebant totum; et dignum et justum fuit, et certe hodie esset dignissimum et sanctissimum cum quidam faveant antipapæ Gebennensi viro omnium vitiosissimo. Non ergo mireris, si autor noster fecit artificiosam descriptionem de homine isto, tam rapaci simoniaco: et vide, si autor habuit materiam faciendi mentionem et memoriam de papis, cum tres tales viderit diebus suis simoniacos, scilicet Nicolaum, Bonifacium, et dictum (1) Clementem. Nunc hora est redeundi ad literam; dicit Nicolaus de Ursinis, quod Bonifacius stabit modicum plantatus respectu sui; unde dicit: *ma più è 'l tempo che i piè mi cossi,* quia flamma continuo adurebat pedes eius, *e ch' io son stato così sotto sopra,* scilicet plantatus cum capite deorsum, *èe già più,* et bene dicit, quia steterat jam circa decem annos isto modo, *ch' el,* scilicet Bonifacius, *non starà piantato co' piè rossi,* et bene dicit, quia Bonifacius stabit forte duobus annis; et ecce quare Bonifacius non stabit multum sic: *chè un Pastor,* scilicet Clemens prædictus, *di più laida opra,* idest turpiorum operum, et peiorum quam Bonifacius, *senza legge,* quia totus dissolutus fuit; et omnes sui cardinales intenderunt ad accumulandum (2). Et dicit: *verrà dopo lui,* scilicet post Bonifacium, *di vêr ponente,* idest de Gallia, quæ est in occidente; et dicit: *tal che conven che ricopra me e lui,* quia scilicet infamia eius extinguet infamiam Bonifacii et mei. — *Nuovo.* Hic Nicolaus describit fraudem istius pastoris venturi per simile, tangens implicite conventionem quam habuit Clemens cum Philippo. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod sicut scribitur secundo libro Machabæorum capitulo decimo, mortuo Seleuco rege Syriæ, qui Hyerosolimam tenebat occupatam, cum successisset in regno Antiochus

---

(1) E. prædictum. (2) S. e E. ad cumulandum.

qui appellabatur nobilis, quidam Jason frater Oniæ summi sacerdotis et viri optimi, cupiens ambitiose summum sacerdotium, accessit ad regem Antiochum, et promisit dare sibi maximas quantitates pecuniarum, si concederet sibi principatum. Quo obtento, cœpit reducere suos ad morem (1) gentilium, omnia enormia faciens; nam sub arce templi ausus est ordinare gymnasium, idest locum ludorum, et optimos juvenum ponere in lupanari. Ex quo propter nefarium et inauditum scelus Jasonis, sacerdotes, spreto templo et neglectis sacrificiis, cœperunt dare se palestræ et ludis, et per omnia cupiebant esse similes eis, quos hostes et occisores habuerant (2); Jason tamen post triennium privatus sacerdotio expulsus est de regno, qui fratrem (3) proprium captivaverat. Nunc ad literam dicit: *Nicola,* ille pastor venturus de versus ponentem, *serà nuovo Jason,* idest alter et similis illi, *di cui si legge nei Machabei,* libro secundo, *e chi regge Francia,* scilicet Philippus rex, *fia molle a lui,* idest erit (4) favorabilis et placabilis, *così come suo re,* scilicet Antiochus, *fu molle a quel,* scilicet Jasoni; et sic vide quod hic est alius Jason (5) græcus, de quo dictum est in capitulo præcedenti. Et hic nota quantum comparatio prædicta servit præsenti proposito: nam sicut Jason obtinuit summum pontificatum simoniace a rege Antiocho qui opprimebat terram sanctam tirannice; ita iste Clemens obtinuit summum pontificatum simoniace a rege Franciæ Philippo, qui tirannice et impie conculcabat ecclesiam sanctam, occiso Bonifacio. Sic ergo est comparatio propria de rege ad regem, de sacerdote ad sacerdotem, et sicut Jason facinorosus fecit de templo postribulum, ita quod sacerdotes corrupti dederunt se ludis et rebus

(1) 116, mores nobilium.
(2) S. habuerunt.
(3) S. fratrem suum.
(4) E. erit ei favorabilis, così.
(5) E. e 116, Jason, quam ille Jason græcus.

vanis, ita Clemens burdegalensis fecit de ecclesia Dei postribulum, et sacerdotes sequentes eius exemplum facti sunt lascivi, dissoluti, et dederunt se (1) lucris illicitis et rebus inhonestis, ita quod omnes baractabant, sicut scribit Ricobaldus ferrariensis in chronica sua. De isto Clemente et suis vasconibus dicetur adhuc Paradisi capitulo XXVII. Sed quid dixisset Dantes si vidisset alium Clementem VI, qui fuit multo corruptior et carnalior quam prædictus, qui totum thesaurum magnum ecclesiæ effudit in subsidium Johannis regis Franciæ contra regem Angliæ; sed tamen et pecunia et victoria transivit ad anglicos ipso rege debellato in campo et capto.

Io non so. Ista est quarta pars generalis in qua autor noster increpat prædictum papam Nicolaum qui fecerat tam longam mentionem de simoniis (2) suis et aliorum, et alios simoniacos, similiter exprobrans eis improbam avaritiam; et primo se excusat si malefacit (3), dicens: *Io non so s' io mi fui qui troppo folle,* idest temerarius. Hoc pro tanto dicit, quia non videtur honestum arguere prælatum publice, tum quia poeta est, et quia veritas stimulat eum, non parcit illis, unde dicit: *ch' io pur risposi lui a questo metro:* idest versui: *deh or mi di',* loquitur deprecative, quasi dicat: rogo te, dic mihi; immo loquitur irrisive, indignative, et vult dicere quod male sequuntur (4) exemplum Christi, qui (5) primus fundator ecclesiæ, quando constituit Petrum primum pontificem principem apostolorum, nihil petiit ab eo nisi quod sequeretur eum. Unde dicit: *quanto tesoro volle nostro Signore,* scilicet Christus, *da santo Petro,* primo papa, *in pria ch' ei ponesse le chiave in sua balìa.* De istis clavibus dicetur plene Purgatorii capitulo IX: et continuo autor

(1) E. se ludis illicitis, et lucris et rebus inhonestis.
(2) 116, simoniacis suis.
(3) 116 e E. malefecit.
(4) E. sequitur.
(5) S. qui fuit primus.

respondet sibi dicens: *certo non chiese se non viemme retro,* idest, sequere vestigia mea, doctrinam, paupertatem, humilitatem, veritatem; certe si petivisset aliud, non habuisset quid daret: unde cum sanavit ægrotum, dixit: aurum et argentum non est mihi; quod mihi est, accipe. Et subdit, quod sicut male imitantur vestigia Christi, ita male imitantur vestigia apostolorum, quia forte aliquis istorum diceret: non omnis prælatus potest esse Christus aut sequi vestigia eius. Ideo dicit autor, quod homines fuerunt qui secuti sunt eum, scilicet apostoli, * unde dicit: *nè Pier,* primus papa, *nè gli altri,* scilicet apostoli * [1], *tolsero a Mattia,* scilicet apostolo, *oro o argento, quando fu sortito,* idest per sortem electus, *al loco che perdè l' anima ria,* scilicet Judas, cuius anima nulla fuit peior. Unde: bonum erat ei [2] si natus non fuisset homo ille. Clarum est quomodo Mathias fuit substitutus [3] in loco Judæ, ut habetur in actibus apostolorum. — *Però.* Hic autor specialiter vituperat Nicolaum de eo quod dixerat supra, scilicet quod accumulaverat pecuniam pro exaltatione Ursinorum, commemorans sibi unum singulare, quod fecit ad magnificandam suam domum. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod iste papa Nicolaus tentavit contrahere affinitatem cum Carolo I veteri, et voluit dare unam suam neptem uni nepoti eius. Cui Carolus respondit: licet habeat calceamenta rubea, non est eius sanguis dignus nostra affinitate. Ex quo Nicolaus indignatus palam privavit eum senatu urbis et vicariatu Tusciæ, quem habebat ab ecclesia vacante imperio; et clam [4] in omnibus erat sibi hostis infestus, unde consensit rebellioni Siciliæ pro qua recepit magnam quan-

---

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dai Codici Estense e 116.
(2) E. illi.
(3) E. sortitus in loco. — 116, substitutus in locum Judæ.
(4) E. clam omnibus.

titatem pecuniæ per manus domini Johannis de Procida, qui illam rebellionem sagacissime ordinavit, ut habebis plene capitulo VIII Paradisi. Nunc ad literam: dicit autor: *però ti sta,* scilicet in ista pœna æterna; *e guarda ben,* si potes, *la mal tolta moneta,* simoniace et illicite acquisitam; quia si Carolus non fuerat dignatus eum (1) affinitate sua, non debebat ideo consentire rebellioni Siciliæ, quam habuerat ab ecclesia, et acquisiverat sibi in sanguine multo (2), *ch' esser ti fece contra Carlo ardito;* quia licet Nicolaus optaret destructionem Caroli, tamen non fuisset ausus dare operam perditioni (3) Siciliæ, nisi electuarium auri confortasset debile cor suum. — *E se.* Hic autor excusat se si non dicit plura et peiora contra eum ob reverentiam pontificalis dignitatis; et tamen mihi videtur quod faciat colorem rhetoricum, qui dicitur occupatio (4), quia dicit se nolle dicere, quod tamen maxime dicit (5). Dicit ergo: *e io userei parole ancor più grave,* contra te et alios pontifices simoniacos, *se non fosse ch' ancor la riverenza de le somme chiave lo mi vieta* (6), sed (7) etiam post mortem, licet cessaverit omnis dignitas in vobis. Et ecce quomodo bene retrahitur ob hoc, *chè la vostra avarizia il mondo attrista,* quia scilicet facit vos pervertere ordinem justitiæ, qua maxime mundus bene conservatur, datis enim malis præmia, et beneficia; bonis vero onera et supplicia; ideo dicit: *calcando i buoni e sollevando i pravi.* — *Di voi.* Hic autor ad confirmationem sui dicti adducit unam prophetiam, quæ mirabiliter videtur facere ad suum propositum. Ad cuius intelligentiam est bene notandum, quod Johannes relegatus in insula quæ dicitur Pathmos, fecit librum qui vo-

(1) 116, cum affinitate.
(2) 116, multo. Ideo bene dicit, *ch'*.
(3) E. proditioni.
(4) E. præoccupatio.
(5) E. dicit, dicens: *e io userei.*
(6) E. *vieta, che tu tenesti ne la vita lieta;* etiam post.
(7) 116, scilicet etiam.

catur Apocalypsis, qui interpretatur liber revelationum, in quo multa futura prædicit et prophetat sub velamine [1] variarum figurarum; ideo liber est difficilis intelligentiæ [2], et eius figurata locutio potest trahi ad multiplicem sensum, sicut etiam patet in visionibus Danielis prophetæ. Modo Johannes inter alias figuras ponit hanc unam [3]: XVII capitulo dicit quod unus angelus locutus est secum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius, et vidi mulierem sedentem super bestiam rubeam [4] habentem capita septem, et cornua decem; et mulier erat circumdata purpura et inaurata auro et lapide prætioso et margaritis, habens ciphum aureum in manu sua plenum abhominatione, et immunditia fornicationis eius; et in fronte eius erat scriptum: Babylon magna mater fornicationum et abhominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu, et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna etc. Nunc ad propositum: multi multa dicunt super expositione istius figuræ mirabilis, et volunt quod apostolus simpliciter loquatur de Babylonia magna antiqua de qua dicitur nasciturus Antichristus; sed quæcumque sit intentio apostoli autor noster vult quod ista meretrix magna et Babylonia magna sit gubernatio prælatorum ecclesiæ romanæ, sive curia romana, cui videntur ut plurimum posse propriissime adaptari quæ posita sunt in prædicta figura. Primo [5] enim est meretrix magna cum qua adulterati sunt reges et principes terræ, quia pro pecunia prælati dant eis magna divina et spiritualia et

---

(1) E. velamine multarum figurarum et variarum; ideo.
(2) E. intelligere.
(3) E. unam XVII cantu, dicens.
(4) E. rubram habentem. — S. rubeam et habentem.
(5) 116, Prima.

temporalia. Bestia super qua sedet meretrix est ecclesia Dei militans habens septem capita, idest septem dona spiritus sancti, vel septem virtutes, tres theologicas, quatuor morales, et decem cornua, idest decem præcepta legis. Et hæc bestia est rubea sanguine martyrum: et hæc meretrix (1) bene sedet super aquas multas; nam, ut (2) ipse Evangelista postea declarat, aquæ multæ sunt populi, gentes, linguæ (3), quibus imperant ipsi prælati, sive sint Romæ, sive Lugduni, sive Avinioni. Unde novissimus poeta Petrarcha vult quod ista magna Babylon sit Avinio (4), nova Babylon in Gallia, quæ vere potest dici magna Babylon non ambitu murorum, sed ambitu animorum. Vere mater fornicationis, luxuriæ, ebrietatis, plena omni abominatione et immunditia, et sedet realiter inter aquas rapaces, scilicet Rhodanum, Ruentiam et Sorgiam, et ornatus mulieris bene convenit ipsis prælatis, qui sunt circumdati purpura, auro, argento, gemmis; et bene est ebria ista prælatio sanguine sanctorum martyrum et Jesu Christi. Ideo bene tandem eveniet sibi pœna, quæ prænuntiatur ab angelo ibi, ut dicetur alibi Purgatorii capitulo ultimo. Sicut ergo Johannes apostolus et evangelista videns ista in spiritu admiratus est admiratione magna; ita Dantes theologus et poeta videns ista in somno suæ visionis merito miratus est admiratione magna, dicens: *il Vangelista,* scilicet Johannes anthonomasice, *s' accorse di voi pastori,* scilicet in Apocalypsi, *quando colei che sede sopra l' acque,* scilicet mulier meretrix magna quæ sedet super multas aquas, idest populos christianos, *fu vista a lui,* idest fuit visa sibi, et apparuit sibi, *puttaneggiar coi regi,* sedet dico, *quella,* scilicet (5) bestiam rubeam, *che nacque con le sette teste, et*

(1) 116, meretrix fornicaria.
(2) E. et ipse.
(3) E. et linguæ.
(4) E. Avinioni.
(5) S. scilicet super bestiam.

ebbe argomento da le diece corna; sicut enim cornua sunt ad ornamentum et defensionem bestiæ, ita præcepta [1] ad ornamentum et tuitionem ecclesiæ; et dicit: *finchè vertute,* idest pastor virtuosus, *piacque al suo marito,* idest Christo, qui est [2] sponsus ecclesiæ, ut dictum est in principio capituli; vel dic et melius: *finchè vertute piacque al suo marito,* idest papæ qui est maritus ipsius ecclesiæ. Et hic nota, lector, quod aliqui hic dicunt, quod ista capita et cornua duraverunt usque ad dotationem [3] Constantini, quia postea ista bestia abiecit vetera capita et cornua, et induit nova, scilicet septem vitia capitalia, et transgressionem omnium decem præceptorum [4], quia fecerunt contra primum præceptum facientes sibi Deum ex auro et argento etc. Sed istud non videtur mihi verum, quia statim post dotationem [5] prælati non fuerunt depravati, imo fuerunt postea viri sanctissimi et sapientissimi, sicut Gregorius papa, Hieronymus cardinalis, Augustinus, et Ambrosius episcopi, et ita de multis; sed post multa sæcula impinguati et ditati nimis cœperunt deviare a lege, sicut videmus accidere omnibus [6] potestatibus temporalibus et spiritualibus, quæ habent bonum principium, sed postea paulatim labuntur, sicut olim accidit in ipsis romanis, ita recte in prælatis romanæ ecclesiæ. Sic ergo Constantinus videtur fuisse [7] causa remota depravationis ipsorum prælatorum. — *Ahi.* Hic autor invehit [8] contra Constantinum qui videtur fuisse causa tanti mali, dicens: *Ahi Constantin,* idest heu Constantine, quasi dicat, dolenter refero, *di quanto mal fu matre,* idest causa, *non la tua conversion,* quia conversio tua fuit utilis et salutaris tibi et universali ecclesiæ, quæ

---

(1) E. præcepta legis divinæ sunt ad ornamentum.
(2) E. est maritus et sponsus.
(3) E. donationem.
(4) E. præceptorum legis, quia.
(5) E. donationem.
(6) E. e S. in omnibus.
(7) E. fuisse causa tanti mali et causa remota.
(8) 116, irruit.

fuerat usque ad [1] te conculcata et exterminata a principibus romanis paganis, *ma quella dote che da te prese prima il ricco patre,* scilicet Silvester papa, qui curaverat te a lepra corporaliter et spiritualiter, ideo tu voluisti solvere medico. — *Mentre.* Nunc autor ponit finem exprobrationis factæ per eum, quia ille Nicolaus cœpit facere magnum planctum cum pedibus pro [2] dolore, dicens: *e quello spingava con ambe le piote,* idest cum ambabus plantis pedum, quos ducebat et exagitabat [3] ultra modum solitum; et tangit quæ poterat esse causa cum dicit: *o ira, o coscienza che 'l mordesse,* idest ira quæ est appetitus vindictæ, quia dicebam [4] sibi molesta nimis coquentia ipsum; conscientia, quia sciebat me dicere verum, et ita ardebat ira et verecundia: *mentr' io li cantava cotai note,* idest interim dum dictarem sibi tales contumelias, ita quod cantus poeticus erat sibi plus amarus, quam cantus fuerit unquam dulcis, quem audisset in choro vivens. — *Io.* Hic autor vult justificare increpationem mordacem quam fecerat, et respondet tacite ad id quod dixerat supra: *Io* [5] *non so s' io mi fui qui troppo folle.* Nunc ergo vult dicere quod non, et hoc tangit tacite per tacitam consensionem Virgilii, qui semper attentus [6] auscultavit omnia verba eius. Dicit ergo: *Io credo ben che 'l suon de le parole vere espresse,* quia ita audacter et libere expresserat illi veritatem, *piacesse al mio duca,* scilicet Virgilio, quasi dicat: omnis vir sapiens confirmaret et diceret: bene et vere dixisti; *con sì contenta labia sempre attese,* quia scilicet numquam fecit verbum, numquam dixit: male dicis, vel nimis dicis. — *Però.* Hic ultimo autor claudens capitulum et materiam simoniæ describit recessum suum ab ista bulgia

---

(1) E. ad tunc conculcata.
(2) E. præ dolore.
(3) E. agitabat.
(4) E. dicebat.
(5) E. dicens: *Io.*
(6) E. attentus auscultabat.

tertia, unde dicit: *però,* quia satis dictum erat de tali materia, *mi prese con ambo le braccia,* quia sicut autor non potuerat descendere ad fundum vallis per se, ita multo minus potuisset reascendere [1] per ripam; ideo dicit: *e rimontò per la via onde discese,* quia nulla erat ibi via minus recta, *poi che mi s' ebbe tutto al petto,* idest postquam habuit me totum sibi supra pectore inter brachia. Et dicit: *nè si stancò d' averme a sè distretto,* quia numquam deposuit me, *sì me portò sopra 'l colmo dell' arco,* idest ad medium pontis quarti, *ch' èe traghetto,* idest qui pons est transitus, *dal quarto argine al quinto, e spose il carco,* idest deposuit me qui vivus eram et gravis, *quivi,* scilicet in culmine arcus, *soavemente,* ne læderer in aliquo propter asperitatem loci; unde repetit adverbium suaviter, ut declaret quare Virgilius deposuit eum suaviter, dicens: *soave per lo scoglio sconcio e erto* [2], idest, quia iste pons erat altus et asper in tantum, *che serebbe duro varco a le capre.* Per hoc nota, quod autor tangit difficultatem sequentis materiæ, quasi dicat, quod iste tractatus sequens esset durus et difficilis capris, idest viris acutissimi intellectus, sicut capræ habent visum acutissimum. Et concludit: *indi,* idest de culmine illius arcus, *un altro vallon mi fu scoperto;* idest alia vallis, sive bulgia quarta, quæ erat sub isto ponte, fuit manifestata et oblata oculis meis.

---

(1) E. transcendere.

(2) E. *erto,* idest tantum, *che sarebbe.*

CANTUS VIGESIMUS, *in quo tractat de quarta bulgia et de spiritibus entibus ibi, qui fuerunt divini et magones sub titulo illius qui construxit Mantuam, ubi natus fuit Virgilius, ac etiam magistri Michaelis Scocti, et aliorum multorum.*

D*I NOVA pena mi conven far versi.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit (1) et determinavit de materia simoniacorum, qui puniuntur in tertia bulgia, nunc consequenter in præsenti capitulo XX (2) agit et tractat de pœna divinatorum *, qui puniuntur in quarta bulgia; et istud capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor describit pœnam divinatorum * (3) in generali (4). In secunda describit quosdam divinatores antiquos famosos in diversis speciebus divinationis, ibi: *Driccia la testa.* In tertia facit unam digressionem, in qua describit Mantuam patriam Virgilii, ibi: *Poscia che 'l padre.* In quarta et ultima autor revertitur ad primam materiam, et nominat aliquos (5) alios divinatores tam antiquos quam modernos, ibi: *Ma dimmi.* Ad primam dico quod autor describit pœnam divinatorum in generali, et primo volens magnificare istam materiam proponit (6) nobis ipsius difficultatem, dicens: *el mi conven far versi,* scilicet rithimicos, *di nova pena,* idest extranea et diversa multum ab aliis, et etiam quia noviter adinventa a me, et numquam ficta per Virgilium, neque so-

---

(1) E. tractavit de materia. — 116, tractavit de pœna simoniacorum.
(2) E. XX tractat.
(3) Le parole fra i due asterischi sono state supplite dal Codice 116.
(4) E. generali; et de ipsa agit in prima huius capituli parte. In secunda parte capituli describit.
(5) 116, aliquot.
(6) S. ponit.

mniata per Homerum, *e dar materia al ventesimo canto,* idest XX capitulo, quia omnia capitula appellantur cantus, ut dictum est in primo capitulo (1), *ch' èe de' sommersi,* idest quæ cantio est de damnatis in inferno, qui omnes sunt submersi damnabiliter infra terram, ad differentiam punitorum in purgatorio, qui sunt supra terram; aliqui tamen textus habent: *ch' io disommersi,* idest *disaffondai,* idest traxi eos in lucem, ubi primo nihil erat dictum de eis; sed prima litera est clarior. Alii etiam aliter exponunt istam literam, sed ista videtur mihi sententia vera et propria de mente autoris; et si obiicis quomodo damnati (2) in inferno sunt (3) omnes submersi, cum aliqui sint volantes per aerem, sicut luxuriosi etc., dico breviter quod omnes damnati in inferno merito dicuntur submersi, quia omnes sub terra (4) positi, licet diversimode; sicut unus carcer terrenus subterraneus continet multos damnatos in diversis mansionibus, quia aliqui stant in terra, aliqui in primo solario, aliqui in secundo, et ita de multis. — *Io era.* Hic autor describit pœnam istorum damnatorum (5) in communi. Ad cuius intelligentiam est subtilissime (6) speculandum, quod autor dat istis congruentissimam et æquissimam pœnam. Fingit enim quod vadunt lente per fundum vallis, et habent facies retroversas respicientes sibi a tergo et lacrymantes. Ad propositum (7), isti divinatores incedunt lente in omnibus agendis, quia procedunt cum deliberatione vana, facientes omnia ad motum cœli vel volatum avis, et ita de aliis secundum diversas species divinatorum (8); nam nihil faciunt, nec permittunt fieri nisi sub certo puncto, et sic stant semper

(1) 116, capitulo, *de la prima cancion,* idest Inferni, qui est prima cantica huius libri, ut etiam dictum est in primo capitulo, *ch' èe.*

(2) E. damnati omnes in inferno sunt submersi.

(3) S. sint.

(4) E. sub terram positi sunt, licet.

(5) S. divinatorum.

(6) 116, subtiliter.

(7) E. Ad propositum ergo isti.

(8) E. divinationis.

suspensi, et suspensos tenent animos aliorum, et istud est semper vivere in anxietate; dicit unus: si iveris in bellum tali hora, victoriam reportabis; si in forum, damnum, et ita de infinitis ([1]) observantiis. Habent facies transversas, quia volunt videre a longe, et prospicere futura, quorum eventus est incertus; sed justo judicio Dei, qui solus novit ([2]) quæ futura sunt, vident sibi retro, quia communiter videmus, quod isti divinatores in factis propriis semper sunt cæci et infortunati, et semper vadunt retro et ([3]) retrograde; unde sunt similes simiæ, quæ quanto magis procedit ulterius magis ostendit culum; et plorant, scilicet eorum damna et infortunia, quia sæpe veniunt ad magnam miseriam. Unde non est diu quod vidi famosum astrologum in tanta extremitate, quod non audebat apparere, et erat in casu desperationis. Nunc ad literam: autor primo tangit dispositionem suam ad speculationem præsentis materiæ, dicens: *Io era già tutto quanto disposto,* cum oculo intellectuali, *a riguardar ne lo fondo scoperto.* Hoc pro tanto dicit, quia simoniaci in tertia bulgia sunt cooperti sub terra, et adulatores in secunda bulgia sunt cooperti sub stercore; sed divinatores ibant apparenter per fundum ipsius vallis. Et dicit: *che se bagnava d' angoscioso pianto,* scilicet lacrymis illorum plorantium angustiose; et tangit propositam pœnam dicens: *e vidi gente venir tacendo,* quia semper sunt abstracti, *e lagrimando,* quia semper sunt infortunati; et specificat modum procedendi istorum ([4]) per comparationem claram, dicens: *al passo,* idest ad similitudinem illius passus plani, *che fanno le letane in questo mondo,* idest illi qui vadunt in processione. Et est comparatio propria; qui enim vadunt in letaniis ambulant lente, ta-

([1]) S. multis.
([2]) E. novit futura, vident sibi etc.
([3]) E. et sunt retrogradi; unde.
([4]) 116, ipsorum. — E. illorum.

cite [1], sicut isti incedebant nunc, et aliquæ vetulæ lacrymantur ex compassione cordis vel devotione, habentes memoriam peccatorum suorum, sicut isti vagi [2] nunc agunt pœnitentiam, quamvis inutilem, de erroribus magnis eorum. Et tangit formam pœnæ, dicens: *e ciascun apparve esser travolto mirabilmente,* quia videbantur monstruosi mutata forma [3] faciei contra naturam, *tra 'l mento e 'l principio del casso,* idest in collo quod est inter mentum et principium corporis, ita quod habebant gulam a parte post, *come 'l viso mi scese più basso in loro,* idest, dum profundius specularer pœnam istorum; et ecce quomodo, *che 'l volto era tornato da le reni,* ubi primo habebant cervicem, *e li convenia venir indietro,* ut viderent viam, quia habebant oculos a tergo; ideo [4] dicit: *perchè 'l veder dinanci era lor tolto.*—*Forse.* Hic autor explicat modum istius pœnæ, et vult breviter dicere, quod non reperit comparationem condignam ad manifestandam istam transmutationem, quia nulla est passio paralytica tam potens, quæ possit ita mutare ordinem [5] membrorum. Unde dicit: *alcun forse si travolse così del tutto,* sicut quilibet istorum [6] erat totaliter mutatus in facie, *già per forza di parlasia;* paralysis enim est passio [7] nervorum, quæ aliquando ita distorquet, dislocat [8] et deordinat collum hominis, quod homo respicit sibi transversaliter sicut a latere super spatulam, sicut vidi in una vetula; sed numquam facit quod homo in totum respiciat post tergum, sicut nunc faciebant isti infelices; unde dicit: *ma io nol vidi,* scilicet [9] ad aliquem talem, *nè credo che sia.* Et nota quod autor verum dicit, quia transformatio * animarum vitiosa est multo peior, quam trans-

---

(1) E. et tacite, sicut incedebant.

(2) E. isti magi. — 116, vani.

(3) E. forma contra naturam.

(4) S. unde.

(5) E. ordinem naturæ in membris; unde.

(6) 116, ipsorum.

(7) S. mutatio membrorum quæ.

(8) E. dissolvit.

(9) S. e E. scilicet aliquem talem.

formatio * ([1]) corporum accidentalis. Nota etiam quod comparatio paralytici est propriissima: sicut enim paralyticus totus tremit, et numquam tenet membra firma, ita recte divinator semper nutat ([2]) et vacillat, quia stat semper cum timore et suspicione considerans puncta, momenta, minuta; imo, quod est peius, pennas avium, imo puncta facta in terra ([3]); imo, quod est ridiculosius, aliquando sternuta, imo quod est peius stat in tremore quod non inveniatur dixisse mendacium, ex quo ([4]) recipiat damnum vel dedecus; ergo bene maledicta talis vita. — *Se Dio.* Hic autor apostrophat ad lectorem adiurans eum ut consideret qualitatem istius pœnæ, pro qua ipse non poterat lacrymas continere. Et ad intellectum ([5]) huius subtilis fictionis, quæ a multis est male intellecta, volo ([6]) notes, quod autor prudenter et caute innuit quod sæpe viri excellentissimi sic delirant in arte divinationis, et præsens negotium tangebat autorem ipsum, qui aliquantulum delectatus est in astrologia, et voluit prædicere aliqua futura, sicut patet in libro isto. Ideo bene fingit se nunc ita plorare compatiens aliis et sibi de errore suo. Dicit ergo: *O lettor, or pensa per te stesso, com' io potea tener lo viso asciutto,* scilicet ne irrigarem ipsum lacrymis, *quando vidi sì torta,* idest transvolutam, *la nostra imagine,* idest figuram humanam, *da presso,* quando erant sub oculis meis, *che 'l pianto degli occhi,* idest lacrymæ, quæ solebant balneare pectus, *bagnava le natiche per lo fesso,* quia lacrymæ discurrentes per concavitatem renum transibant per canale natium; et bene vident isti post culum, quia volentes prævidere ([7]) futura sæpe non vident quæ habent ante oculos. Unde nota quod

---

([1]) Le parole fra i due asterischi mancano nel nostro testo: son supplite dagli altri Codici. ([2]) E. mutat. ([3]) E. terra, et quod.
([4]) E. ex quo patet quod recipiunt damnum et dedecus; ergo bene est.
([5]) E. intelligentiam. ([6]) 116, volo quod notes. ([7]) 116, videre.

istis divinatoribus potest recte dici illud, quod olim dixit vetula Thaleti philosopho primo et astrologo. Cum enim Thales (1) pervenisset ad montem quem volebat ascendere ad speculationem siderum, et petisset ab una vetula de vicinia ut duceret ipsum (2) in viam, et illa de sero duceret ipsum, ille a casu cecidit in fossum, et dolens et clamans petebat auxilium a vetula; at illa ridens dixit: Ah miser, infelix! quomodo videbis vias siderum cœli, cum non videas terram, quam sub pedibus habes? Et dicit autor: *se Dio ti lasci prender frutto di tua lezione.* Et hic nota, quod fructus huius lectionis est, quod lector discat expensis istorum, non inquirere vane (3) futura, et dicere multa mendacia cum perditione animæ et irrisione sui. Unde bene Petrus de Abano (4) paduanus, vir singularis excellentiæ (5), veniens ad mortem, dixit amicis, magistris, et scholaribus et medicis circumstantibus, quod dederat operam præcipuam diebus suis tribus scientiis nobilibus; quarum una fecerat eum subtilem, et hæc erat philosophia; secunda fecerat eum divitem, scilicet medicina; tertia vero mendacem, scilicet astrologia. Dicam ergo una cum Averroë: astrologia nostri temporis nulla est. Sed statim dicit (6) astrologus: Averroës non (7) scivit astrologiam; sed astra non mentiuntur. Cui ego respondebo: des mihi illum qui bene sciverit (8), et videamus quæ vera dixerit, quia numquam diebus vitæ meæ aliquem vidi, cum tamen habuerim notitiam et familiaritatem multorum. Certe fateor, quod astra non mentiuntur, sed astrologi bene mentiuntur de astris. Et specificat compassionem magnam, quam habebat ad istos, et reprehensionem Virgilii ad se. Dicit ergo: vere, lector,

---

(1) E. iste Thales. (2) E. ipsum, ille a casu.
(3) 116, vana futura. (4) 116, de Abano vir. — E. de Ebano.
(5) S. scientiæ. (6) 116, dicet. (7) 116, nescivit.
(8) S. noverit. — E. sciverit, quod nunquam.

non poteram tenere oculos siccos, imo: *certo i' piangea, poggiato ad un de' rocchi,* idest adhærens uni saxo, *del duro scoglio,* idest illius pontis; *sì che la mia scorta,* scilicet, Virgilius, *mi disse: Ancor se' tu degli altri sciocchi?* idest etiam tu es de numero aliorum fatuorum, qui iniuste compatiuntur istis? Et nota, quod Virgilius secure poterat arguere Dantem de isto errore, quia multo plus ipse fuit deditus huic vanitati divinationis, sicut patet (1) clare maxime libro Georgicorum; ideo (2) nunc cognoscebat se sæpe fuisse mentitum. Et probat, quod non sit compatiendum talibus, subdens sententiam notabilem, cum dicit: *Qui vive la pietà, quand' è ben morta,* quasi dicat, scis tu, quæ pietas debet haberi istis? nullo modo dolere de pœna eorum; sicut a simili, loquendo catholice, non esset pium, sed impium deplorare animam Neronis vel Judæ. Ergo vera pietas est non habere (3) hic pietatem, sed crudelitatem contra tam crudeles, quorum alter prodidit naturam, alter vero Dominum ipsius naturæ. Ita in proposito: Non debes habere compassionem erga istos, qui ultra facultatem naturæ humanæ in tanta caligine rerum positi voluerunt ascendere cœlum viventes, et usurpare sibi divinum officium, inquirendo futura, illi soli cognita. Et vere in uno maxime non merentur compassionem, quia sunt obstinatissimi hominum in proposito suo, sicut ego vidi in multis; nam quanto plus mentiuntur, tanto plus dicunt se dicere verum. Sicut ego novi unum, qui delusus et confusus per suam astrologiam, imo potius diabologiam, dum increparetur familiariter ab amico, adhuc pertinacissime contradicebat, commendans continuo dulcedinem huius artis, quæ etsi vera est, non tamen scita. Ideo bene dicit Virgilius: *Chi è più scelerato che colui che porta compassion al giudicio*

(1) E. patet maxime.
(2) E. ideo cognoscebat.
(3) E. habere pietatem hoc loco, sed.

divino? quasi dicat: nullus est crudelior eo, qui miseretur damnatis divina justitia. Verumtamen, declarata ista litera satis forti, remanet una dubitatio, quia tu obiicies: quare autor dicit hoc speciale de divinatoribus, quod non dicit de aliquibus aliis peccatoribus? quia vidisti, quod alibi supra finxit se compati quibusdam violentis contra naturam, et quibusdam desperatis et ita multis aliis. Dicendum breviter, quod autor loquitur de inferno morali; nam loquendo de inferno essentiali non est compatiendum aliquibus damnatis, et tamen, ut dictum est, autor sæpe ostendit se compati multis ex quadam naturali pietate; sed hic specialiter dicit de istis, quod non sunt digni compassione. Per hoc enim dat intelligi quod, quando videmus tales infortunari, dicimus, dignum et justum est, quia credebat scire quicquid Deus facit in cœlo; imo vidi de facto quod omnes rident et truffantur de eis, et dicunt: male scivit (1) divinare divinator noster, sicut statim dicetur de multis.

Driccia la testa. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit quosdam antiquos famosos divinatores, et primo quemdam augurem nobilem græcum, qui dictus est Amphiaraus. Ad cuius cognitionem est breviter sciendum, quod Amphiaraus fuit unus de septem regibus Græciæ (2) qui iverunt olim contra Thebas, et fuit rex et sacerdos, sicut (3) dicitur de Melchisedech in sacra scriptura, qui fuit sacerdos Apollinis et maximus augur, de quo mentionem facit Homerus XI Odisseæ, qui dabat puncta eundi, standi, bellandi omnibus, et magna scientia prævidit infelicem finem illius belli; ideo (4) dissuadebat græcis ne irent, contra quem Capaneus multa dixit contumeliose, sicut dictum fuit supra capitulo XIIII. Amphiaraus ergo, sicut scribit Statius in VII Thebaidos,

(1) 116, scit.
(2) E. græcis.
(3) 116, sicut dictum est.
(4) E. ideo dicit: suadebat græcis ne irent.

profectus cum aliis in bellum, volens sua vice acie pugnare, ascendit currum suum armatus et paratus, sicut erat olim de more regum orientalium, sicut Darius rex persarum contra (1) Alexandrum magnum. Et quia Amphiaraus erat præscius suæ mortis recommendans domum, et filium Apollini ardebat amore belli, quia fiducia mortis certe ministrabat sibi vires; ideo cœpit pugnare magnanimiter. Et ecce terribilem casum: nam terra subito aperta est, facto ore profundo cum maximo tremore; et continuo Amphiaraus cum toto curru, armis et equis absortus est a terra, et descendens (2) respiciebat cœlum, et doluit videns terram claudi supra se, sicque vivus sepultus est. Sed multi mirantur et petunt quid sibi vult ista fictio. Dico breviter quod ista fuit res vera, non ficta; nam terræmotus fuit causa huius aperturæ; sicut aliquando terra per terræmotum deglutivit (3) unam insulam vel aliam terram, imo aliquando accidit, quod tempore sereno et mari tranquillo una navis intrat sub aquam, et nunquam amplius apparet; et hoc accidit quia terra aperta est in fundo maris, sicut dicit (4) magnus Albertus. Nunc ad literam: Virgilius describens Amphiaraum a mirabili morte eius, dicit Danti: *driccia la testa,* idest, erige oculos mentis, et repetit istud verbum *driccia,* ut magis tangat eum, quasi dicat: non fleas amplius, fatue, non fleas, sed dimitte ipsos flere, et incede (5) ad cognoscendum aliquos; et primo Amphiaraum præferendum cæteris, quia fuit magnus augur et rex et sacerdos; ideo dicit: *e vidi,* illum, supple, *a cui la terra s' aperse,* in qua pugnabat, *agli occhi de' teban,* idest ante oculos thebanorum, quia bellum erat apud Thebas, *perch' ei,* scilicet thebani, *gridavan tutti,* de muris civitatis eorum: *O Anfiarao dove rui;* nam, sicut dicit

(1) E. e 116, ivit contra. (2) S. discedens. (3) E. deglutit.
(4) E. scribit. (5) E. et intende.

Statius, irridebant mortem auguris ignari et jactabant suum Thiresiam; tamen græci præstiterunt sibi (1) tantam reverentiam, quod constituerunt sibi templum in loco sepulturæ suæ, sicut scribit Valerius Maximus. Thebani ergo clamabant derisorie, sicut fit hodie quando aliquis ex extrinsecis interficitur bombarda et vulneratur sagipta, quia tunc intrinseci clamant: *sala sala.* Ergo bene: *perchè lassi la guerra,* nondum finitam? Et dicit Virgilius: *e non ristò di ruinare a valle fin a Minos,* idest, usque ad infernum, cuius Minos est judex, ut jam sæpe dictum est et dicetur, *che ciascuno afferra,* quia omnes condemnat ad pœnam secundum exigentiam culpæ. Et subdit formam et causam pœnæ Amphiarai, dicens: *mira,* quia res mirabilis est, *ch' à fatto petto de le spalle,* quia scilicet pervertit usum videndi, quia videt a tergo; ideo dicit: *e guarda di retro e fa ritroso calle,* idest et incedit retrograde, et merito, *perchè volle veder troppo davante;* nam, ut dicunt vetulæ vulgariter: *Chi troppo s' assottiglia dipo il culo se segna.* — *Vidi Tiresia.* Hic autor describit secundum augurem græcum, famosissimum omnium augurum, quem Homerus fingit in XI Odisseæ quod apparuit Ulyxi in inferno et multa prædixit futura, de quo Statius facit magnam mentionem in Maiori, et Seneca in Tragœdiis, et alii multi. Ideo bene autor facit specialem mentionem et describit eum a transmutatione mirabili quam (2) habuit. Ad cuius jucundæ fictionis evidentiam est sciendum, quod, sicut scribit Ovidius III Methamorphoseos, Jupiter semel per jocum cœpit contendere cum Junone, et dicere quod maior erat luxuria in mulieribus quam in masculis; illa negabat: post longam contentionem tamen commiserunt decisionem huius litis Thiresiæ sapienti, quia fuerat expertus forte (3) utriusque

(1) E. sibi locum et tantam.

(2) 116, quam habuit in vita.

(3) E. e 116, sortem utriusque.

sexus, ideo debebat ferre sententiam, nec debebat esse suspectus partibus; nam dum semel a casu transiret per viridem sylvam vidit duos magnos serpentes simul coniunctos in actu luxuriæ, quos percussit cum virga sua, et statim ex viro factus est fœmina, et sic stetit septem annis. Post septennium iterum transiens per eamdem sylvam [1] iterum vidit prædictos serpentes iterum [2] coniunctos carnaliter, quibus percussis cum eadem virga reversus est in pristinam formam masculinam. Igitur Thiresias electus arbiter dedit sententiam pro Jove; ex quo Juno indignata percussit Thiresiam et privavit [3] luce oculorum, quia videbatur sibi dedisse cæcum judicium. Jupiter autem non valens revocare factum deæ pro lumine corporali quod Juno abstulerat sibi dedit lumen [4] mentale, quia scilicet contulit sibi scientiam futurorum, et tali honore relevavit pœnam Thiresiæ, qui factus famosissimus augur dabat responsa vera, et primum vaticinium dedit de Narcisso, de quo, si vis videre, recurre ad tertium capitulum Paradisi. Sub ista autem mirabili fictione continetur res naturalis: unde sciendum est quod Jupiter in hoc loco est elementum ignis; Juno vero elementum aeris: generatio autem maxime ex calore procedit. Quilibet autem vir naturaliter est calidior muliere, quia vir naturaliter est sanguineus, mulier vero flegmatica; et tamen fœmina est multo luxuriosior quam vir; quia vir habet in actu venereo tantum unam delectationem, scilicet in emittendo sperma; fœmina vero habet duplicem: unam [5] in recipiendo sperma virile, alteram in emittendo suum; præterea omnis materia quanto frigidior, tanto magis fervet cum accenditur, et tardius extinguitur, ut patet in ferro et stipula. Matrix

---

[1] E. sylvam vidit.
[2] E. iterum carnaliter coeuntes, quibus.
[3] S. privavit eum luce.
[4] 116, lucem mentalem.
[5] E. unam scilicet in.

ergo fœminæ, quæ est frigida naturaliter, cum recipit sperma viri calidum maxime delectatur. Præterea fœmina habet instrumentum semper paratum, vir vero non; et sic fuit vera sententia Thiresiæ. Ad illud autem quod dicitur de serpentibus coeuntibus est notandum, quod Thiresias figuraliter accipitur pro tempore. Tempus enim in hyeme quando terra frigore constricta (1) nulla producit semina, videtur quasi habere formam masculinam; sed adveniente vere videns animalia coeuntia percutit ea virga, idest fervore caloris, et sic convertitur (2) in fœminam, quia terra tunc incipit parere. In autumno autem iterum percutit animalia coeuntia cum virga, idest (3) rigiditate frigoris, et sic revertitur in pristinam formam masculinam. Autumnus enim ita omnia stringit ut herbæ jam moriantur, succi arborum exsiccentur, folia (4) cadant, et sic tempus ad frigus hyemale declinans, in masculinam revertitur sterilitatem. Bene ergo Thiresias dat (5) judicium, quia multo plus humoris quam caloris requiritur in germinibus multiplicandis. Juno autem quæ est dea aeris bene dicitur obcæcare Thiresiam, quia, ut videmus continuo de facto, tempus obcæcatur in hyeme nubibus, nebulis, nivibus, pluviis, ita quod tempus recte videtur cæcum. Sed Jupiter qui est ipse calor dat illi lumen futurum, quia non obstante frigiditate et obscuritate hyemali, speramus fructus venturos naturaliter; ideo dicitur dedisse Thiresiæ scientiam futurorum: tamen quicquid fingatur de Thiresia, ipse fuit maximus augur thebanus; nam, ut patet apud Statium, ipse prædixit multa futura in vita sua suis thebanis, et post mortem multa prædixit Ulyxi in inferno; quare merito autor noster ponit ipsum post Amphiaraum, quia Thiresias claruit Thebis tempore belli thebani, in quo bello fuit

(1) E. est constricta et nulla. (2) E. e 116, vertitur.
(3) E. idest cum rigiditate. (4) E. et folia cadunt. (5) E. dedit.

Amphiaraus, ut jam dictum est, et hæc breviter de Thiresia. Ad literam ergo redeundum est: dicit Virgilius Danti: *Vedi Tiresia che mutò sembiante,* idest apparentiam et figuram, *quando divenne femina di maschio, cangiandosi le membra tutte quante.* Hoc dicit quia omnis qualitas aeris mutari videtur, ita quod tempus nunc dicitur calidum, nunc frigidum, nunc humidum, nunc siccum, *e poi,* idest deinde, *le convenne ribatter con la verga i dui serpenti avvolti,* idest invicem ligatos, *prima che riavesse le penne maschili,* idest membra masculina, sicut barbam et alia discernentia sexum. — *Aronta.* Hic autor describit alium augurem latinum qui vocatus est Aruns. Ad cuius intelligentiam est sciendum quod, sicut scribit Lucanus in primo circa finem, Aruns fuit maximus augur in Tuscia, qui suam artem vaticinandi exercuit apud civitatem antiquam quæ dicta est Luna. Iste Aruns tempore belli civilis vocatus est Romam ut exploraret eventum belli, qui veniens purgavit urbem prodigiis, cærimonias et processiones fecit: tandem fecit sacrificium de tauro Jovi optimo maximo, et partem intestinorum deputavit Pompeio, partem vero Cæsari; et breviter per signa apparentia perpendit partem Cæsaris prævalituram, sed vaticinium obscurum fecit sub ambiguo verborum involucro, sicut est de more divinatorum, et hoc facit (1) secundum artem Tagis, qui primus in Tuscia adinvenit artem divinandi, sicut scribit Tullius in suo libro de Divinatione. In Tuscia namque olim multum viguerunt (2) auguria, sacrificia, et omnia spectantia ad religionem; unde antiqui romani a principio mittebant in Tusciam pro informatione sacrorum, sicut scribit Valerius circa principium. Ad propositum ergo Virgilius nunc describit Aruntem a patria, ab (3) arte, dicens: *Aronta èe quel che*

---

(1) E. fecit. (2) 116, viguerant. (3) E. et ab arte.

li s' atterga al ventre, idest qui cum tergo suo adhæret ventri ipsius Thiresiæ, quia si vadunt retrograde oportet de necessitate quod unus teneat tergum versus ventrem alterius præcedentis, ita quod Thiresias tenet tergum versus ventrem Amphiarai, et Aruns versus ventrem Thiresiæ, et ita de omnibus, ita quod unus videt tergum alteri, et sic incedunt successive, quia cæcus cæcum ducit, et sic omnes in præcipitium cadunt, et dicit : *ch' ebbe la spelunca per sua dimora,* quia ibi speculabatur motus avium et ictus fulminum, *trai marmi bianchi,* quia ibi cavatur marmor album [1], de quo Plinius : nuper in Lunensium lapicidinis marmor album cœpit esse in prætio, *nei monti di Luni,* idest civitatis Lunæ, quæ est penitus deserta, licet adhuc appareant aliqua vestigia civitatis, et portus, et vallis macræ adhuc denominatur ab ista civitate Lunisana; et quia terra ista antiqua est [2] hodie penitus inhabitata, ideo denominat locum ab habitatoribus qui sunt hodie ibi, dicens : *dove,* idest in quo loco, *lo carrarese,* Cararia est una terra, sive contrata ibi, *ronca,* idest colit, laborat; nam runcare est purgare segetes a malis et noxiis herbis; et ponitur ibi [3] large pro colere, inhabitare; ideo dicit : *che di sotto alberga,* quia carariences habitant in plano sub montibus illis : et ostendit locum illum [4] fuisse habilem ad artem suam, dicens : *onde la veduta non gli era tronca,* idest truncata et ablata, *a guardar le stelle e 'l mare,* idest cursus stellarum et motus undarum, quasi dicat [5] : non habebat aliqua impedimenta obstantia sibi conspectui suo. — *E quella.* Hic Virgilius nominat unam mulierem divinatricem : ista fuit Manthos filia Thiresiæ, de qua mentionem

---

(1) 116 e E. album, *nei monti di Luni,* idest civitatis.
(2) E. est, et omnibus hodie.
(3) 116, S. e E. hic large pro colere et habitare.
(4) 116, illum marmoreum fuisse.
(5) 116, dicat, quia non.

facit Homerus XI Odisseæ, et Statius in Maiori sæpe, et Virgilius IV Eneidorum diffuse. Ideo autor ita plene et artificialiter describit eam a sua transmutatione, dicens: *e quella che ricopre le mammelle che tu non vedi;* hoc pro tanto dicit, quia ista antequam transmutaretur solebat portare capillos sparsos per tergum; nunc vero transmutatione facta habet capillos sparsos per pectus, et sic tegit mamillas quæ non videntur, *con le trecce sciolte:* in hoc tangit actum mulierum incantatricium (1), quæ aliquando vadunt de nocte nudæ cum crinibus sparsis, et aperiunt fossas mortuorum, et præcipue puerorum, et accipiunt quædam apta ad eorum maleficia, qualem ego vidi unam semel, sicut describit (2) Lucanus de Herithoe, et dicit: *et ha di là,* idest, ex parte pectoris et mamillarum, *ogne pelle pilosa;* hoc dicit, quia Mantho solebat ante perversionem habere sub ventre pellem pilosam in fœmore et pudendis solummodo, nunc vero habet dictam pellem, et etiam (3) habet pellem capitis capillosam, quia occipitium erat revolutum a pectore, ita quod a tergo non ostendebat modo aliquam pellem pilosam, sed solum a parte anteriori duplicem. *Manto fu,* et est nomen conveniens, nam Manthis (4) græce, latine (5) divinatio, *che cercò per terre molte,* sicut statim dicetur in parte sequenti, *poscia se pose là dove nacqui io,* scilicet in loco ubi nunc est Mantua, quæ denominata est ab ea, ut statim dicetur. Et reddit Virgilius Dantem attentum ad sequentem materiam, dicens: *onde un poco mi piace che m' ascolte,* quasi dicat: volo quod non graveris, si aliquantulum videbor recedere a proposito et modicum extravagari. Et hic nota quod autor hoc dicit ut ostendat, quod habeat honestam

---

(1) E. incantantium.
(2) S. e E. scribit Lucanus in Herictone.
(3) E. et etiam pellem capitis.
(4) 116, Manthus.
(5) E. latine dicitur divinatio.

causam faciendi singularem descriptionem patriæ Virgilii, tum quia dux, dominus et magister suus erat, tum quia Virgilius facit [1] istam descriptionem patriæ suæ.

Poscia. Ista est tertia pars generalis, in qua Virgilius facit digressionem, per quam facit descriptionem civitatis Mantuæ. Et incipit modicum a longe, et narrat quod ista diu discurrit per mundum post mortem patris Thiresiæ, civitate Thebarum deducta in captivitatem. Ad quod est breviter sciendum quod, sicut scribit [2] Statius XII et ultimo Thebaidos, finito bello damnabili apud Thebas, omnibus septem regibus infeliciter mortuis in illo bello præter [3] solum regem Adrastum, duobus fratribus Ethiocle et Polinice simul [4] crudeliter interfectis, quidam crudelis tyrannus thebanus nomine Creon occupavit dominium Thebarum, qui inter alia crudelia mandavit ut corpora peremptorum [5] in prœlio non traderentur sepulturæ. Ex quo uxor Capanei, Tydei et aliorum ducum, stimulante amore virorum mortuorum, accesserunt Athenas ad implorandum auxilium incliti Thesei, et reperierunt quod ipse tunc revertebatur cum triumpho a victoria Amazonum, ducens secum Hippolytem reginam, quam devicerat [6] et assumpserat in uxore. Theseus ergo motus precibus mulierum venit cum magno exercitu supra Thebas, contra quem impotens superbus Creon exivit. Theseus autem leo [7] magnanimus nolens [8] expendere iram suam in plebeios discurrebat per acies quærens solum Creontem. Creon autem furiosus et audax morte propinqua clamare cœpit contra Theseum: non habes nunc rem cum puellis, non credas

---

(1) E. fecit. (2) 116, describit.

(3) E. præter regem. — 116, præter solum senem Adrastum.

(4) 116, similiter interfectis. (5) S. interemptorum.

(6) E. devicerat, et in uxorem postea assumpserat. Theseus ergo pietate motus et precibus.

(7) 116 e E. ut leo. (8) S. volens.

me habere manus virginis. Theseus autem ridens [1] istum insanum vane furentem, illum cum hasta percussit in pectore, et continuo mortuo Creonte obtinuit civitatem Thebarum. Ad propositum ergo: dicit Virgilius, quod Mantho, post servitutem patriæ suæ, tandem pervenit in Italiam apud lacum mantuanum, a quo postea denominata est Mantua patria Virgilii, ut pulcre tangitur in litera. Nunc ergo ad literam; dicit Virgilius Danti: *Questa,* scilicet Manto, *gío,* idest, ivit discurrendo, *gran tempo per lo mondo,* ut haberet experientiam multorum, vel ut quæreret sedem placentem sibi, *poscia che 'l padre suo,* scilicet Thiresias filia digna tali patre, *uscío di vita,* idest, mortuus est, *e poscia che la città di Bacco,* idest civitas Thebarum [2] quam denominat a Baccho, quia Bacchus fuit thebanus natus ex Semele de sanguine Cadmi, qui primus reperit usum [3] vitis in regione sua; ideo propter illud beneficium habitus est pro deo post mortem, et dictus est deus vini. Hic etiam Bacchus in vita totam Indiam debellavit, *venne serva,* primo Creontis, deinde sub Theseo facta est tributaria Athenarum. — *Suso.* Hic Virgilius volens ostendere, quomodo Mantho post longum discursum venit in Italiam ad partes suas, incipit a longe, et primo describit lacum Benacum, ex quo nascitur Mincius fluvius, et lacus mantuanus, ut sic deveniat ad locum proprium originis suæ. Unde nota, quod autor bene fingit, quod Virgilius faciat istam descriptionem, tum quia fuit mantuanus, tum quia facit mentionem de ista Mantho, et lacu Benaco IX Eneidos. Dicit ergo: *un laco c' ha nome Benaco,* intelligas, olim; nunc enim vocatur lacus Gardæ, et est pulcherrimus lacus, *giace,* quia planus est, *suso,* scilicet in mundo viventium, quia Virgilius in inferno positus sub

---

(1) 116, irridens.—E. videns. (2) S. Athenarum. (3) E. usum vini.

terra dicit ista verba autori, *in Italia bella,* quia nulla est pulcrior regio in mundo, *a piè dell'Alpe che serra Alamagna,* idest in confinio inter Alemaniam et Italiam, *sopra Tiralli,* qui est unus comitatus in introitu Alemaniæ, ubi regnant hodie quidam comites theutonici, qui vocantur Turones. — *Per mille fonti.* Hic describit lacum a fontibus et confinibus, dicens: et ille lacus *si bagna dell' acqua che stagna,* idest stat (1), non currit, *nel detto laco per mille fonti e più credo.* Loquitur sub credulitate, ne possit errare; sed certe credo, quod sint plures quam mille quingenti; innumerabiles enim fontes intrant lacum istum; inter alios est unus fluvius, qui vocatur Sarcha, qui tam impetuose cadit in lacum, quod ex confractione aqua (2) albescit, ita ut currus farinæ cadere videatur. Per multitudinem ergo fontium notat abundantiam aquarum. Hic siquidem lacus habet in longitudine triginta duo milliaria, in latitudine sexdecim (3) et plus, et sex ubi minus. Et turbatur sæpe ad modum maris; et est lucidus et perspicuus ut crystallus: *tra Garda,* quod est castellum in ripa dicti lacus versus Veronam. Habet enim hic lacus ex utraque (4) ripa multa castella, et homines magnos et audaces, sicut scribitur in libro de proprietatibus rerum, et habet magnam copiam olivarum, *et Valcamonica;* est una vallis sive contrata in territorio brixiensi, *et Pennino;* mons est qui dividit Italiam per medium, et claudit ab ea parte qua non est insula, cum altis alpibus ex parte Galliæ et Alemaniæ. Unde jam dixit: *A piè dell'Alpe, che serra Alamagna.* Et sic dicit idem hic: et subdit convenientiam confinium (5), dicens, quod quasi circa medium istius lacus concurrunt confinia trium diœcesium. Unde dicit:

(1) E. stans, non currens.
(2) S. e E. aquæ.
(3) E. XVI ad plus et VI ad minus.
(4) E. ex utraque parte.
(5) E. finium.

loco èe nel mezzo, confinium episcopatuum, *là dove il Pastor Trentino,* idest episcopus tridentinus, *e quel di Brescia,* scilicet pastor, vel episcopus, *e 'l Veronese,* scilicet pastor, vel episcopus, *poría segnar,* idest, signum crucis facere, *se fesser quel camino,* idest, si transirent per illam partem. Hoc pro tanto dicit, quia de jure canonico episcopus non potest signare extra jurisdictionem (1) suam; modo quia hic terminantur tres jurisdictiones, possunt signare tres episcopi prædicti.—*Siede Peschiera.* Hic Virgilius describit in speciali unum castellum, positum in fine istius lacus, ut sic ordinate veniat ad ortum et principium Mincii fluminis mantuani. Ad quod est sciendum, quod in principio istius lacus est unum castellum pulcerrimum, quod dicitur Ripa, diœcesis tridentinæ: in fine vero est castellum forte et pulcrum, quod dicitur Pischeria, diœcesis veronensis; et in ipsò (2) lacu longe a Pischeria, forte per sex milliaria, est una parva insula, quæ dicitur *Sermione,* ubi vidi vestigia magna vetustissimorum ædificiorum sub terra: in qua insula morantur solum (3) piscatores, nec ibi nascitur nisi oleum, in quo frigunt pisces, qui dicuntur carpiones, qui sunt pisces boni et diu conservabiles. Nunc ad literam: dicit Virgilius, *Peschiera bello e forte arnese,* idest, ornamentum, licet istud vocabulum videatur usurpatum, tamen similitudinarie (4) dici potest, quod sicut arnesium cedit ad ornamentum domus, ita Pischeria ad ornamentum illius (5) riperiæ. Est enim Pischeria castellum satis novum, munitum multis turribus et arcibus, quasi tutela totius contratæ; ideo bene dicit: *da fronteggiar bresciani e bergamaschi:* idest ad obviandum brixiensibus et pergamensibus, *sede,* idest situata est ibi, *ove la riva*

---

(1) E. extra diœcesim suam.

(2) 116, isto.

(3) 116, soli piscatores.

(4) E. similitudine.

(5) 116, istius.

intorno più discese, idest in fine ubi aqua est bassior, et incipit effluere et facere flumen Mincium. — *Ivi.* Hic Virgilius describit Mincium fluvium mantuanum dicens: *ciò che non può star in grembo a Benaco,* idest quicquid aquarum non potest contineri intra ventrem lacus propter superabuntantiam, *conven che caschi quivi,* idest cadat hic apud Pischeriam, et faciat flumen, ideo dicit: *e fassi fiume,* scilicet Mincius, *giù per verdi paschi,* idest deorsum decurrens per virentia prata, ubi sunt optima pascua jumentorum, unde sunt ibi equæ, vaccæ, in maxima quantitate; et dat nomen fluvio, dicens: *l' acqua non se chiama più Benaco, ma Mincio,* et hoc per totum spatium per quod currit, unde dicit: *fin a Governo,* quod est unum castellum mantuanorum, ubi Mincius intrat Padum; ideo dicit: *dove cade in Po,* tamquam in flumen maioris famæ, *tosto che l' acqua mette cò,* idest caput, idest statim cum aqua incipit currere. Postea Virgilius retrocedit ad describendum lacum mantuanum; quia enim jam posuerat finem fluminis, nunc revertitur ad lacum particularem quem iste fluvius facit, dicens: *non molto ha corso,* scilicet Mincius (1), *ch' el trova una lama,* idest planitiem sive lacunam, *nella qual se distende,* idest expandit se, *e la impaluda,* idest facit ipsam paludem, ita quod *impaluda* est hic verbum, non nomen; et tangit incidenter unum malum quod facit, dicens: *e suol,* scilicet illa lama, *esser di state,* idest tempore magni caloris, *talor,* idest aliquando, *grama,* idest tristis, quia scilicet modica aqua et infirma est ibi; ex modica enim aqua corrumpitur (2) palus; deinde aer. — *Quindi.* Hic Virgilius revertitur ad propositum, ostendens quomodo Manthos, de qua dicebatur supra, elegit sibi locum habilem et aptum ad suas artes incantatorias, unde dicit: *la vergine,* scilicet Man-

(1) E. ipse Mincius.

(2) E. corrumpuntur paludes, deinde aer.

thos: sed contra Virgilius dicit quod ipsa habuit virum de Tuscia et filios, quorum unus fuit in subsidium Turni contra Eneam. Dicit etiam Pomponius Mella quod Mantho fuit mater Mopsi maximi auguris. Dicendum breviter, quod virgo dicitur quasi (1) virago, quod idem est quod virilis fœmina et virilia agens; unde ipse Virgilius in Bucolicis appellat Pasiphem virginem cum jam esset mater Phædræ, Adrianæ et Androgei. Posset etiam forte dici quod Manthos erat virgo quando primo pervenit ad istum locum; sed postquam traxit ibi moram, habuit virum et filios. Unde Statius in VI dicit, quod Mantho fuit sacerdos Apollinis; etiam (2) quod Apollo sagiptavit Lampum augurem, quia attentaverat Mantho, et dicit: *cruda,* quia solitaria fugiens omne humanum consortium, *passando quindi,* scilicet per planitiem istam, *vide terra,* scilicet dictam lamam, *nel meggio del pantan senza coltura,* idest sine cultu terræ, *e nuda d' abitanti,* idest et sine habitatione, quasi dicat, omnino desertam, ergo: *ristette lì,* idest firmavit suam residentiam ibi, *co' suoi servi a far sue arti,* scilicet divinandi, *per fuggir ogni consorzio umano,* idest omnem societatem hominum sicut exigunt tales artes, *e visse,* scilicet ibi, *e vi lasciò suo corpo vano,* quasi dicat, ibi vixit et ibi mortua est. Appellat autem corpus vanum, quia vacuum et privatum anima, ita quod organa corporalia (3) nihil operantur; vel dicit *vano* quia exercuit semper artes magicas, quæ vere sunt vanæ (4), quia potius faciunt quasdam illusiones quam res veras, ut ipse Virgilius dicit. Et concludit Virgilius propositum principale, propter quod est facta tota ista descriptio, scilicet ut ostendat fundationem Mantuæ; et dicit, quod homines dispersim habitantes in partibus, paulatim convenientes ad locum, fecerunt ibi civitatem.

---

(1) 116, hic quasi. (2) 116, et quod. (3) S. temporalia.
(4) S. vanæ, et ostendunt quasdam illusiones.

Dicit ergo: *li homini ch' erano sparti intorno,* scilicet in partibus circumadiacentibus [1] loco, *poi s' accolsero a quel loco, ch' era forte per lo pantan ch' avea da tutte parti;* ergo propter fortitudinem loci, vel propter fertilitatem, vel propter utrumque, *fer la città sopra quell' ossa morte,* illius Manthos, *e l' apellar Mantua,* quæ dicitur quasi tuens manes, quia illa convocabat ibi umbras [2] mortuorum; unde dicit: *per colei che prima elesse il loco,* scilicet Mantho, vel dicitur Mantua quasi manu se tuens, quia est fortissima civitatum Lumbardiæ. Et dicit: *senza altra sorte.* Hoc pro tanto dicit, quia antiquitus in ædificatione urbium præcaptabatur [3] aliquod augurium, sicut patet de origine urbis apud Titum Livium, et de fundatione Athenarum apud Varonem; imo, sicut dicit Valerius in secundo, nihil apud maiores fiebat olim publice vel privatim nisi prius habito augurio. Et hoc facit ad præsens negotium, quia augurium est species divinationis. — *Già.* Hic Virgilius, descripta origine urbis suæ, tangit illius florem, ne forte quis videns infirmiorem eius statum hodie, ignoraret [4] magnificentiam primam. Mantua enim sicut est pulcra civitas, ita fuit olim opulenta, populosa et plena usque ad tempora comitum de Casalodi. Ad quod sciendum est quod Casalodi est castellum in territorio brixiensi, unde fuerunt [5] nobiles comites, olim dominatores civitatis mantuanæ, quos Pinamonte de Bonacosis, civis mantuanus, fallaciter et sagaciter seduxit. Erat siquidem [6] Pinamonte magnus et audax, habens magnam sequelam in populo. Et cum Mantuæ esset multa nobilitas odiosa et infesta populo, Pinamonte persuasit comiti Alberto tunc regenti, ut mitteret certos [7] nobiles, præci-

---

(1) 116, circumiacentibus (2) S. animas.
(3) E. præcantabatur. (4) 116, ignoret.
(5) 116, fuerunt olim nobiles comites dominatores. (6) S. enim.
(7) 116, centum nobiles suspectos extra ad certum tempus per castella.

puos [1] suspectos, extra per castella ad certum tempus, et ipse interim placaret furiam plebeiorum iratorum. Quo facto cum magno tumultu et plausu populi, ipse invasit dominium Mantuæ; et continue crudeliter exterminavit quasi omnes familias nobiles et famosas ferro, et igne, domos evertens, viros mactans et relegans, inter quos fuerunt comites de Casali Alto, illi de Ripa, illi de Arlotis, illi de Ganfarris, illi de Zanecalis, illi de Cacciadraccis, illi de Bobus, aliqui de Hipolythis, aliqui de Saviola, et alii plurimi. Dicit ergo bene: *le genti sue,* scilicet Mantuæ [2], *fur più spesse dentro;* nam audio, quod fere quinquaginta familiæ fuerunt destructæ per Pinamonte [3], *prima che la mattia,* idest [4] *materia maccia matana:* quia comes ille fuit ita simplex et credulus, ut dictum est. Aliqui tamen dicunt, quod debet dici, *la natia,* idest natio; sed isti volunt honestare dictum, sed debet dici, *la mattia recevesse inganno da Pinamonte,* qui [5] fuit astutissimus, et iste, et illi de domo sua diu regnaverunt. Et ultimo Virgilius facta longa narratione admonet autorem, ut defendat veritatem [6] præscriptam de origine Mantuæ si aliquando perverteretur ab aliquo vel ex ignorantia, vel malitia, sicut video de facto quasi in omnibus terris, sicut dixi supra de Florentia capitulo XV, similiter de aliis. Dicit ergo: *però t'assenno,* idest moneo vel doceo te, *che nulla menzogna,* idest nullum mendacium, *frodi la verità,* scilicet jam dictam, *se tu odi mai originar la mia terra altrementi,* quam dictum sit. Et Dantes confirmans dictum Virgilii ponit suam responsionem, dicens: *et io,* scilicet ego Dantes respondi, *i toi argomenti,* idest tua ratiocinia vera, *mi son sì certi e prendon sì mia fede*, quia totam fidem præbeo dictis tuis, *che gli altri*,

---

(1) E. præcipue suspectos.
(2) E. Mantuanæ.
(3) E. Pinamontem proditione sua.
(4) E. idest, *mera matteza, mattana.*
(5) 116, quia fuit.
(6) E. veritatem de origine.

scilicet ratiocinia aliorum, *mi serian carboni spenti,* idest dicta mortua et vana respectu tuorum. Sed satis dictum est de Mantua; nunc revertamur ad materiam propriam et principalem divinatorum.

Ma dimme. Ista est quarta pars generalis, in qua nunc autor regreditur ad materiam primam divinatorum; et nominat aliquos divinatores græcos et latinos, antiquos et modernos, et primo ostendit se avidum ad audiendum aliquid de aliis. Dicit ergo: *ma dimme de la gente che procede,* idest quæ sequitur alios divinatores, de quibus dictum est supra, *se tu ne vidi alcun digno di nota,* quasi dicat: velle dicere de omnibus vel de pluribus esset inutile et impossibile, tot sunt; ideo dicas tantum de quibusdam paucis notabilioribus, *che la mente mia solamente rifede,* idest refert se, vel referit, *solo a ciò,* quasi dicat: speculatio mea pro nunc solum intendit ad istam materiam divinatorum. — *Alor.* Hic autor narrat quomodo Virgilius requisitus ab eo ostenderit sibi quemdam augurem antiquum græcum. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste est Euripilus magnus et authenticus augur græcorum tempore quo iverunt (1) contra Troiam, et est argumentum quod fuerit celeberrimus augur cuius scientia utebatur sapiens Græcia, quando tota notabilitas (2) et potentia græcorum coniurans contra Troiam convenerat ad altissimum negotium exequendum (3). Euripilus (4) ergo erat qui semper captabat auguria et dabat horas temporum et petebat responsa deorum (5), sicut scribit Virgilius libro quarto Eneidos, unde græci omnia faciebant eius consilio; et cum omnes reges græcorum (6)

(1) E. iverunt ad Troiam cum exercitu, et est argumentum quod iste fuerit celeberrimus augur, sapientia cuius utebatur.
(2) S. e 116, nobilitas. — E. nobilitas, sapientia et potentia.
(3) 116, consequendum.
(4) E. Euripilus aderat.
(5) E. deorum illius temporis, sicut.
(6) E. græcorum apud Aulidem insulam convenissent, iste fuit.

essent congregati apud Aulidem insulam, iste fuit qui primo dedit signum movendi. Nunc ad literam: dicit autor: ille Virgilius, *alor mi disse,* idest tunc respondit mihi describens Euripilum ab habitu corporis et a scientia animi: *quel che porge la barba da la gota in su le spalle brune;* unde nota quod Euripilus ante perversionem habebat barbam, sicut et alii homines, naturaliter dependentem a genis (1) a quibus oritur per pectus; nunc vero habet ipsam protensam et pendentem per renes. Item nota, quod Virgilius notanter dat isti barbam, quia de more græcorum antiquissimo est nutrire barbam et crines; unde Homerus sæpe dicit: *comosi achivi,* et usque in hodiernam diem, ut in aliquibus vidi, portant barbam longam cum capillis sub capello, *fue augure,* scilicet principalis (2), *quando Grecia fu vota di maschi,* unde Homerus secundo Ilyados introducit Agamemnonem concionantem ad suos qui dicit, quod si græci essent divisi per decimas (3), et singuli troiani disponerentur ad dandum potum singulis decinis (4) non sufficerent ad servitium. Ideo dicit: *sì ch' a pena rimaser per le cune,* quia usque ad infantulos ducebant ad exercitum, quia steterunt ibi per decennium; tamen autor loquitur hyperbolice, *e diede il punto a tagliar la prima fune,* idest ad solvendam classem, *in Aulide,* insula quam describit Statius primo Achilleidos; et nominat incidenter alium famosum augurem, quando dicit: *con Calcante.* Ad cuius cognitionem est notandum, quod iste Calcas erat socius Euripili, quamvis fuisset primus augur troianorum; nam missus a rege Priamo ad templum Apollinis pro responso futurorum, cognito quod Græcia finaliter debebat esse victrix, volens consulere suæ saluti, de legato factus est transfuga et transivit ad græcos; et ideo Virgilius dat

(1) E. genis et a quibus.
(2) E. principaliter.
(3) E. per decenas.
(4) S. decimis.

ipsum in socium auguri maximo græcorum. Nam Homerus primo Ilyados dicit quod Calcas erat augur avium optimus, qui sciebat omnia præsentia, præterita et futura, qui dicebat vera græcis per divinationem quam sibi dederat Apollo; de isto Calcante dicetur adhuc capitulo XXX, ubi fit mentio de Sinone: et specificat augurem principalem per proprium nomen, dicens: *Euripilo ebbe nome;* et hoc confirmat per scripturam suam dicens: *e l'alta mia tragedia,* quia est stylus altus, et de rebus altis tractans, *el canta,* idest poetice describit, *in alcun loco,* scilicet tertio Eneidos, et dicit: *Ben lo sai tu che la sai tutta quanta,* quasi dicat: quis scit hoc melius te, qui perfecte intelligis opus Virgilii ex omni parte sui? — *Quel.* Hic Virgilius nominat alium divinatorem latinum modernum. Hic fuit Michael Scottus, famosus astrologus Federici II, de quo jam toties dictum est et dicetur; cui imperatori ipse Michael fecit librum pulcrum valde, quem vidi, in quo aperte curavit dare sibi notitiam multorum naturalium, et inter alia multa dicit de istis auguriis. Et nota, quod Michael Scottus admiscuit nigromantiam astrologiæ; ideo creditus est dicere multa vera. Prædixit enim quædam de civitatibus quibusdam Italiæ, quarum aliqua verificata videmus, sicut de Mantua prædicta, de qua dixit: *Mantua, væ tibi, tanto dolore plena!* Male tamen prævidit [1] mortem domini sui Federici, cui prædixerat, quod erat moriturus in Florentia; sed mortuus est in Florentiola in Apulia, et sic diabolus quasi semper fallit sub æquivoco. Michael tamen dicitur prævidisse mortem suam, quam vitare non potuit; præviderat enim se moriturum ex ictu parvi lapilli certi ponderis casuri in caput suum: ideo providerat sibi, quod semper portabat celatam ferream sub caputeo

---

[1] E. prædixit.

ad evitandum talem casum. Sed semel cum intrasset [1] in unam ecclesiam, in qua pulsabatur [2] ad Corpus Domini, removit caputeum cum celata, ut honoraret Dominum; magis tamen, ut credo, ne notaretur a vulgo, quam amore Christi, in quo parum credebat. Et ecce statim cecidit lapillus super caput nudum, et parum læsit cutim; quo accepto et ponderato, Michael reperit, quod tanti erat ponderis, quanti præviderat; quare de morte sua certus, disposuit rebus suis, et eo vulnere mortuus est. Nunc ad literam: dicit Virgilius, *quel altro ch' èe sì poco nei fianchi.* Hoc dicit, vel quia erat naturaliter talis, vel quia propter studium erat mirabiliter extenuatus, *fu Michel Scotto,* scilicet de insula Scotiæ, *che veramente seppe il gioco,* idest delusionem, *de le magiche frode,* quia magi, ut dictum est, faciunt illusiones non res veras; et in hoc arguitur error vulgi qui omnia quæ videt mirabilia attribuit magiæ, in quo habemus optimum exemplum de ipso Virgilio, qui dicitur magna opera fecisse magice, quod est penitus falsum, ut dicetur alibi, imo etiam de ipso Michaele Scotto audivi multa quæ reputo potius ficta quam facta. — *Vedi.* Hic Virgilius nominat alium divinatorem modernum italicum. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste fuit Guido Bonattus magnus astrologus comitis Guidonis famosi de Montefeltro; et cum ipse comes teneret Forlivium, patriam ipsius Guidonis in Romandiola, ubi erat princeps partis ghibellinæ, utebatur consilio istius astrologi in omnibus agendis. Et satis constans opinio multorum fuit, quod ipse obtinuerit [3] multas victorias contra bononienses, et alios adversarios suos, opera [4] istius Guidonis. Iste Guido quamvis reputaretur a vulgo fatuus et phantasticus, tamen sæpe mirabiliter judicabat. Nam

[1] 116, intrasset unam ecclesiam. [2] S. pulsabatur Corpus Domini.
[3] S. obtineret. [4] E. operibus.

fecit comitem Guidonem prædictum exire contra gallicos, et ipse exiens simul cum eo prædixit se vulnerandum in coxa, et sic accidit de facto. Unde statim medicavit se cum ovo et stuppa, quæ portaverat secum, sicut ipsemet Guido scribit [1] de se ipso. Nam Guido [2] fecit opus pulcrum et magnum in astrologia, quod ego vidi, in quo tam clare tradit doctrinam de astrologia, quod visus est velle docere feminas astrologiam. Tamen iste tantus astrologus male scivit præservare istum comitem in dominio suo, quia post annum perdidit totum, ut habebis infra capitulo XXVII; tamen [3] cum tota astrologia sua fuit turpiter delusus ab ignorante quodam rustico. Res jucunda narratur: nam cum comes Guido prædictus staret una die in platea Forlivii pulcerrima et magna, venit unus rusticus montanus [4], qui donavit sibi unam salmam pirorum; et cum comes diceret: sta mecum in cœna; respondit rusticus: domine, volo recedere antequam pluat, quia infallibiliter erit hodie pluvia magna. Comes miratus, statim fecit vocari ad se Guidonem Bonattum, tamquam magnum astrologum, et dixit ei: audi [5] quod dicit iste? respondit Guido: nescit quid dicat; sed expectate modicum. Ivit Guido ad studium suum, et accepto astrolabio consideravit dispositionem cœli, et reversus dixit, quod erat impossibile, quod plueret die illa. Rustico autem pertinaciter [6] affirmante dictum suum, dixit Guido: quomodo scis tu? Respondit rusticus: quia [7] asinus meus hodie in exitu stabuli vibravit caput et erexit aures; et semper, quando solitus est sic facere, certissimum est signum, quod tempus cito mutabitur. Tunc replicavit

(1) S. describit.
(2) E. Guido iste fecit.
(3) E. attamen.
(4) E. montanarius.
(5) E. audis. — S. audi quod dicit iste rusticus!
(6) E. perseveranter.
(7) 116, quia asinus meus isto mane in exitu.

Guido: posito quod sic sit, quomodo scis tu, quod ista pluvia erit magna? Dixit ille: quia asinus meus auribus erectis transvertit caput, et rotavit plus solito. Recessit ergo rusticus cum licentia comitis festinanter, timens multum de pluvia, quamvis tempus clarissimum esset. Et ecce post horam, cœpit tonare, et facta est magna effusio aquarum quasi diluvium. Tunc Guido cœpit clamare cum magna indignatione et risu: quis me delusit? quis me confudit? et fuit diu magnum solatium in populo. Et hunc honorem fecit dominus Agaso magno magistro astrologo. Dicit ergo Virgilius: *Vedi Guido Bonatti.* Et hic nota quod autor ponit istum singularem astrologum solum, quia fuit excellens, imo non habuit parem tempore suo. Unde non debes numerare Guidonem inter divinatores mechanicos, sicut quidam ignoranter fecerunt, decepti ex eo, quod autor post eum nominat divinatorem vulgarem, dicens: *e vedi Asdente.* Iste fuit quidam calcifex de Parma, qui dimissa arte sua dedit se totum divinationi, et sæpe multa ventura prædixit, quæ (1) ventura erant, cum magna hominum admiratione; credo ego potius a natura, quam a literatura, cum esset literarum ignarus; nam aliqui habent a cœlo, quod sint astrologi (2) et divinatores, quales multos sæpe vidi. Asdente ergo visus est in aliquibus esse propheta; unde inter alia audivi, quod prædixit, licet obscure, qualiter Federicus II debebat facere civitatem, quæ dicta est Victoria, contra Parmam, ubi erat (3) debellandus, sicut fuit de facto. Unde (4) dicit autor: *che vorrebbe ora,* idest de præsenti, *aver inteso al cuoio et a lo spago,* scilicet ad suendum calceos, sicut prius erat solitus facere; et dicit: *ma tardi si pente.* Quia pœnitentia tarda est in inferno; vel loquendo moraliter, quia istos,

(1) 116, quæ verificata sunt cum magna.
(2) E. astrologi quales.
(3) E. fuerat debellatus.
(4) S. Ideo.

ut jam dictum est, numquam pœnitet, nisi quando sunt omnino consumpti, vel confusi, imo raro vel numquam. — *Vedi*. Hic ultimo Virgilius tangit mulieres veneficas facientes maleficia et malias, et nullam nominatim (¹) manifestat, quia jam alibi nominaverat illam Eritonem famosissimam magam, et paulo supra nominavit Manthon filiam Thiresiæ; et quia omnis terra est plena talibus vetulis facientibus talia, dicit ergo in genere: *Vedi le triste,* scilicet fœminas, *che lasciaron l' ago,* idest artem suendi, *la spola,* idest artem texendi, *e 'l fuso,* idest artem filandi, quæ omnes sunt artes communes mulieris (²) licitæ et honestæ, et notanter dixi artem suendi, quia istæ maledictæ (³) bene utuntur acu ad illud (⁴) officium quam sit facta, ad pungendum imagines quas de cera faciunt, sicut dicit Ovidius de (⁵) Medea, et sicut tota die faciunt. Ideo bene dicit: *fecer malie con erbe.* Unde Venetiis vocantur herbariæ, *e con imago,* idest imagine. — *Ma*. Hic Virgilius claudit istam materiam, et finit capitulum ostendens quod non fit amplius tempus standi; ideo describit tempus, et vult dicere sententialiter in effectu, quod fiebat dies, quod ostendit per hoc, quia (⁶) luna erat rotunda et faciebat occasum in occidente; ergo sol ascendebat in oriente quia, quando luna est rotunda est opposita soli, et per consequens cum ipsa occidit, sol oritur, et sic colligere debes hic, quod autor stetit duobus diebus naturalibus in inferno, scilicet, duobus diebus et duabus noctibus; et nunc incœpit (⁷) tertia dies. Dicit ergo Virgilius: *ma veni omai,* scilicet ad alia videnda, quia tempus est, *che,* idest quia, *Caino e le spine,* idest luna, in qua dicitur a vulgo esse Chaim cum spi-

---

(¹) 116, nominat manifeste. (²) E. mulierum.
(³) E. maledictæ etiam utuntur acu ad aliud officium quam sit facta.
(⁴) S. aliud officium quam sit facta, scilicet ad pungendum.
(⁵) E. de illa Medea. (⁶) E. quod. (⁷) 116 e E. incipit.

nis, cum quibus vadit sacrificatum, ut plene habebis secundo capitulo Paradisi; *tiene il confine,* idest horizontem, *d'ambedue li emisperii,* scilicet superioris et inferioris; nam horizon est circulus qui intersecat ambo hemisperia, *e tocca l'onda;* hoc dicit quia sol et luna videtur (1) tangere mare quando facit (2) occasum, *sotto Sibilia,* quia Sibilia est magna et famosa civitas in occidente, ubi mare intrat terram, unde appellatur strictum Sibiliæ, *e la luna fu già tonda ier notte,* scilicet in nocte præcedentis diei (3) primæ, ita quod habebat unam diem plus rotundo. Et dicit: *Ben ti de' ricordar che,* idest quia, *non ti nocque,* imo potius profuit, quia luna est dux itinerantium de nocte, *per la selva fonda,* in qua autor reperit se, ut dictum est in principio primi capituli, et vult dicere breviter, quod luna rotunda aliquando juvit autorem in mundo, scilicet præstando sibi lucem dum itineraret (4) tempore noctis, quia ad tempus autor multum discurrit per mundum ut plura disceret et nosceret et a pluribus, experientia magistra, sicut dicit Valerius de Pithagora et Platone qui tamdiu peregrinati sunt, et tam multa peregrinando didicerunt; et forte hoc dicit, quia luna plena reddit omnia opera meliora; et concludit: *sì mi parlava et andavamo introque,* idest interim. Florentini non utuntur amplius isto vocabulo, sed perusini.

---

(1) 116 e E. videntur.
(2) E. faciunt.
(3) E. diei, ita quod.
(4) E. intraret.

CANTUS VIGESIMUS PRIMUS, *in quo tractat de eadem bulgia, ubi sunt baracterii in pegola sub titulo aliquorum lucensium et aliorum; ac etiam de decem dæmonibus cum quibus iverunt per totum locum, quos nominat separatim.*

Così di ponte in ponte altro parlando. Postquam in præcedenti capitulo autor noster tractavit et determinavit de quarta specie fraudis quæ vocata [1] divinatio punitur in quarta bulgia, nunc consequenter in isto XXI capitulo agit et tractat de quinta specie fraudis, quæ dicitur vulgariter barataria, et punitur in quinta bulgia. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales: in prima quarum autor describit pœnam [2] baratariorum in generali. In secunda describit unum dæmonem portantem unum spiritum modernum valde infamatum isto vitio cum gente suæ patriæ, ibi: *Mentr' io.* In tertia ostendit quomodo Virgilius et ipse pervenerint [3] ad manus officialium ministrorum istius bulgiæ cum magno periculo, tamen sine damno, ibi: *Lo bon maestro.* In quarta et ultima ostendit quomodo fuerit eis ostensa via et data scorta a duce dæmoniorum, ibi: *Poi disse.* Ad primam ergo dico quod autor describit pœnam baratariorum in generali; et primo continuans se ad præcedentia dicit: *Noi venimmo così di ponte in ponte,* idest de ponte quartæ bulgiæ ad pontem quintæ, *parlando altro,* idest alia occurrentia circa istam materiam divinationis, pro qua habenda magna ingenia hominum multum laboraverunt et tot artes invenerunt; ita sunt avidi scientiæ futurorum, unde unus procedit per astrologiam,

(1) E. vocata est divinatio et punitur. (2) E. pœnam talium in generali.
(3) E. pervenerunt.

alius per geomantiam, alius per nigromantiam, et ita animos (1) hominum impleverunt magnis erroribus; sed omnia sunt omittenda tamquam superflua, inutilia (2), ideo dicit: *che la mia comedia* (3), idest meus liber vulgaris, *cantar non cura,* idest poetice describere, quia satis multa breviter decantavi de materia abundantissima, et ideo non curat quia trahebatur ad aliam materiam, *e tenevamo el colmo,* quia jam perveneramus (4) ad medium pontis, *quando noi ristemmo,* idest firmavimus nos ibi, quia, ut videre potes, quasi semper de medio pontis respicit pœnam omnis bulgiæ, quia locus est magis idoneus ad spectandum: unde dicit: *per veder l' altra fessura di Malebolge,* idest quintam vallem cavatam, *e gli altri pianti vani;* idest alias pœnas novas, varias, quia planctus eorum fit frustra cum nihil prosit eis, et dicit: *e vidila mirabilmente scura.* Hoc notanter dicit, quia cum omnes aliæ bulgiæ superiores sint obscuræ de natura loci, ista erat summe obscura ratione sui, ratione (5) pœnæ, quæ est in pice nigerrima, et ratione officialium, qui sunt diaboli nigerrimi, ut statim dicetur. — *Quale.* Hic autor describit pœnam baratariorum per unam nobilissimam comparationem. Ad cuius claram intelligentiam est hic solicite advertendum, quod autor dat istis convenientissimam pœnam. Fingit enim istos cruciari in valle plena picis ardentis et bullientis, et hoc figuraliter multis rationibus. Primo quidem, quia pix est nigra et obscura, ita barataria est infamis et denigrata (6) valde; secundo, quia pix est tenax, viscosa et glutinosa, ita barataria, quæ est fundata super avaritia, et qui est infectus ea, numquam scit recedere ab ea; tertio quia pix in-

(1) 116, animos impleverunt. (2) E. subtilia.

(3) E. *comedia cantar non cura,* idest meus liber vulgaris, et sic cantatur quia poetice scriptus est, et satis multa breviter decantavit.

(4) E. veneramus. (5) E. et ratione.

(6) E. denigrat valde.

quinat omnes tangentes (1); unde Salomon: *Qui tetigerit picem inquinabitur* (2) *ab ea.* Et ista barataria est una pix ita contagiosa, quod si sanctus intraret curiam et officia curiæ efficeretur baratarius, sicut de facto in pluribus vidi; quarto quia illud quod est sub pice non apparet, nec videri potest, ita barataria fit in occulto et furtive. Hanc autem pœnam autor manifestat per comparationem (3) pulcerrimam de arsenatu Venetiarum (4), qui est locus magnus, capax, ubi fiunt navigia et omnia organa et instrumenta necessaria et apta ad ipsa; unde ibi ad liniendas naves bullit pix multa in calidariis. Nunc ad literam: ordina sic ipsam: *una pegola spessa,* ideo obscura, *che 'nviscava la ripa d' ogni parte,* quia scilicet ubique viget barataria, *bollia là giuso,* scilicet in fundo vallis, *non per foco,* quia ibi non erat ignis naturalis, *ma per divina arte,* idest ordine divinæ justitiæ, quæ ita mirabiliter coquit baratarios si bene cernerent pœnam suam, *tal quale la tenace pece bolle d' inverno,* intellige præcipue, quia omni tempore pix bullit ibi, sed magis in hyeme, quia tunc non est tempus bene aptum navigationi, ideo tunc magis intendunt facere et reparare (5) navigia, cum quibus postea possint navigare tempore æstivo apto navigationi, *a riparar i lor legni non sani* (6), quæ sunt fracta et discompaginata; ideo dicit: *che non ponno navicar, in quella vece,* propter tempus ineptum. Et specificat et distinguit diversa studia diversorum operariorum quæ (7) fiunt ibi, dicens: *chi fa suo legno nuovo,* quia fabricat navim novam, *e chi ristoppa,* idest, iterum stipat et claudit cum stuppa, *le coste a quel che più viaggi fece,* scilicet navigio vetusto,

(1) E. eam tangentes.
(2) S. e E. coinquinabitur.
(3) 116, comparationem manifestam de arsanatu.
(4) E. Venetorum.
(5) S. reaptare.
(6) E. e S. *sani,* scilicet quæ sunt.
(7) E. e 116, qui sunt ibi, dicens.

quod est multum dissolutum [1], quia diu discurrit per mare, *chi ribatte da proda,* idest ab anteriori parte navis, *e chi da poppa,* idest a posteriori parte, *altri fa remi et altri volge sarte;* idest facit funes; *chi rintoppa terzeruolo et artimone:* duo genera velorum. Et hic nota, lector, ut videas quantum sit propriissima comparatio prædicta, et mirabilem phantasiam autoris, qui locum istum tam curiose descripsit [2], quem sæpe bene notaverat in civitate Venetiarum, et per ipsum nobis figuraliter repræsentat generale et universale vitium baratariæ. Ergo per arsenatum intellige omnem curiam [3] comitatum, sive dominorum, et maxime mihi videtur vidisse optimum exemplum in curia papæ. Pix bulliens in arsenatu est barataria quæ fervet in ea maxime tempore hyemis, idest adversitatis, quia tunc maxime baratarii laborant, et procurant sibi gratiam et favorem dominorum et populorum quando habent ventum contrarium, nec possunt prospere navigare, ut sic postea, adveniente vere prosperitatis, habeant eorum ligna bene firmata et fortia contra omnes impetus undarum insurgentium. Et sicut in arsenatu sunt [4] tot tam varia opera et exercitia hominum, ita in curia tam multa et tam diversa studia et officia hominum, qui omnes in gradu suo sunt solliciti ad baratandum aliquid a magno magistro usque ad minimum mercenarium; ideo bene fingit autor quod aliquis facit lignum novum, quia aliquis de novo cum magna arte procurat intrare curiam, et habere aliquod bonum officium cum quo possit navigare; alius vero nititur reficere et reparare lignum vetus, quod habet plures rimas et foramina ne absorbeatur ab aqua; ita

(1) 116, desolatum.
(2) E. describit, quem sæpe notaverat.
(3) 116, curiam sive communitatem dominorum.
(4) S. sunt tam varia. — E. sunt tot et tam varia.

quinat omnes tangentes (1); unde Salomon: *Qui tetigerit picem inquinabitur* (2) *ab ea.* Et ista barataria est una pix ita contagiosa, quod si sanctus intraret curiam et officia curiæ efficeretur baratarius, sicut de facto in pluribus vidi; quarto quia illud quod est sub pice non apparet, nec videri potest, ita barataria fit in occulto et furtive. Hanc autem pœnam autor manifestat per comparationem (3) pulcerrimam de arsenatu Venetiarum (4), qui est locus magnus, capax, ubi fiunt navigia et omnia organa et instrumenta necessaria et apta ad ipsa; unde ibi ad liniendas naves bullit pix multa in calidariis. Nunc ad literam: ordina sic ipsam: *una pegola spessa,* ideo obscura, *che 'nviscava la ripa d' ogni parte,* quia scilicet ubique viget barataria, *bollia là giuso,* scilicet in fundo vallis, *non per foco,* quia ibi non erat ignis naturalis, *ma per divina arte,* idest ordine divinæ justitiæ, quæ ita mirabiliter coquit baratarios si bene cernerent pœnam suam, *tal quale la tenace pece bolle d' inverno,* intellige præcipue, quia omni tempore pix bullit ibi, sed magis in hyeme, quia tunc non est tempus bene aptum navigationi, ideo tunc magis intendunt facere et reparare (5) navigia, cum quibus postea possint navigare tempore æstivo apto navigationi, *a riparar i lor legni non sani* (6), quæ sunt fracta et discompaginata; ideo dicit: *che non ponno navicar, in quella vece,* propter tempus ineptum. Et specificat et distinguit diversa studia diversorum operariorum quæ (7) fiunt ibi, dicens: *chi fa suo legno nuovo,* quia fabricat navim novam, *e chi ristoppa,* idest, iterum stipat et claudit cum stuppa, *le coste a quel che più viaggi fece,* scilicet navigio vetusto,

---

(1) E. eam tangentes.
(2) S. e E. coinquinabitur.
(3) 116, comparationem manifestam de arsanatu.
(4) E. Venetorum.
(5) S. reaptare.
(6) E. e S. *sani,* scilicet quæ sunt.
(7) E. e 116, qui sunt ibi, dicens.

quod est multum dissolutum [1], quia diu discurrit per mare, *chi ribatte da proda,* idest ab anteriori parte navis, *e chi da poppa,* idest a posteriori parte, *altri fa remi et altri volge sarte;* idest facit funes; *chi rintoppa terzeruolo et artimone:* duo genera velorum. Et hic nota, lector, ut videas quantum sit propriissima comparatio prædicta, et mirabilem phantasiam autoris, qui locum istum tam curiose descripsit [2], quem sæpe bene notaverat in civitate Venetiarum, et per ipsum nobis figuraliter repræsentat generale et universale vitium baratariæ. Ergo per arsenatum intellige omnem curiam [3] comitatum, sive dominorum, et maxime mihi videtur vidisse optimum exemplum in curia papæ. Pix bulliens in arsenatu est barataria quæ fervet in ea maxime tempore hyemis, idest adversitatis, quia tunc maxime baratarii laborant, et procurant sibi gratiam et favorem dominorum et populorum quando habent ventum contrarium, nec possunt prospere navigare, ut sic postea, adveniente vere prosperitatis, habeant eorum ligna bene firmata et fortia contra omnes impetus undarum insurgentium. Et sicut in arsenatu sunt [4] tot tam varia opera et exercitia hominum, ita in curia tam multa et tam diversa studia et officia hominum, qui omnes in gradu suo sunt solliciti ad baratandum aliquid a magno magistro usque ad minimum mercenarium; ideo bene fingit autor quod aliquis facit lignum novum, quia aliquis de novo cum magna arte procurat intrare curiam, et habere aliquod bonum officium cum quo possit navigare; alius vero nititur reficere et reparare lignum vetus, quod habet plures rimas et foramina ne absorbeatur ab aqua; ita

(1) 116, desolatum.
(2) E. describit, quem sæpe notaverat.
(3) 116, curiam sive communitatem dominorum.
(4) S. sunt tam varia. — E. sunt tot et tam varia.

aliquis habens officium jam antiquatum perforatum linguis et insidiis multorum, in quorum scopulos incidit, scilicet (1) invidiam, detractionem, conatur replere loca læsa cum stuppa, idest cum divitiis, cum donis, et aliis multis modis nititur se tegere et palliare, ne tempestas aliqua via intret navim suam, et faciat naufragium cum amissione æris et personæ. Et (2) bene dicit quod alius repercutit a prora, alius a puppi, idest, quod aliquis providet fortunæ suæ ab anteriori et posteriori, quia (3) reparat se et armat per rectum et indirectum; unus intrat per portam anteriorem, alius per posteriorem; alius facit remos, quia vult navigare juxta litus, ut sit tutior, et non audet intrare profundum pelagum, quia non curat vel non potest intrare consilium secretum; et aliquis texit funes, idest ordinat fraudes et laqueos, quibus fallat et capiat alios, sicut alibi habuisti, quia corda significat fraudem, cum qua Virgilius cepit Gerionem supra; et aliquis facit diversa vela, et bene dicit, quia aliquis vult navigare in alto in curia, ideo tendit sursum velum, idest ingenium suum ad capiendum multum de vento, idest de favore populi, vel domini sui; qui favor rite (4) est similis vento, quia nunc extollit hominem in altum, nunc deiicit in profundum; et aliquis vult navigare cum mediocri velo, aliquis contentatur minimo, et aliquis utitur omnibus velis. In arsenatu etiam fiunt alia multa opera, quæ autor prætermittit gratia brevitatis, sicut, quia (5) sunt ibi multi fabri qui continuo faciunt multa (6) arma et armamenta, et ita in curia, quia tractant fabrilia fabri: et ista sufficiant. — *Io.* Hic autor descripta pice, nunc tangit formam et qualitatem ipsius picis; et dicit breviter quod nihil videbat in illa, nisi bullas quæ pullulabant

(1) S. e E. scilicet in invidiam, in.
(2) 116, Ideo bene dicit.
(3) E. quia scilicet temperat se et armat.
(4) 116, recte est similis.
(5) E. qui adsunt ibi.
(6) S., E. e 116, diversa arma.

in superficie exteriori propter bullorem. Dicit ergo: *Io vedea lei,* scilicet picem obscuram, *ma non vedea in essa ma' che le bolle,* idest, nisi solum bullas desuper, sicut videmus aliquando in aqua quando pluit tempore æstivali, ideo dicit: *che 'l bollor levava,* quasi dicat autor: non poteram videre baratarios latentes sub pice, sed sonabula (1) tantum. Et hic nota, quod per hoc autor figurat quod quantumcumque barataria fiat celate, velate et colorate, tamen manifestatur per murmura hominum; dicit unus alteri tacito susurro: ipse fuit lucratus mille florenos; dicit alius: tu (2) nescis quod ipse recepit ab utraque parte, et utramque baratavit; dicit tertius: tacete, quia possetis vos lucrari malum annum, et ita de aliis (3), et dicit: et videbam eam, *gonfiar tutta,* idest inflari (4) et elevari sursum, *e riseder,* idest residere, *compressa,* idest deorsum depressam (5) stare. Ad huius literæ intelligentiam est notandum, quod aliter se habet bullor in aqua, aliter in pice; nam aqua propter calorem ignis pro parte vertitur (6) in aerem, et ille aer egreditur per aquam non conversam gurguliando usque ad extremam superficiem, et libere exalat; sed in pice humiditas propter calorem ignis bene convertitur in aerem, et bene venit gurguliando usque ad extremam superficiem; sed quia non potest plene exalare propter viscositatem picis, convertitur (7) in humidum, et hoc est quod autor tangit in litera.

Mentr' io. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit in speciali unum diabolum portantem unum spiritum singulariter infamatum isto vitio cum gente suæ patriæ. Et breviter dicit quod ipso stante in culmine

---

(1) 116, sonabilia.
(2) E. tu nescis quia recepit.
(3) E. de aliis; dicit ergo.
(4) E. inflammari.
(5) E. pressam.
(6) E. se vertitur.
(7) 116, reconvertitur.

pontis inclinato ad respiciendam istam pessimam picem, veniebat unus dæmon currendo furiose per pontem, portans unum magnum baratatorem, ut ipsum præcipitaret deorsum sub picem, et assignaret aliis dæmonibus reponendum cum aliis et bene custodiendum; propter quod Virgilius videns istum dæmonem venire, subito cepit Dantem et retraxit de loco ubi stabat, ut cederet illi maledicto. Dicit ergo: *lo duca mio,* scilicet Virgilius tamquam bonus dux volens obviare periculo venienti, *mi trasse a sè del loco ov' io stava;* et hoc fecit, quia ille dæmon erat appulsurus ad medium pontis, et de illo loco directe deiecturus onus suum deorsum, *dicendo: guarda, guarda,* quasi dicat: fili mi, cave ne cadas in manus istorum baratariorum, quia esset melius cadere in manus diabolorum; et hoc dixit, *mentre io mirava fissamente là giù;* idest, interim dum attente contemplabam istam fraudem baratariæ. Et ostendit quomodo subito ad verbum Virgilii ipse simul et semel respexerit et fugerit, unde dicit: *Alor mi volsi come l' uom cui tarda,* idest differt, *di veder quel che li conven fugire,* scilicet aliquid terribile, quia scilicet modicum respicit, uno instanti (1) videt et fugit, sicut gratia exempli: duo sunt socii stantes in culmine unius pontis, quorum alter respicit aquam inferius, alius (2) vero videns unum venire furibundum cum ense (3) nudo in manu capit subito socium, et clamat: cave, cave; et ille territus statim fugit timendo, et timet fugiendo. Ideo dicit: *e cui paura subita sgagliarda,* idest exterret et privat probitate, si (4) talis sit de se bene probus et audax, *che per veder non indugia il partire,* imo videre et fugere est unum et idem in eo. — *E vidi.* Nunc autor describit subtiliter istum dæmo-

---

(1) E. imo in instanti.
(2) E. alter vero.
(3) E. ense evaginato.
(4) S. etiam si talis.

nem, et dicit, quod erat niger, agilis, volatilis, unguatus [1] portans unum peccatorem in humero [2]. Ad cuius artificiosæ fictionis intelligentiam debes notare, quod iste dæmon est unus aliquis officialis magnus magister baratariæ vel minister eius. Sicut enim diabolus iste ponitur niger, ita talis est infamis [3] et denigratæ vitæ; et [4] sicut agilis et volatilis, ita iste promptus et præsto ad baratariam in qua non negligit, nec dormit; et sicut dæmon est unguatus, ita iste habet manus unguatas aptas ad rapiendum; et sicut diabolus est malitiosus, ita baratarius divisit malitiam cum diabolo, et obtinuit [5] maiorem partem. Ad propositum ergo, sicut diabolus portabat peccatorem ad picem, ita iste portabat [6] alios ad baratariam, et per consequens ad pœnam, quia ad culpam inseparabiliter sequitur pœna [7]. Nunc ordina sic literam. Dicit autor: *e vidi un diavol nero venir correndo,* lætus præda [8], quam portabat, *dietro a noi su per lo scoglio:* idest, pontem. Et ostendit eius terribilitatem exclamans: *Ahi!* idest dolenter refero, *quanto egli era fiero nell' aspetto,* quia terribilis visu, *e quanto mi parea nell' atto acerbo,* quia actus erat crudelior quam aspectus; et bene dicit, quia baratarius est ferus et crudus [9] in ipso actu baratariæ, qui [10] vendit et revendit causam pauperis, pupilli et viduæ pro modica pecuniola et pro parvo denariolo sine aliqua misericordia. Et dicit: *con l' ali aperte e sopra piè leggiero,* veniebat ita velociter [11], quia fecerat prædam magnam et expectabat facere maiorem, quia invenerat terram, in qua erat copia baratantium; unde describit continuo prædam. Et quia litera est obscura non minus quam ipsa pix, debes scire,

(1) 116, ugnatus.
(2) E. in humeris.
(3) E. infestus.
(4) 116, S. e E. et sicut diabolus agilis.
(5) E. retinuit.
(6) 116, portat.
(7) E. pœna debita. Nunc.
(8) 116, præda prædicta quam.
(9) 116, crudelis.
(10) 116, qui revendit et pervertit causam.
(11) E. leviter.

quod autor vult sententialiter dicere, quod iste dæmon portabat unum peccatorem in spatula, et corpus pendebat per renes cum capite deorsum, et diabolus cum unguibus suis tenebat eum [1] ante per pedes, sicut recte macellarius portat animal jugulatum nigrum ad macellum ad excoriandum et vendendum ipsum. Nunc construe literam, in qua est amphibologia, idest dubia locutio: *un peccator,* scilicet, baratarius, *carcava l' umero suo,* scilicet illius dæmonis, *ch' era acuto e superbo,* idest altus rectus, *con ambo l'anche,* intellige quod anchæ peccatoris firmabantur super spatula dæmonis, *e quei,* scilicet dæmon, *tenea ghermito il nerbo de' pie',* sicut recte accipiter tenet qualeam. Ghermire enim est verbum avis rapientis, ideo bene datur hic [2] diabolo qui repræsentatur in figura avis cum alis et unguibus; unde infra dicetur: *malvase uccello.* — *Del nostro.* Hic autor ostendit quomodo diabolus assignaverit [3] illum spiritum sociis suis manifestans unde portaverit [4] ipsum, et qualiter volebat statim reverti pro aliis ad terram illam. Construe sic literam, quæ est valde intricata: ille diabolus: *disse del nostro ponte,* idest stans in ponte quinto in quo nos eramus, quem autor appellat nostrum, quia [5] tunc stabant ibi ad considerationem istius [6] baratariæ, et ibi habebant locum. Et ecce quod [7] dixit: *o Malebranche,* vocabat iste diabolus alios qui erant inferius, ut traderet eis istum spiritum ponendum sub picem, et ideo clamabat: *o Malebranche,* idest, o diaboli habentes malas branchas, quia habent ungues curvatas ad rapiendum; et vere sunt malæ branchæ, unde væ illis qui perveniunt ad manus eorum. Et hic nota quod falsum est illud quod

---

(1) 116, ipsum.
(2) 116, huic diabolo.
(3) 116, assignaverat.
(4) 116, portaverat.
(5) 116, quia pro tunc.
(6) S. illius.
(7) 116, quid dixit.

aliqui dicunt hic, scilicet quod Malebranche est nomen alicuius dæmonis particularis, tum quia loquitur in plurali cum dicit: *mettetel sotto,* similiter dicit paulo infra, *ma i demonii,* tum quia sequeretur quod dæmones istius bulgiæ essent plures; unde videbis quod in fine capituli vocabuntur omnes proprio nomine, et non nominabitur Malebranche. Et denominat ipsum spiritum a civitate sua dicens, quod est civis lucanus; unde dicit: *ecco un degli anzian,* idest de rectoribus qui vocantur antiani Lucæ, sicut etiam Bononiæ, sed Florentiæ appellantur priores: et dicit: *di santa Zita,* quia Zita fuit fœmina sancta in civitate lucana, quæ multis claruit miraculis in vita et post mortem, cuius corpus adhuc integrum colitur ibi cum magna veneratione. Et hic nota, quod autor in isto capitulo punit (1) solum baratarios, qui barataverunt suum commune, sicut patet ex verbis literæ. Nota etiam quod civitas lucana habet egregios baratatores in communi, licet habeat communiter legales, mercatores. Fingit ergo autor quod iste portatus a dæmone erat unus præcipuus officialis ex illis. Ergo dæmon præsentans istum (2), dicit aliis: *mettetel sotto,* idest sub picem ad coquendum, *ch' io torni per anche,* idest ut vadam pro aliis antianis et officialibus, *a quella terra che n' è ben fornita,* quasi dicat: cum omnis terra sit bene fulcita baratatoribus, ista potissime; unde dicit: *ogn' uom v' èe barattier,* intellige ex illis qui faciunt facta communis in curia illa, *fuor che Bonturo.* Data regula generali, facit exceptionem specialem (3), dicens: quod unus singularis nomine Bonturus excluditur. Et hic nota, quod autor potius includit istum in numerum aliorum, quia loquitur ironice, quasi dicat: Bonturus est summus. Nam Bonturus fuit archibaratarius, qui sagaciter ducebat et

---

(1) 116, ponit solum. (2) 116, illum dicit istis. (3) S. singularem, dicens.

versabat illud [1] commune totum, et dabat officia quibus volebat; similiter excludebat quos volebat. Unde dum semel ivisset legatus ad papam Bonifacium, Bonifacius, magnus marescalcus hominum, qui cognoscebat laqueos eius, cepit eum per brachium, et vibravit. Cui ille respondit: *tu quassasti dimidiam Lucam;* et iste erat forte portatus nunc a dæmone. Audivi tamen aliquos dicentes, quod Bonturus [2] fuit bonus in communi, et quod autor loquitur proprie; quod non credo, quia Bonturus fuit bonus baratator; et bene convenit sibi nomen, quia bene sciebat obturare unum foramen vacuum; et bene sciebat tegere unam maculam infamiæ. Et audi si sunt boni baratarii Lucæ, quia *ita vi si fa del no per li denari,* idest, quod de negatione fit ibi affirmatio, quasi dicat, quod de falso fit ibi verum pro pecunia. Sed certe ista regina pecunia habet istam potentiam, et maiorem non solum in parva curia Lucæ, sed in maxima [3] curia romana. Et finaliter ostendit, qualiter [4] dæmon vocatis sociis, et recommendato sibi isto magno antiano, deiecit ipsum inter branchas eorum, et subito recessit ad quærendam novam prædam ad dictam civitatem, secundum quod fuerat protestatus. Nunc dicit ergo: *là giù il buttò,* idest ille dæmon præcipitavit illum spiritum deorsum, *e se volse per lo scoglio duro,* idest revolvit se per pontem, qui erat asper [5], quia ista materia barataria est nimis difficilis, et forti phantasia oportuit autorem uti ad manifestandam illam nobis: et ostendit festinantissimum recessum istius [6] dæmonis per unam comparationem pulcram dicens: *e mastino,* qui est magnus canis, *non fu mai sciolto,* idest, promptus, expedi-

---

(1) S. dictum commune.
(2) S. Bonturus fuit homo bonus. — E. Bonturus iste fuit bonus.
(3) 116, maxima romana.
(4) E. quomodo.
(5) E. austerus.
(6) S. e E. illius dæmonis.

tus [1] *a seguitar lo furo,* idest, ad persequendum furem, *con tanta fretta,* idest cum tam avida celeritate, cum quanta, supple, festinantia, ille dæmon fuit solutus ad currendum et redeundum pro uno alio antiano sanctæ Zitæ; et est comparatio propria, quia mastinus facit prædam violenter, fur vero fraudulenter et in obscuro. — *Quei.* Hic autor ostendit quomodo ille deiectus se habuerit, et dæmones contra eum. Dicit ergo: *Quei s' atuffò,* idest ille spiritus præcipitatus mersit se sub picem, *e tornò col volto su,* idest supra [2] aquam. Et in hoc recte tangit actum natantis, qui deiectus in aquam cadit cum capite deorsum, deinde revertitur cum facie sursum si scit natare [3]; iste autem noverat longa arte et experientia natare in pice, in [4] aqua vero clara non; et tangit quomodo dæmones habuerint [5] se ad istum primo quantum ad verba; unde dicit: *ma i dimon ch' avian coperchio del ponte,* idest, qui stabant cooperti sub ponte, quia semper in occulto faciunt baratarias, *gridaro: qui non ha loco il santo volto;* quasi dicat: hic non est opus voto vel prece, quia non potes recurrere ad vultum sanctum, sicut solent facere lucenses in rebus adversis. Ad cuius rei intelligentiam est sciendum [6], quod, sicut reperi in quadam scriptura apocrypha, cum quidam venerabilis episcopus, nomine Gualfredus, dum gratia devotionis ivisset [7] Hierusalem, et loca sancta reverenter visitaret, vidit in somno angelum dicentem [8], ut exquireret sacratissimum [9] vultum Salvatoris in domo cuiusdam Seleucii viri christianissimi, adhærente domui suæ; quoniam Nicodemus post resurrectionem et ascensionem Christi, flagrans eius amore, effigiavit [10] sibi imaginem

(1) E. et expeditus.
(2) 116, supra picem.
(3) S. natare in pice. Iste.
(4) S. e E. in aqua vero, non.
(5) E. habuerunt se ad istum; et primo.
(6) 116, sciendum breviter, quod.
(7) S. ivisset visitatum Hierusalem et loca sancta, reverenter, vidit in somnio.
(8) E. dicentem sibi ut.
(9) S. e E. sanctissimum.
(10) E. assignavit.

unam visibilem [1] illius, quem tenebat [2] sculptum in corde, considerata omni forma et proportione membrorum; ideo vultus appellatur, quia facies hominis dat cognitionem eius. Nicodemus autem reliquit hanc imaginem cuidam nomine Isacar, qui propter metum judæorum illam occultissime reconditam quotidie venerabatur, et successive pervenit ad manus multorum hæredum. Episcopus [3] ergo, narrata visione cæteris [4], accessit ad Seleucium, a quo magna arte et ingenio difficillime obtinuit dictam imaginem, quam cum summa veneratione detulit usque ad litus civitatis Joppe, quæ postea dicta est Achon [5]. Ibi divinitus oblata navis cooperta et ornata, sine ope remorum vel velorum acceptam [6] in se imaginem appulit ad portum civitatis Lunæ, de qua dictum est in capitulo præcedenti. Lunenses stupefacti miraculo navim aggressi, numquam illam attingere potuerunt. Tunc quidam episcopus lucanus nomine Johannes, admonitus ab angelo, accessit ad portum lunensem, cui navis sponte se obtulit. Et sic tantum donum, cum summa veneratione omnibus concurrentibus, portatum est Lucam, et ibi depositum in ecclesia sancti Martini, ubi multa miracula fecit et facit, ut dicunt lucenses. Tu de hoc crede quod vis, quia hoc non est de articulis fidei. Lucenses ergo habent de more facere orationes et oblationes ad istum vultum sanctum, præcipue quando indigent succursu sancti. Ideo isti dæmones nunc improperabant isti, quod non erat amplius locus hic vultui sancto; et assignat causam huius, quia non est hic spes refrigerii [7], sicut in fluvio lucano; ideo dicunt: *qui si nuota altrimenti che nel Serchio.* Serchius [8] enim est fluvius luca-

(1) S. similem illius. (2) E. tenebat in corde.
(3) S. Episcopus vero. — E. Episcopus, narrata.
(4) 116, sociis, accessit. (5) E. Acon; ubi divinitus.
(6) E. accepta in se imagine accessit ad portum.
(7) E. refugii. (8) E. Serchius est.

nus, qui descendens ex altis montibus, labitur juxta mœnia civitatis cum impetu. Et hic nota quod dæmon pater mendacii hic dicit magnam veritatem, quia certe aliter natatur ibi quam in flumine Serchio, quia (1) apud Lucam est fluvius labilis, sed in ista bulgia est stagnum pigrum (2); ibi est aqua clara, pura; hic pix nigra et obscura; ibi natatur ad solatium, hic ad supplicium; ibi est aqua recens frigida in qua juvenes relevantur (3) tempore caloris, hic pix fœtida, calida, in qua isti in ardore coquuntur; ibi natatur voluntarie, hic coacte; ibi ad horam, hic perpetuo. Et minantur sibi peiora, dicentes: *però non star soperchio sopra la pegola,* idest non venias supra picem, *se tu non vuoi di nostri graffi.* Et hic nota, quod autor dat arma convenientia (4) istis, scilicet uncos et uncinos, quia semper sunt armati et parati ad rapiendum et trahendum ad se. —*Poi.* Hic autor ostendit quomodo dæmones se habuerint (5) versus spiritum prædictum quantum ad facta, dicens: *poi l'addentar,* idest cum dentibus graffiorum ceperunt eum, et dicit: *con più di cento raffi,* et ponit numerum pro numero, quia non erant nisi decem dæmones; vel dicatur, quod omnis graffius habebat (6) decem raffos, sive dentes, vel dic quod sæpe repetebant ictus, ita quod unus potuisset centies et pluries ferire eum. Hoc autem fecerunt quia ille ad minas eorum nolebat intrare omnino aquam (7), sed tenebat vultum desuper ad aliqualem respirationem; ideo dicit: *disser: el conven che tu balli coverto,* idest, oportet quod tu nates totus sub pice, ita quod de te nihil appareat, quasi dicat: tu alios baratasti, et hic barataberis. Unde dicit: *sì che accaffi,* idest, apprehendas et (8) rapias alienum, *nascosamente,* scilicet

(1) E. qui apud. (2) E. nigrum. (3) E. relavantur.
(4) E. istis convenientissima. (5) S. e E. habuerunt. (6) E. habet decem.
(7) 116, picem. (8) 116, et sic rapias.

occulte baratando; nam istud verbum vulgare, *accaffare* [1], est aliquid festinanter et latenter occupare [2]: et specificat violentam submersionem factam de isto per comparationem claram, et dicit breviter quod [3] isti dæmones submerserunt istum sub picem bullientem, sicut coqui submergunt carnem [4] sub aquam bullientem. Unde dicit: *i cuochi fanno attuffar,* idest, submergi, *la carne in mezzo la caldaia ai soi vassalli,* ministris coquinæ, *con gli oncini,* et ecce quare; *perchè non galli,* idest, supernatet more gallæ, et vadat ad summum, *non altrementi,* quasi dicat: imo similiter sicut dæmones fecerunt. Et hic nota quod ista solatiosa comparatio est valde conveniens et propria, quia sicut coqui cum uncinis faciunt carnes coquendas stare sub aqua bulliente, ut melius coquantur et non recipiant fumum; ita isti magni magistri coquinæ faciunt cum graffis ferreis animas cruciandas stare sub pice bulliente, ut magis coquantur, et ne fumus infamiæ exeat de pice, idest barataria, et inficiat aerem, scilicet ne divulgeretur [5].

Lo bon maestro. Ista est tertia pars generalis, in qua autor ostendit quomodo Virgilius et ipse pervenerint inter istos sine offensione, sed cum magno periculo et ingenio. Et primo Dantes fingit quod Virgilius primo vadat ad explorandum si poterat habere passum liberum, et fecit stare Dantem latentem. Hoc autem fingit ut ostendat, quod cum magna arte sit eundum per curiam barateriorum, maxime quando homo est inexpertus et non novit eorum latentes insidias. Virgilius autem habebat experientiam huius loci, Dantes vero non; ideo dicit: *Lo bon maestro,* scilicet Virgilius qui cautius agebat ubi maius periculum imminebat [6], *mi disse: giù t' aguata,*

(1) E. *acciaffi.*
(2) E. arripere.
(3) 116, quod ita dæmones.
(4) E. carnes.
(5) S. divulgetur.
(6) 116, inveniebat.

vel secundum aliam literam, *qui,* idest, absconde te, *dipo un scheggio* (1), idest, post unum saxum huius (2) pontis, *che t' aia,* idest, quod habeat tibi, *alcun schermo;* idest, reparaculum (3) et scutum, *acciò che non si paia che tu ci sii,* quasi dicat: fili mi, tu nescis adhuc quomodo (4) eatur per talem partem; permitte me præcedere, et prætentare quid possimus facere, quia sum bene expertus; ideo exhortatur eum contra timorem quem cito habebit, dicens: *e non temer tu per nulla offension che a me sia fatta,* quasi dicat: quamvis videres me male tractari, non pavescas, et ecce causam, *ch' io ho le cose conte,* quasi dicat: bene novi fraudes istorum baratariorum (5). Et ostendit quomodo, cum dicit: *et altra volta fui a tal baratta,* idest, alias fui ad talem baratariam. Et hic nota quod Virgilius habet (6) hic respectum ad illam fictionem, quam fecit supra capitulo VIIII, quando dixit autori quod coniuratus ab illa Erithoe (7) cruda vidit totum infernum usque in fundum; post mortem ergo vidit istum locum alias. Sed historice vult dicere Virgilius quod jamdudum fuit alias in simili loco, quia scilicet in vita cum esset junior, quia Virgilius spoliatus campis suis pervenit ad curiam illam maximam felicissimi Augusti (8), et antequam posset obtinere gratiam Augusti habuit ire per tempus per manus curialium et officialium, quorum aliqui inveniuntur sæpe baratarii, a quorum fraudibus non potest sibi cavere etiam justus dominus qualis fuit ipse Augustus. Unde Dioclitianus probissimus imperator dicebat: *bonus, sanctus, optimus venditur imperator.* — *Poscia.* Hic autor ostendit quomodo Virgilius iverit solus, et quomodo dæmones se habuerint (9) ad eum. Unde di-

(1) E. e 116, *scoglio.*
(2) S. istius.
(3) S. aliquod reparaculum.
(4) S. quo eatur.
(5) 116, baractantium.
(6) E. habuit respectum.
(7) 116, Hericone.
(8) E. Augusti imperatoris.
(9) 116 e E. habuerunt.

cit: *poscia passò di là dal co' del ponte;* idest Virgilius ivit usque ad finem pontis quinti, in quo eramus, *e mister li fu d' aver sicura fronte,* idest, esse audacem ([1]) et intrepidum, quia *audaces fortuna juvat,* sicut dicit ([2]) ipse Virgilius, et vulgariter dicitur: qui habet frontem se maritat, *com' ei giunse su la ripa sesta,* quæ est finis quintæ bulgiæ et principium sextæ. Et ostendit periculum subito emergens, propter quod oportuit habere securam frontem, per pulcram comparationem et claram; et dicit breviter, quod illi dæmones irruerunt in Virgilium furibunde sicut canes faciunt contra pauperem quando firmat se ad ostium ([3]) et petit panem amore Dei. Dicit ergo: *quei,* scilicet dæmones, *usciron di sotto al ponticello,* idest, de sub ponte quinto, ubi stabant primo quando receperunt illum de Luca tam benigne, *con quel furore e con quella tempesta,* idest, cum illo clamore et rumore impetuoso et furioso, *che i cani escono in dosso al poverello,* cum ([4]) latratu magno, *che chiede di subito,* scilicet eleemosinam, *ove s' arresta,* sicut præcipue ad domum divitis; quia communiter pauper firmat se ad ostium divitis, et in domo divitis communiter sunt multi canes. Et nota qualiter ista subtilis comparatio facit mirabiliter ad propositum. Baratarii enim merito comparantur canibus, quia more canum faucibus apertis intendunt ad devorandum et lacerandum pauperem, et sentiunt ad nasum, sicut canes, qui præsentiunt a longe hominem, qui vadit ad curiam, et irascuntur contra pauperem innocentem qui petit aliquid juste amore Dei, et nihil portat, dicentes, paupertas tua tecum sit in perditione; et sicut canes si vidissent primo pauperem stantem ad ostium antequam peteret, non ruunt in eum, vel saltem minus impetuose, ita isti quando vident unum no-

([1]) E. audacem, non trepidum, quia.
([2]) E. dixit.
([3]) E. se ad alicuius ostium petens.
([4]) 116, idest, cum latratu.

tum, qui fuerit vel steterit alias in curia, non sperant ita prædam de eo; sed si venit pauper innocens aliquid petens, qualis erat nunc Virgilius, tunc currunt avidi ad prædam; et sicut canes statim mordent et lacerant pauperem, nisi revocentur et prohibeantur a domino domus, ita ista facere parabant Virgilio nisi fuissent prohibiti a domino istius curiæ, sicut statim videbis, unde dicit: *e volser contra lui tutti i roncigli,* idest uncos et graffios. Et subdit quomodo Virgilius subito invasus, subito habuit defensaculum, dicens: *ma ei,* scilicet Virgilius, *gridò:* secura fronte et alta voce, *nessun di voi sia fello,* idest temerarius, *ma l' un di voi che m' oda,* scilicet de jure, *traggasi avanti;* ita debet dicere vir valens qui vadit ad curiam, et reperit officiales primo rigidos: detur mihi unus auditor qui audiat causam meam, postea deliberetur quid sit agendum, utrum sim absolvendus vel condemnandus, *inanci che l' uncin vostro mi pigli,* scilicet de facto et injuste, non examinata causa mea, *e poi si consigli di roncigliarmi,* idest de uncinando me. — *Tutti.* Hic autor ostendit qualiter (¹) dæmones sedato furore de communi concordia miserunt unum valentem, et qualiter Virgilius narraverit (²) sibi merita suæ causæ, et ita fuit absolutus. Dicit ergo: *Tutti gridaro: vada Malacoda.* Iste erat dux (³) dæmoniorum et principalis, cui bene competit nomen, quia iste habet caudam scorpionis, quæ est cauda Gerionis, quia pungit in fine et occulte, et concludit in causa, *perch' un se mosse,* scilicet (⁴) innominatus, *e gli altri stetter fermi,* expectantes quid iste dicturus esset, parati cum uncinis suis, *e venne a lui,* scilicet ad Virgilium, *dicendo che gli aproda?* idest, quis est ibi in ripa extrema pontis? ita enim est de more dicere

---

(1) 116, quomodo.

(2) 116, narraverit merita.

(3) E. dux dæmonum et princeps, cui.

(4) 116, scilicet ille nominatus.

versus forensem [1]: quis est ibi? Potest ista litera exponi subtilius et melius, *che gli aproda,* idest, quid prodest isti id quod petit, scilicet quod unus veniat qui [2] audiat eum? quasi dicat: nihil; satis enim poterit adulari et perorare [3] cum tota eloquentia sua quod evadat a manibus nostris, certe lacerabitur et submergetur sicut et alii; ergo bene: *che gli monta, che gli vale perch' io vada?* et sic *aproda* est [4] tota una dictio et est verbum, et debet legi ista litera voce exaltata ad terrorem. Aliqui tamen textus habent, *chi* [5] *t' aproda,* in secunda persona, est tamen eadem sententia. Et subdit responsionem Virgilii qui se defendit justa ratione, et dicit quod jam non potuisset transisse [6] illæsus per tot et tanta pericula nisi datum esset desuper. Dicit ergo: *disse 'l mio maestro,* respondendo, *o Malacoda, credi tu vedermi esser venuto qui,* idest usque ad istam bulgiam vestram, quam ita sollicite custoditis, *securo già da tutti i vostri schermi,* idest immunem et exemptum ab omnibus [7] scutis et reperaculis quæ fecistis contra me, sicut patuit in introitu civitatis? quasi dicat, nec vi, nec fraude potuissem transire per tot partes violentorum et fraudulentorum sine præiudicio magno. Certe, Malacoda, ego ascendi spinam Gerionis, et sedi juxta caudam eius et liber evasi; certe ista [8] non potuissem sine gratia Dei; unde dicit: *senza voler divino e fato destro,* idest, sine prædestinatione Dei et constellatione cœli, ut sæpe dictum est et dicetur. Et sic nota quod Virgilius facit efficacem rationem: non enim videtur possibile nec verisimile quod autor transiverit per tot genera monstrorum, per [9] tot millia dæmoniorum, inter tot genera pœnarum, per ma-

(1) E. forenses.
(2) E. e 116, veniat et audiat.
(3) E. orare.
(4) E. erit.
(5) E. *che ti aproda,* in propria persona.
(6) S., E. e 116, transire illæsus.
(7) E. omnibus vestris scutis.
(8) E. ista facere non.
(9) E. et per tot.

nus tot custodum sine speciali gratia divina; ideo merito debet evadere hinc libere. Ergo Virgilius ex hoc petit liberum aditum, dicens: *Lasciame andar che nel ciel è voluto,* idest, decretum et permissum, *ch' io mostri questo camin silvestro,* idest viam vitiorum asperrimam, ut dictum est in capitulo I, *altrui:* hoc dicebat Virgilius, quia Dantes stabat absconditus et nondum se ostendebat. Et ponit autor effectum petitionis Virgilii, quia statim Malacoda confusus non audens contra fata et fatorum autorem, placavit furorem sui et aliorum; unde dicit: *alor,* idest, tunc statim, *l' orgoglio gli fu sì caduto,* idest, arrogantia cum qua venerat ita superbe, et minabatur quod nihil proficeret sibi, *che si lassò cader* vel *cascar l' oncino ai piedi,* quasi dicat: deposuit arma nocendi, scilicet cupiditatem rapiendi, quia non poterat aliquo modo attentare contra (¹) eum; ideo reddit eum tutum. Ideo dicit autor: *e disse agli altri,* scilicet sociis armatis et paratis, *omai non sia feruto.* Et per hoc breviter tangit autor tacite, quod aliquando vir bonus et prudens transit per manus istorum baratariorum sine corruptela, quando fovet justam causam et ambulat cum innocentia et veritate mediante divina gratia. —*E 'l duca.* Nunc autor ostendit quomodo impetrata licentia per Virgilium ipse secure devenerit inter istos officiales; et primo ostendit quomodo Virgilius vocaverit eum dicens: *e 'l duca mio,* scilicet Virgilius, qui, ut bene me duceret, impetraverat mihi viam, *a me,* supple, dixit: *o tu che sedi tra li scheggion del ponte guatto guatto,* idest, o Dantes, qui latitas inter saxa clandestine (²) pro timore, *sicuramente omai a me ti riedi,* idest revertere, quasi dicat: potes secure venire vivus inter istos, quia non fuisti baratarius; quamvis enim fueris aliquando de prioribus

(¹) 116, aliquid contra.

(²) E. clam pro timore.

et regentibus Florentiæ, non tamen baratasti tuum commune. Et tangit suum accessum ad Virgilium dicens: *perch' io mi mossi e venni ratto a lui,* quia summe optabat reconiungi Virgilio, et nimis erat molestum sibi expectare inter sola saxa in loco tam aspero; et ostendit actum dæmoniorum (1), qui non minori furore afferrassent istum vivum peregrinum, quam Virgilium mortuum jam per tot secula annorum (2). Unde dicit: *e i diavoli se fecer tutti avanti,* sicut fecerant (3) primo contra Virgilium, non tamen cum tanto impetu propter promissionem jam factam, unde dicit: *sì ch' io temetti non tenesser patto;* quia promiserant Virgilio securitatem et impunitatem. Et nota quod autor pulcre hoc fingit, quia raro vel numquam isti baratarii servant quod promittunt, nisi sit eis uncta manus: et describit autor formam sui timoris per unam comparationem satis ignotam. Ad cuius cognitionem est breviter sciendum, quod anno MCCLXXXIX, lucani cum florentinis equitibus et peditibus iverunt de mense augusti in exercitum (4) contra civitatem Pisarum, et obsederunt castellum, quod dicitur Caprona. Tandem famuli manipulares, qui erant ibi deputati ad custodiam et defensionem, dediderunt (5) se salvis personis. Isti ergo recedentes, dum transirent per medium exercitum, videntes hostes armatos, ibant cum maximo timore (6) et tremore ne trucidarentur quia multum offenderant lucenses. Modo ad propositum vult dicere autor, quod ipse more istorum famulorum, nunc (7) totus tremebat maxime, quia viderat paulo ante crudele distracium quod fecerant (8) de illo antiano lucano; timebat enim ne forte simile facerent de uno priore florentino, licet esset in-

(1) 116, dæmonum. (2) 116, annorum incolam inferni. Unde.
(3) S. fecerunt contra. (4) E. in exercitu. (5) E. dederunt.
(6) E. timore ne trucidarentur. Ad propositum ergo.
(7) E. tunc totus. (8) 116, fecerunt.

nocens. Ad literam ergo; dicit autor: *e così vid' io già li fanti,* stipendiarios, armigeros, *c' uscivan patteggiati di Caprona,* idest, cum pactis liberati, *temer,* scilicet mortem violentam ferri, *veggendosi tra nemici cotanti,* scilicet florentinos et lucenses. Et hic nota quod autor fuit personaliter in isto exercitu; erat enim tunc juvenis viginti quinque annorum, et ibi vidit istum actum; ideo libentius fecit talem comparationem, ut de se memoriam faceret, quia aliquando tractaverat arma; quamvis comparatio, etiam non habito isto respectu, sit valde propria. Sicut enim illi famuli erant inclusi intra castellum, unde non poterant evadere nisi per manus inimicorum (1), ita isti erant inclusi in bulgia, de qua non poterant exire nisi per manus dæmoniorum (2); et sicut famuli de Caprona, data licentia, ibant inter hostes armatos, quibus fecerant magna damna, timentes pacta servari, ita isti, promissa sibi impunitate, ibant inter dæmones armatos, quibus fecerant magna damna, sicut sæpe dictum est in isto inferno, timentes (3) promissa servari sibi; et sicut illi famuli erant pauci inermes inter tot hostes, ita ipsi erant tantum duo inermes inter decem dæmones armatos uncis, uncinis, unguibus et dentibus; et sicut illi famuli transiverunt illæsi et intacti quamvis tantum timerent, ita isti transiverunt salvi et liberi juxta formam pactorum.—*Io.* Hic autor describit remedium sui timoris et periculum magnum in quo fuit, dicens: *Io m' accostai con tutta la persona lungo il mio duca.* Idest prope Virgilium, quasi diceret: committo me totum manibus tuis, quia numquam fui alias in simili loco, nec sum praticus cum talibus, nec scio quid agam: et verum erat, quia autor in MCCC non viderat adhuc curias magnas, quia non fuerat expulsus, sicut postea vi-

(1) E. inimicorum, et sicut famuli de Caprona.
(2) 116, dæmonum.
(3) S. tunc timentes promissa non servari.

dit et didicit; quia ergo sic timebat, dicit, *e non torcea gli occhi,* idest, non removebam visum, *da la sembiancia lor ch' era non bona,* imo mala, quia videbantur animati multum ad iniciendum [1] uncos in me; et ostendit quomodo, dicens: *ei,* scilicet dæmones, *chinavan i raffi,* contra me feriendum [2], *e dicea l'un con l'altro: vo' che 'l tocchi in sul greppone,* quasi dicat: vis tu quod dem [3] sibi talem percussionem, quod non erigat se in spinam de isto tempore? ita recte dicunt baratarii, et si non ore, saltem corde, *e respondean,* scilicet alii, *sì,* idest, ita volumus ferias eum ibi [4], unde dicebant, *fa' che li accocchi,* idest fac quod affigas eum et attaches eum ibi in grepone, ita quod sentiat ad vivum, ita quod si est vivus bene sentiet. Et per hoc vult autor ostendere quod difficile est homini quantumcumque bono et justo transire per manus istorum, quia oportet quod sæpe relinquat aliquid de pilo vel de pelle; saltem oportet adulari eis, et supplicare, quod est durum valde viro honesto; et ostendit succursum paratum, quia dux eorum retraxit eos a temerario ausu, dicens: *ma quel dimonio,* scilicet Malacoda dominus aliorum, *che tenea sermone col duca mio,* quia fuerat locutus cum Virgilio de voluntate sociorum, *se volse tutto presto,* scilicet contra illos sic consiliantes [5], *e disse: posa posa Sgarmiglione,* sic dixit uni dæmoni sic vocato, qui ferocius insurgebat in autorem. Erat enim ille qui volebat ferire eum et vocabatur Sgarmiglione, qui clariori vocabulo poterat vocari *Spezzapatti.* Hoc autem figurat quod dux istorum aliquando facit pacta servari vincente verecundia, quia ista fuisset proditio nimis aperta, si Malacoda permisisset istum offendi in sua [6] præsentia contra fidem datam nuper; de-

---

(1) 116, immittendum.
(2) 116, ad feriendum.
(3) 116, dem talem.
(4) E. ibi in gropone; unde.
(5) E. consulentes.
(6) E. in sui præsentia.

buisset saltem expectare quod modicum recederet ab eo, ne videretur particeps baratariæ.

Poi disse. Ista est quarta pars generalis huius capituli, in qua autor ostendit quomodo dominus istorum dæmoniorum ostenderit eis viam et dederit scortam, quæ sociaret eos extra terminos regni sui. Dicit ergo primo: *Poi disse a noi.* Idest ille Malacoda postquam sedaverat furorem sociorum dixit nobis: *non si potrà ir per questo scoglio,* idest per pontem, *più oltre,* scilicet in sextum pontem, quasi dicat: via recta est hic interrupta, nec potestis continuate transire de ponte in pontem sicut soletis jam per quinque pontes; et ecce quare non, *però che l' arco sesto,* idest pons, *giace tutto spezzato al fondo,* quia scilicet corruit tempore passionis Christi (1), ut statim dicetur. Et dicit Malacoda, quod si tantum deliberaverunt procedere ulterius, poterunt (2) ire per quamdam aliam viam transversalem, unde dicit: *e andatevene su per questa grotta,* idest per istam ripam sextam, quæ in circuitu claudit istam bulgiam quintam, *se l' andar più oltre pur vi piace.* Hoc dicit quia Virgilius dixerat quod habebat ostendere alteri istud iter sylvestre, et quod libere venerat per totum infernum hucusque; ideo Malacoda extimabat (3) verisimiliter quod vellent percurrere totum infernum, ideo dicit: *un altro scoglio,* idest, pons, *èe presso che via face.* Et hic attende bene quod Malacoda primo dicit verum, deinde statim subannectit unum falsum, ut sic facilius istos improvidos implicet in errorem; nam bene erat verum quod arcus sextæ bulgiæ, in qua puniuntur hypocritæ erat fractus ad terram; sed non erat verum quod prope esset alius pons qui viam faceret, sicut videbis infra capitulo XXIII; et sic isti per mendacium Malacodæ reces-

(1) E. passionis prætiosissimi Redemptoris nostri Domini Jesu Christi.
(2) 116, poterant. (3) E. existimabat verisimile.

sissent a via recta, et sic elongabantur a termino. Nota etiam quod sub ista subtili fictione autor dat [1] tibi intelligi artem magni baratarii, qui cum videtur quasi libere expedivisse hominem, tunc procurat ipsum fortiori laqueo implicare sub colore sani consilii. Dicit enim: Fili mi, tu numquam posses pervenire ad finem optatum eundo per viam rectam, licet habeas justam caussam; sed oportet quod vadas per aliam viam. Et vide, talis est, qui potest et vult expedire pauperes, quia est frater papæ, et est pater misericordiæ et clementiæ. Testis est mihi Deus, quod istum casum ego sum expertus in me ipso in curia romana in Avignone. Nam thesaurarius maior Urbani V cum diu tenuisset me suspensum sub certa spe victoriæ, ostendens se affectuosissimum ad justissimam causam meam, post tempus videns, quod nihil dabam, ut sperabat, cœpit me respicere torvo oculo, cum tamen esset obliquus oculis corporalibus, sed multo magis mentalibus, et breviter deseruit me in scopulo desperatum; et sic fecit more Malacodæ, quia docuit me aliam viam, quæ non erat in rerum natura. — *Heri.* Hic Malacauda describit tempus quo facta est ruina istius pontis sexti; et facit antipoforam, quia poterat dicere Virgilius: quare et quando fuit rupta ista via? cui ille respondet, quod tempore mortis Christi, et propter ipsius passionem, quando fuit ille terribilis terræmotus. Est autem hic notandum, quod autor per istam descriptionem temporis tangit occulte tempus, in quo incœpit istud arduum opus. Incœpit enim, ut jam totiens dictum est, in MCCC circa medium mensis martii, in die veneris sancti, quia pascha [2] fuit martiaticum; et vult dicere allegorice, quod sicut per mortem et resurrectionem Christi humanum genus revixit a morte ad vitam, ita ipse autor

---

(1) E. dat intelligi.

(2) E., S. e 116, pascha tunc fuit.

divina gratia in tali die (1) de morte et tenebra vitiorum reductus (2) fuit ad claram vitam et viam felicitatis æternæ. Nunc ad computationem annorum veniendo, Christus mortuus est trigesimo tertio anno suæ ætatis et quarto incipiente. Ergo si triginta tribus annis addas ducentos sexaginta sex habes annos trecentos; vel vis dicere quod autor incipit millesimum ab incarnatione, sicut Tusci capiunt (3), et tunc non oportet calculare illum annum imperfectum quia erunt triginta quatuor integri. Nunc veni ad literam obscuram, quam, ut intelligas clare, considera quod iste incipit numerum annorum a morte Christi, non ab eius nativitate vel incarnatione, ita quod totum tempus vitæ (4) Christi non ponitur hic. Dicit ergo: *Mille ducento con sessanta sei anni compier ieri cinque ore più oltre che quest' otta.* Et hic adverte quod quando iste loquebatur erat prima hora diei sabbati sancti, et vult dicere, quod die veneris sancti præterita, hora sexta facta est ista ruina. Ideo dicit: *Ieri più oltre cinqu' ore che quest' otta,* idest ultra istam horam primam diei, *che la via fu rotta qui.* Et hic nota quod aliqui textus magis moderni habent aliam literam sic: *Mille dugento uno e sessanta sei,* sed ista discordantia accidit propter discordantiam opinionum, quia, ut jam dixi, aliqui volunt quod Christus vixerit triginta tribus annis, alii quod triginta quatuor, et de hoc audivi magnam disputationem; sed prima opinio et ita prima litera videtur melior (5). Et ex hoc vide quod iste computavit annos a passione, quia si computasset a nativitate erant mille trecenti. *Io* (6). Malacauda tradit et assignat societatem Virgilio et Danti; et primo ostendit quod isti bene scortabunt eos (7). Unde dicit: *Io mando*

---

(1) 116, die de vita et morte vitiorum.
(2) S. eductus fuit.
(3) 116, faciunt.
(4) E. vitæ eius Domini Jesu Christi.
(5) 116, verior.
(6) E. e 116, *Io.* Hic Malacauda.
(7) 116, eos et bene sciunt vias et passus et non offendent eos, unde dicit.

verso là, scilicet, circa ripam, quæ claudit istam bulgiam, *di questi mei,* scilicet sociis, *a riguardar s' alcun se ne sciorina,* idest, si aliquis punitorum exit cum renibus supra [1] pice ad alleviandam pœnam, quasi dicat, si aliquis se refrigeret aliquo modo, quia volo quod continuo bene coquantur sub pice, idest, quod perficiantur [2] in barataria, ita quod occulte laborent et caute. Ideo dicit: *gite con loro,* quasi dicat: vadite secure, *che non seranno rei,* scilicet vobis, quia non estis baratarii, et ego mandavi eis, ut non tangant vos. Et ostendit autor quomodo primo, antequam moverent [3], iste dux fecit monstram, dicens: *elli,* scilicet ille Malacoda, *cominciò a dir,* nominando unumquemque proprio [4] nomine, *state avante,* scilicet, præsentetis vos coram: *Alichino,* nomen est primi dæmonis, qui [5] allicit alios ad baratandum, *e Calcabrina,* nomen secundi dæmonis, et est ille qui calcavit de duro et molli, *e tu Cagnaccio,* nomen tertii, quem sic denominat a rapacitate: unde supra assimilavit diabolum portantem peccatorem crudeliter mastino, ideo bene convenit sibi nomen, quia Cagnaccius est magnus canis in vulgari, vel canis ignitus qui nulli parcit, *e Barbariccia guidi la decina,* nomen quarti dæmonis, et est inveterata dierum nequitia; nam crispedo barbæ et capillorum signum est malæ malitiæ, ut dicunt multi; ideo committit isti alios regendos, et constituit eum decurionem, quia Malacauda [6] dominus remanebat ibi in fine pontis, et alii decem debebant ire per ripam circularem ad scortandum istos usque ad alium pontem qui nusquam [7] reperietur, *Libicocho vegna oltre;* iste interpretatur ardens et coquens, et est nomen quinti dæ-

---

(1) 116 e E. supra picem.
(2) 116, quod bene proficiantur.
(3) S. moverent se, iste dux.
(4) E. pro nomine proprio.
(5) 116, et est ille qui allicit.
(6) 116, Malacauda remanebat.
(7) S. nunquam.

monis, *e Draghignazzo,* nomen sexti dæmonis, et est magnus serpens maliciosus, venenosus, cæteros inficiens et venenans; ideo bene dicitur Draghinaccius, quasi magnus draco, vel draco ignitus; *Ciriatto Sannuto,* nomen septimi dæmonis, cui dat congruum nomen a cyros (1) manus, quasi dicat, armatus manu ad rapiendum (2), *et sanna,* idest, dente magno, acuto ad lacerandum; *e Graffiacane,* nomen octavi dæmonis: iste est valens, quia sculpit (3) alios canes, idest, revendit alios baratatores (4), qui jam supra assimilati sunt canibus; ideo bene facit (5), quia pilat illos qui pilaverunt alios: *e Farfarello,* nomen noni dæmonis: iste est unus infrascator qui continuo omnes imbrattat, *e Rubicante pazzo,* nomen decimi dæmonis: iste est rubeus, candens, temerarius et præceps ad baratandum totum mundum, audaci fronte, more meretricis, non timens verecundiam; et sic vide quod isti qui nunc mittuntur, sunt decem numero, et Malacauda qui erat dominus erat undecimus, sed non ponitur in numero aliorum, quia (6) dominus non ponitur in numero subditorum. Sed tu dices: quomodo vocabatur ille qui rediverat Lucam? dicunt aliqui, quod ille est innominatus, sed non video quare, imo forte erat Cagnacius, qui more mastini portabat prædam rapaciter. Et si dicis: quomodo non erat hic? imo poterat esse, quia poterat in uno instanti ivisse et redivisse a Luca, quia dæmon est spiritus et portat animas separatas; ideo nullum videtur inconveniens. Vocatis ergo decem dæmonibus, Malacauda dat eis suum præceptum dicens: *cercate intorno le bollenti pane,* idest vadite circa picem bulicantem (7); et facit propriam metaphoram: paniæ enim appellantur paleæ vel virgæ unctæ

---

(1) E. cyros quod est manus. (2) 116, capiendum.
(3) E. e 116, scalpit. (4) E. baraterios. (5) S. dicit.
(6) E. quia dominus poni non debet in numero subditorum eius. Sed tu dices quomodo vocabatur iste qui.
(7) S. e 116, bullientem.

visco, quibus viscantur et capiuntur aves: talis autem est barataria, ut supra patuit. *Questi,* scilicet Virgilius et Dantes, *sian salvi fin all' altro scheggio,* idest, usque ad alium pontem integrum qui incipit in principio septimæ bulgiæ. Nam pons sextæ bulgiæ est totus fractus, ideo bene dicit: *che tutto intero va sopra le tane,* quia scilicet tegit generaliter omnes bulgias, quæ sunt cavernæ et valles cavatæ; ideo continuaverunt suum iter hucusque postquam intraverunt maleboglie (¹), et ita postea cum ascenderint septimum pontem continuabunt (²) iter de ponte in pontem usque in finem, quia pons erit postea semper integer totus. Et hic nota quod Malacauda mandat impossibilia istis; nam, ut patebit sequenti capitulo, isti dæmones non possunt exire de sua bulgia quinta, et per hoc figurat autor, quod magnus magister baratariæ semper mentitur se posse plura quam possit (³) vel velit servare, ut sic continuo veniant munera et pecuniæ. Nota etiam quod isti sunt omnes magni magistri vel ministri baratariæ, qui regunt barcam curiæ; quibus autor imposuit nomina peregrina, ut denotaret peregrinas fraudes, artes et vias (⁴), et unusquisque posset pro libito fingere sibi similia nomina secundum naturas (⁵) talium. Et bene scio quod si comparationes non essent odiosæ, quod scirem nominare multos tales quos ego vidi, ita baratare et versare curias. — *Omè.* Hic autor conqueritur Virgilio de tam terribili societate, dicens: *diss' io: omè,* idest, heu mihi, *o maestro mio, ch' èe quel ch' io veggio?* quasi dicat: durum est videre istos, nedum sentire raffos eorum; et dicit deprecative: *deh! andiamci soli,* per nos, *senza scorta,* quia melius est esse solos, quam male sociatos, *se tu sai ire,* quia dicis, te alias

---

(1) S. e E. malæbolgiæ. (2) 116, continuabant.
(3) 116, possit et plura promittit quam possit vel velit servare.
(4) E. vias, ut unusquisque. (5) E. naturam.

fuisse hic, quia ego qui numquam fui pro parte mea nolo; unde dicit: *ch' io per me non la chieggio.* Et tangit per signa expressa malam dispositionem eorum, dicens: *non vidi tu ch' ei digrignan li denti,* more canum ad mordendum et devorandum prædam, *e ne minaccian duoli,* idest, dolores, *con le ciglia,* idest, cum oculis, quasi dicat: respiciunt nos torvis oculis, ita quod videntur velle nos devorare, *se tu se' sì accorto come suoli,* quia soles prævidere omnia pericula et providere. Et ponit pulcram responsionem Virgilii, dicens: *et elli a me,* supple Virgilius respondit mihi, dicens: *non vo' che tu paventi;* idest, nolo quod timeas, *lassali digrignar pur a lor senno,* quia hoc non tangit te, nec bonos viros recte viventes, nec impedientes se in barataria; et ecce quare faciunt, *che fanno ciò per li lessi dolenti;* idest, pro inquinatis barataria, qui lissantur et coquuntur in pice, et per consequens sunt dolentes. — *Per.* Hic ultimo autor describit motum et turpem morem istorum dæmoniorum (1), dicens: illi decem dæmones, *der volta per l'argine sinistro,* idest, volverunt se ad sinistram per ripam illam quæ claudit bulgiam, *ma prima ciascuno avea la lingua stretta coi denti verso lor duca per cenno;* idest (2), quod tenebant linguam dispositam et paratam ad trulizandum si fuisset necesse, sicut jam inceperat dux eorum; unde dicit: *et elli avea fatto trombetta del culo:* jam faciebat ipse trullas (3). Et hic nota, quod per istum actum inhonestum autor figurat enormes et (4) evidentes irrisiones quas faciunt isti officiales baratarii quando unus baratat et decipit alium; unde aliquando recordatus sum istius fictionis autoris, quando vidi tales inter se ridentes et deridentes

(1) 116, dæmonum.
(2) 116, idest versus Barbarictiam pro signo, idest, quod tenebant.
(3) E. trullos.
(4) 116, etiam evidentes. — E. et audentes.

post se aliquem cum subsannatione dentium et extractione linguarum facientes trullas [1]. Et hic ultimo, lector, volo te bene notare, quod multi per istum actum turpem, quem autor dat istis, opinantur et firmiter tenent quod autor in ista bulgia et pice puniat lusores et aleatores simul cum prædictis, quod nullo modo mihi videtur concedendum, tum quia in præsenti capitulo et sequenti numquam autor nominat aliquem lusorem, ut patet subtiliter intuenti. Nam si bene considero, non nominat in toto isto tractatu picis, nisi solum quatuor, scilicet Ancianum de Luca in præsenti capitulo; Ciampolum navarriensem, fratrem Gomitam, et dominum Michaelem Cianche [2] in capitulo sequenti; nec etiam ponit verba vel facta spectantia ad lusores, imo solum pertinentia ad prædictos, tum quia lusores possunt reponi in circulo avarorum et prodigorum, vel melius inter violentos contra bona sua; et omnis actus positus hic vel ponendus in sequenti capitulo bene potest trahi ad baratantes suum commune vel suum dominum. Nec volo præterire silentio, quod aliqui non intelligentes profundam imaginationem autoris, quæ latet sub figuris peregrinis, dixerunt quod pro certo autor dixit in ista materia multa superflua et multas nugas sine delectatione; cuius contrarium mihi videtur: imo autor tam subtiliter quam delectabiliter istam materiam amplissimam de se magna arte et ingenio coarctavit. Nec te turbet quod autor posuit [3] hic in fine capituli, quia talem finem habet barataria, et [4] propalat se cum magno risu et ludibrio audientium, et meretrices trice [5] non tam impudenter jurgantur inter se linguis spurcis, sicut aliquando isti baratarii inter se. Unde miror si autor quantumcumque

(1) E. trullos.
(2) 116 e E. Zanche.
(3) S. posuerit.
(4) 116, quia propalat.
(5) S. e E. triæ. — 116, irritæ.

abstractus non ridebat quando ista fingebat cum mente, sive quando scribebat cum penna. Unde ut breviter concludam, sicut autor ad detestationem * superius repræsentavit adulationem in stercore, ita hic similiter ad detestationem * [1] repræsentat baratariam in pice; et sicut ibi dedit maxime meretrici ungues stercorosos [2] quibus lacerabat sibi faciem formosam, ita hic dat maximo duci baratariorum sibilum ad culum, ut tam vili sono infamet se jam denigratum totum.

---

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.
(2) E. stercoratas.

CANTUS VIGESIMUS SECUNDUS, *in quo tractat de eisdem; et sicut extractus fuit quidam navarrensis de pice ab uno de illis dæmonibus, cum quo multa receptaverunt; et de rixa facta pro dicto navarrensi inter eos, et sicut fugit de manibus eorum.*

Io vidi già cavalier mover campo. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de una specie baratariorum, nunc consequentur agit et tractat de alia specie baratariorum, qui barataverunt suum dominum, quæ videtur peior, quia semper autor ad peiora descendit; qui baratarii puniuntur eadem pœna picis in eadem bulgia quinta. Et totum præsens capitulum XXII potest dividi in quatuor partes generales; in prima quarum continuans se ad præcedentia describit actum et modum istorum natantium sub pice bullienti. In secunda parte introducit in speciali unum baratarium modernum maliciosissimum, qui male tractatus fuit a dæmonibus, qui sunt ministri et custodes istius bulgiæ, ibi: *Io vidi.* In tertia dictus spiritus manifestat aliquot socios suos, qui similiter vendiderunt dominos suos, sicut ipse optimum dominum (¹) suum, ibi: *Lo duca dunque.* In quarta et ultima ostendit quomodo prædictus (²) spiritus sagacissimus deceperit (³) omnes dæmones et evaserit dimittens eos in lite et scandalo, ibi: *O me! vedete.* Ad primum ergo dico, quod autor volens descendere (⁴) ad secundam speciem baratariorum, primo præmittit pulcram continuationem ad materiam pertractatam, in qua se excusat quod non potest reperire con-

(¹) E. Deum suum.
(²) S. dictus.
(³) S. decepit.
(⁴) E. describere secundam.

venientem comparationem ad explicandum bene actum obscenum et spurcum illius Barbariciæ baratarii veteris; ideo percurrit breviter multa opera quæ viderat fieri in mundo isto unumquodque sub certo signo. Et dicit summatim se vidisse in mari, in terra, in pace, in guerra, dari varia et diversa signa pro diversis negotiis et diversis [1] actibus, sed numquam vidit signum simile superiori. Ad literam ergo veniendo autor primo tangit signa belli dicens: *Io vidi già,* per hoc notat se fuisse aliquando in exercitu, sicut patuit in præcedenti capitulo, ubi fecit mentionem de Caprona, *cavalier,* intellige tam de pedestribus [2], quam de equestribus; nam miles est commune nomen tam ad pedites, quam ad equites, ut sæpissime patet apud Titum Livium, et alios antiquos historiographos, *mover campo;* in [3] hoc tangit actum bellicum, in quo est opus magna cautela; nam nulla est maior sagacitas duce [4] belli, quam scire bene ponere et levare unum campum, quod [5] attribuitur regi Pyrrho ad singularissimam laudem, ut ait Hannibal sagacissimus dux belli, et dicit: *e cominciare stormo,* idest, tumultum, et rumorem contra terram obsessam, oppugnandam, qui actus etiam habet fieri sub certo signo, *e far lor mostra,* sicut est de more in castris, multis de causis [6], cum aliquo instrumento, *e talvolta partir per loro iscampo:* idest, fugere ad vitandum [7] damnum et verecundiam; ad quod etiam solet dari certum signum. Et subdit autor, se etiam vidisse unam terram tumultuare, in qua tumultuatione datur aliquod signum a partibus, et hunc actum dicit expresse se vidisse in civitate aretina, quæ est confinis suæ patriæ Florentiæ. Ideo apostrophat ad

---

(1) 116, et in diversis.
(2) 116, peditibus, quam de equitibus.
(3) E. et in hoc.
(4) E. e 116, in duce belli.
(5) E. quod est attributum regi.
(6) E. causis, et fit cum aliquo.
(7) E. evitandum.

eius cives, dicens: *O aretini, io vidi corritor,* idest, homines currentes in furore populari, *per la terra vostra,* scilicet per Aretium. Ad quod sciendum quod aliqui dicunt, quod hoc accidit tempore quo ghibellini fuerunt expulsi de Florentia, quia tunc guelphi percurrerunt [1] civitatem more prædonio. Sed istud videtur impossibile, quia tunc autor non erat natus, aut erat parvulus. Alii dicunt, quod hoc fuit quando Tarlati de Petramala fuerunt expulsi in MCCCVII; nec istud videtur posse [2] stare, cum autor nondum vidisset ista in MCCC, quando habuit istam suam visionem. Et ideo est hic considerandum, quod propter partialitates, quibus jamdiu misera Italia laceratur, multæ mutationes, tumultus, et vani furores fuerunt ex omni parte, et specialiter in Tuscia, ut sæpe patet in libro isto; et maxime in civitate aretina, sicut diebus istis vidimus de facto, quod sæpe mutationes et novationes [3] fecit, ex quo deducta est ad desolationem; quæ antiqua et nobilis civitas quondam unum ex capitibus Tusciæ habebatur, teste eodem Livio. Autor ergo in juventute sua ante sui expulsionem de patria viderat istum tumultum, quia reperit se ibi aliquo casu, vel aliqua de causa. Dicit ergo: *e vidi gir gualdane,* idest, masinatas [4], brigatas, in dicto tumultu Aretii, vel etiam alibi. Et sequitur: *ferir torniamenti.* Hic considera, quod aliqui glorificare volentes suam patriam, dicunt, quod ista torneamenta et equisternia facta sunt Aretii tempore episcopi Guidonis de Tarlatis de Petramala, qui vir valentissimus terram illam maxime exaltavit, et exornavit viris, viribus, muris, et omni opere pulcro. Sub quo multi viri militares exercebant se in istis rebus bellicis. Sed quicquid dicatur, istud est alienum a proposito, quia dictus episcopus magnificus non claruit tem-

---

(1) S. cucurrerunt.
(2) E. posse etiam stare.
(3) E. e S. innovationes factæ sunt.
(4) 116, idest, maximas brigatas.

pore autoris; imo post eius mortem. Nec dubito quod si novisset gesta eius, non tacuisset omnino; ideo dico, quod autor non refert amplius dictum suum ad Aretium, imo ad alias terras, quia autor poterat vidisse ista spectacula Florentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, et alibi, nec est vis ubicumque viderit; dicit ergo: *e vidi fedir,* idest, feriri, *torneamenti e correr giostra,* et omnia sub diversis signis, unde dicit: *quando con trombe,* sicut [1] in movendo campum, vel oppugnando terram, vel in prœlio, quia istud signum est maxime accendens animos bellantium [2], *quando con campane,* sicut in tumultuatione civitatis, quia istud est proprium signum populi tumultuantis vel festantis, *con tamburi;* istud est recte signum peditum, *e con cenni di castella,* qualia sunt ignis, fumus, vexillum, *e con cose nostrali,* idest, domesticis, quæ sunt in nostro usu, *e con istrane;* idest et cum rebus extraneis et inusitatis; et venit ad propositum dicens: *vidi già cavalier nè pedon mover con sì diversa cenamella;* supple, qualis erat fistula, quæ exibat de culo illius [3] ribaldi Barbaricciæ, et vult dicere uno verbo: hæc omnia pro tanto dixerim, quia simile signum non valeo reperire prædicto. Et ad perfectionem comparationis addit signum navale, dicens: *nè vidi nave,* supple moveri, *a segno di terra,* sicut navigant aliquando ad mirram quæ lucet in portubus, *o di stella,* sicut ad tramontanam. — *Noi andavam.* Nunc autor descendit ad materiam principaliter intentam; et primo continuans se ad præcedentia, dicit: quod ibant cum ista egregia societate quæ movebatur sub tam [4] nobili sono; dicit ergo: *Noi andavam con li dieci dimoni,* scilicet datis nobis a Malacoda; et quia talis societas erat valde terribilis, ideo antequam procedat ulterius prorumpit in unam exclamationem, dicens admi-

(1) S. scilicet in movendo.
(2) E. bellicantium.
(3) S. istius.
(4) S. tali nobili.

rative: *ah fiera compagnia!* et continuo respondet quæstioni tacitæ, quia posset aliquis dicere: et quare habebas [1] societatem et familiaritatem talium? cui respondet autor ad sui excusationem: *ma nella chiesa coi santi, e in taverna coi ghiottoni,* supple: debet homo esse, vel convenit esse. Et hic nota quod autor per hoc figurat, quod vir bonus et sapiens aliquando potest licite et honeste sine nota infamiæ conversari cum infamibus, cum [2] debitis circumstantiis, semper intelligas, secundum exigentiam temporis et loci; sicut, gratia exempli, unus honestus religiosus vel unus civilis mercator ibit aliquando in navi inter lenones et meretrices, quia aliter facere non poterit; et tunc talis est vir virtuosus cum vitioso, quale est vinum cum fæce et oleum cum amurca, quæ non corrumpuntur ab eis, imo proficiuntur, quia virtus sine adversario marcet. Hoc autem pro tanto dixi, quia audivi multos allegantes istud dictum autoris ad suam excusationem cum haberent societatem discolorum; non debes ergo credere quod autor dicat simpliciter quod deceat [3] conversari cum gulosis in taberna nisi in casu necessitatis, sicut aliquando contingit in itinere, quod non potest vitari societatem talium, imo indiget ea maxime quando ignorat viam, vel quando via non est tuta, sicut nunc in proposito erat. Et tangit autor suam intentionem dicens: *la mia intesa,* idest, tota mea intentio, licet talis societas esset mihi gravis, *era pur a la pegola,* idest, solum ad materiam baratariæ quæ punitur in pice, ita quod, non obstante tam peregrino signo ducis et turpi actu sociorum, volebat perfecte videre illam materiam, unde dicit: *per vedere ogni contegno,* idest, omnem continentiam, idest, quidquid continetur in genere intra [4] bulgiam, *e de la gente ch' entro v' era*

(1) E. habes tu societatem.
(2) 116, et cum debitis.
(3) 116, debeat.
(4) S. e 116, ultra bulgiam.

incesa; idest, de baratariis, qui intus fervent. Hoc dicit ([1]), quia non viderat ad plenum de eis, imo de prima specie tantum; nunc restat dicere de secunda. — *Come.* Hic autor describit actum istorum incensorum per unam comparationem notissimam navigantibus; et dicit breviter quod isti piceati nunc extollebant se supra picem, nunc se retrahebant subito sub ipsam, sicut recte faciunt delphines quando præsentiunt tempestatem. Dicit ergo: *alcun de' peccatori mostrava talor il dosso,* scilicet extra superficiem picis, *ad alleggiar la pena,* idest, ad alleviationem pœnæ intrinsecæ, scilicet bulloris, caloris, *et ascondea,* scilicet ipsum dorsum, *in men che non balena,* idest, corruscat, quasi dicat, in instanti ad evitandam pœnam extrinsecam dæmoniorum ([2]). Bene audisti quomodo supra aptaverunt unum, et statim audies de alio; et hoc faciebant, *così come i delfini,* supple, aliquando ostendunt dorsum natando, saltim, *quando fanno segno con l'arco de la schiena,* idest, cum spina dorsi, quod tunc recurvat ([3]) in modum arcus, *ai marinar che s' argomentin di campar lor legno,* scilicet antequam ([4]) tempestas opprimat eos. Et nota quantum comparatio sit pulcra et propria: sicut enim delphinorum multa sunt genera * in mari, ita baratariorum multa sunt genera * ([5]) in ista pice amara: delphines habent pellem nigram, et ita baratarii sunt denigrati infamia: delphinus tempore tempestatis fugiens de fundo ad superficiem, nunciat navigantibus futuram tempestatem; ita baratarius quando detegitur extra picem tempore tempestatis, quando ([6]) est accusatus, ita quod non potest plus latere, dat si-

([1]) 116, dixerat, quia non viderant. ([2]) 116, dæmonum.
([3]) E. recurvatur. ([4]) S. quando tempestas opprimit eos.
([5]) Le parole fra i due asterischi mancano nel nostro testo; sono state supplite dagli altri Codici.
([6]) E. quando scilicet est.

gnum aliis navigantibus in pice quod [1] provideant suo ligno, idest officio, ne similis tempestas et jactura veniat super eos: vel vis dicere, quod si aliquando baratarius vult recedere a pice statim diabolus retrahit eum sub picem, et reinvolvit [2] eum, quia barataria est unus viscus tenax, a qua homo nescit se faciliter deviscare. Plinius etiam dicit incredibilia de levitate et celeritate delphini: dicit enim quod est velocissimum omnium animalium non solum marinorum, sed [3] velocior ave, acrior telo transvolat vela navium; ita promptissimus et expeditissimus est baratarius, ut statim patebit in uno. — *E come.* Hic autor descripto actu natantium per picem per unam comparationem pulcram, nunc describit actum aliorum stantium ad ripam per aliam comparationem pulcriorem, quæ est notissima omnibus. Ordina sic literam: *E i peccatori stavan d' ogni parte,* circumcirca bulgiam juxta ripam, *sì come i ranocchi stanno all' orlo,* idest, ad extremitatem, *de l' acqua d' un fosso pur col muso fuori,* in terra, *sì che celano i pedi e l' altro grosso;* idest, residuum corporis; *ma così se ritraean sotto i bollori,* scilicet illi peccatores, *come s' appressava Barbariccia,* qui erat dux decinæ. Et hic nota quod comparatio est propriissima: sicut enim ranæ stant inclusæ in fosso, ita isti; sicut [4] rana est animal fœdum [5], ita baratarius infamis [6]; sicut rana non potest retrahi de palude, ita isti non possunt retrahi de pice; sicut rana est meticulosa, et abscondit se ad omnem parvum motum, ita isti semper suspiciosi timent ad omne verbum, ne detegantur fraudes; et sæpe fugiunt, et sæpe nesciunt evadere, sed capiuntur et lacerantur, quia scilicet spoliantur bonis male quæsitis [7] et sæpe privantur vita cum

---

(1) E. ut provideant. (2) E. revolvit.
(3) E. sed volatilium; et velocior ave. (4) E. et sicut.
(5) 116, fœtidum. (6) E. infectus: et sicut. (7) S. acquisitis.

summa ignominia, sicut laceratus fuit spiritus, de quo statim dicetur.

Io vidi. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit singulariter unum summum magistrum baratariæ per tempora moderna. Et primo præmittit quomodo iste fuit captus dum remansisset ad ripam fossi, sicut contingit sæpe quod una rana remanet, aliis fugientibus sub aquam. Dicit ergo: *Io vidi,* et quia vidit rem horribilem nimis, ideo addit: *et ancor il cor mi raccapriccia,* idest, adhuc tremit quando recolo propter horribilitatem pœnæ, *uno aspettar,* dum sic Barbaricia iret (1) circa fossum et (2) custodiret ne aliquis exiret picem, a simili, *così come incontra ch' una rana rimane,* quæ minus timet, *e l' altra spiccia;* idest, separat se et refugit sub aquam præ timore: iste autem erat quidam spiritus navarriensis, *e Graffiacane;* bene audisti in præcedenti capitulo, quod iste scalpit alios baratarios, ideo bene autor dat sibi officium capiendi et trahendi istum, ut sibi debite solvat de barataria; ideo dicit: *che gli era più di contra,* idest, magis recte ex opposito, *gli aronciglìò,* idest, cum uncino cepit, *l' impegolate come,* idest, capillos impiceatos, *e trassel su,* scilicet, de pice supra aquam, quod fuit horribile videre; ideo dicit: *che mi parve una lontra.* Ad cuius cognitionem est sciendum, quod lontra est animal aquaticum, palustre, longum, pilosum ad modum vulpis, nigrum cum muso acuto, et est valde inimica piscatoribus; nam non contenta (3) piscibus quos libere vagantes capit, sæpe (4) dilacerat retia piscatorum plena piscibus, ita quod pisces capti evadunt. Modo considera bene propriam comparationem autoris. Lontra enim est nigra, ita baratarius; lontra stat in valle mortua, sicut

(1) 116, erat.
(2) 116, ut custodiret.
(3) 116, contentatur piscibus.
(4) 116, sed dilacerat.

iste in stagno picis; lontra est animal insidiosum et damnosum, ita baratarius; lontra liberat multos pisces captos, ut lucretur modicum et sæpe nihil, ita baratarius sæpe pro parvo lucro relaxat multos captivos, sicut statim dicetur de uno, imo tota die videmus hoc de facto; sed lontra finaliter capitur cum [1] uno instrumento ferreo acuto; et ita [2] baratarius captus est et tractus cum unco sive uncino ferreo, et crudeliter tractatus sicut lontra. — *Io sapea.* Hic autor ostendit quomodo se habuerint [3] alii dæmones ad istum captum, quia omnes clamabant et incitabant unum furiosiorem cæteris contra ipsum. Ordina sic literam, et descende inferius ibi: *i maledetti,* scilicet decem dæmones, *gridavan tutti insieme, o Rubicante,* iste erat ardens ad prædam, unde audisti in præcedenti capitulo quod vocatus fuit insanus, *fa che tu li metta li unghioni adosso,* idest, ungues magnos [4], recurvos, rapaces, *sì che tu lo scoi,* idest, ita quod excories ipsum; et nota recte verbum maligni [5] baratarii, ita dicebat Nero officialibus suis quando dabat eis officia: ita fac ut nullus aliquid habeat. Modo debes reverti supra, ubi autor dicit: *io sapea;* hic enim autor facit unam parenthesim, idest interpositionem [6] quasi dicens: bene cognoscebam eos quando se invicem vocabant. Dicit ergo: *Io sapea già il nome di tutti quanti, sì li notai;* hoc [7] exponunt aliqui, idest per notas signavi secundum memoriam artificialem; istud est vanum dicere, quia non erat opus memoria artificiali viro naturaliter memorioso, qualis erat Dantes, pro tam parvo numero, *quando foron eletti,* scilicet a Malacoda, ut patuit in fine præcedentis capituli, *e attesi come,* supple, se vocabant,

(1) E. cum instrumento.
(2) E. et ita hic baratarius ereptus est et tractus cum.
(3) 116, habuerunt.
(4) 116, magnos et recurvos.
(5) 116, magni baractarii.
(6) E. interpretationem.
(7) S. per hoc exponunt.

poi che si chiamaro, quasi dicat: non solum attente notavi nomina eorum quando Malacoda fecit monstram de eis, sed etiam postea quando unus alium nominabat (1) aliquo casu. — *Et io.* Hic autor ostendit quomodo, ex quo sciebat nomina dæmonum (2) crudelium, voluit scire nomen istius captivi; unde dicit: *et io,* supple petivi, *o maestro mio, fa' se tu puoi;* hoc dicit quia non videbatur bene possibile loqui cum isto in tanto furore, aut impetrare licentiam ab istis iratis loquendi secum, ideo dicit: *che tu sappie chi èe lo sciagurato,* idest, iste qui infeliciter captus est ab istis, qui solus incidit in ungues (3) eorum ex tanto numero peccatorum; ideo bene dicit: *venuto a man de li aversari suoi,* quia ita hostiliter agunt secum; et ponit interrogationem Virgilii ad illum spiritum et illius responsionem. Dicit ergo: *Lo duca mio,* scilicet Virgilius volens satisfacere voto meo, quia vere iste bene merebatur nominari in isto tractatu, quia fuit solemnis artifex huius artis, ut cito videbis, quia ludificabitur (4) omnes, *li s' acostò a lato,* ut habilius loqueretur in medio tot circumstrepentium, *e dimandollo, ond' ei fosse:* et ponit responsionem illius pleniorem, quia ille interrogatus de gente vel de patria, describit se a gente, a parentibus, ab officio, ac insuper a vitio, quo damnatus est. Et ad evidentiam huius rei peregrinæ, volo te scire, quod, prout imaginor, Dantes habuit istud novum Parisius cum ibi esset gratia studii post indignam expulsionem suam; et quia notaverat inauditas fraudes et profundas malitias istius diaboli, qui plus sciebat omni diabolo, decrevit facere perpetuam memoriam de eo. Unde nota quod iste infelix fuit natione hispanus de regno Navarriæ, natus ex nobili matre et vilissimo patre. Qui cum prodigaliter dilapidasset omnia bona sua, ut audio, tan-

(1) E. vocabat.
(2) S. dæmoniorum.
(3) 116, unguibus eorum.
(4) 116, ludificabatur homines.

dem desperate suspendit se laqueo, ita quod debet esse arborificatus in circulo violentorum contra se. Iste ergo filius vocatus est nomine Ciampolus, quem mater sua nobilis domina posuit ad standum cum quodam nobili [1]; qui scivit ita sagaciter se habere, quod factus est illi in brevi carissimus; et sic fama prosperante et favore domini coadiuvante, iste intravit curiam regis Thebaldi, qui ultra reges Navarriæ fuit vir [2] singularis justitiæ et clementiæ, et summa sagacitate tam mirabiliter adeptus est gratiam et favorem regis: qui rex amoratus de eo commisit totam curiam regendam manibus eius, ita quod conferebat beneficia [3], et omnia ministrabat. Tunc cœpit astutissime baratare et accumulare; et licet sæpe fieret querela de eo, rex nihil credere volebat; et sic continuo crescebat audacia audacissimo. Nunc ad literam: dicit Ciampolus Virgilio: *Io fui del regno di Navarra nato.* Hispania enim habet quinque regna in se, scilicet regnum Castellæ, Aragoniam, Navarriam, Portugallum, et Granatam, quæ est infidelis, quia per saracenos detenta [4]. Et tangit suam fortunam, dicens: *mia madre che m' avea generato d' un ribaldo,* et ego non degeneravi, quia fui [5] ribaldior eo, nam omne ortum attestatur ei, a quo oritur; *distruggitor di sè e di sue cose* [6]; sic usus est duplici violentia, *a servo d' un signor mi pose:* idest, ad serviendum cuidam nobili post mortem patris. Deinde tangit officium suum cum dicit: *poi fui famiglio del buon re Tebaldo.* Et hic nota, quod hoc notanter tangit, quia tacite vult dare intelligi: licet essem [7] factor optimi domini, tamen eram [8] pessimus. Et sic est valde periculosum, quando dominus est bonus,

---

(1) E., 116 e S. nobili magnate, qui.

(2) E. fuit rex singularis.

(3) E. e S. omnia beneficia.

(4) E. detenta est. Et.

(5) E. quia fuit.

(6) E. *cose;* ex duplici violentia.

(7) E. esset.

(8) E. erat.

et habet officiales pravos, quia faciunt sibi verecundiam et damnum sine (1) sua scientia vel culpa; et de multis legi et vidi; sicut non est diu, quod dominus Cluniacensis (2) legatus Urbani V in Bononia, qui de se erat vir nobilis, bonus et prudens, habuit in vicarium Bartholinum Ruinum baratarium ribaldissimum, qui semper fecit sibi infamiam et odium multorum; nec unquam, nescio quo diabolo cæcante, volebat audire malum de eo, et invitus dimisit (3) eum cum magna indignatione. Quanto laudabilius et prudentius egit Cambises rex persarum, qui judicem suum qui tulerat sententiam falsam pro pecunia, fecit excoriari, et pelle eius sedem judiciariam cooperiri! Deinde filium eius jussit in eadem sede sedere, ut semper memor paternæ pœnæ ageret juste et fideliter cum omnibus. Talem mortem merebatur Ciampolus, quem, quia multos excoriaverat in vita, auctor facit nunc sic excoriari. Ciampolus ultimo tangit suum vitium, dicens: *quivi,* scilicet in curia dicti regis, *mi misi a far baratteria,* dando officia et honores pro pecunia; quæ poterat juste conferre ex officio suo; ideo dicit: *di che io rendo rasone in questo caldo,* idest, reddo rationem villicationis meæ, quasi dicat: nunc (4) luo pœnam dignam in ista pice bulliente. — *E Ciriatto.* Hic autor ostendit effectum narrationis Ciampoli; quia (5) bene assignaverat rationem suam, recepit dignum præmium a ministris talis curiæ, quia scilicet unus dæmon iniecit dentes in eum, et crudeliter laceravit. Unde dicit: *e Ciriatto,* quem supra autor vocavit sannutum, unde dicit: *a cui una sanna uscia di bocca d' ogni parte come a porco,* scilicet apro, ita quod habebat bonum cultellum paratum ad excoriandum, *li fe sentir come l' una*

---

(1) E. sine sui scientia et culpa.
(2) E. Cluniensis.
(3) 116, divisit eum a se cum.
(4) E. nunc fero pœnam.
(5) E. e 116, qui, quia bene.

sdrucia, dissuebat, dilacerabat. Et explicat miserabilem infelicitatem istius, nisi fuisset subitus succursus, per unam metaphoram pulcerrimam; et dicit breviter quod miserrimus devenerat (1) ad manus crudelium cattarum. Et hic, lector, volo te advertere quanta arte autor noster nititur declarare istam materiam occultam, quia ipsam nobis aperit per varias figuras et multiplicat comparationes proprias. Comparavit enim baratarios supra canibus, delphinis, ranis (2); nunc vero cattis et muribus, quæ comparatio non est minus propria quam prædictæ. Cattus enim (3) quasi capiens sorices, est mordax, armatus dentibus et unguibus; habet enim ungues acutos quos extendit et retrahit ad raffandum. Mus vero est animal insidiosum, qui latenter rodit et rapit, ideo ab aliquibus vocatur rattus, et in occulto furatur, et est timidus et fugax, sicut iste Ciampolus. Ad propositum ergo autor vult dicere uno verbo, quod sicut cattæ odiosæ lacerant murem dentibus et unguibus, et de ipso ludibrium faciunt, ita dæmones istum Ciampolum dentibus (4) et uncinis suis, et de ipso ludibrium faciunt, ut statim dicetur. Modo considera convenientiam similitudinis: mus rapit et rapitur a catto, et cattus mordetur a cane, et ita parvus baratarius a medio, et medius a maiori. Ideo bene jam dixit quod iste pervenerat ad manus adversariorum suorum. Ad literam ergo: dicit autor, *il sorco,* idest, topus, more florentino, *era venuto tra male gatte;* idest, inter istos dæmones habentes malas branchas, sicut dictum est supra, sed dux eorum defendit eum ab aliis, ut daret Virgilio spatium petendi si vellet audire de pluribus. Dicit ergo: *ma Barbariccia*

(1) 116, pervenerat.
(2) 116, et avibus; nunc vero in muribus; quæ comparatio.
(3) E. enim dicitur quasi capiens. — 116, enim capiens.
(4) E. dentibus suis et unguibus, scilicet uncinis, et de ipso.

il chiuse con le braccia, tamquam dux superior eorum, qui poterat eis præcipere, *e disse: state in là,* quasi dicat: facite vos retro, *mentr' io l' inforco,* idest, interim dum figo eum cum furculi (1) meo ferreo, quod habet plures dentes acutos ad feriendum, et recurvos ad trahendum (2). Et ostendit quare fecit eos parum cessare, dicens: *e rivolse la faccia al mio maestro,* scilicet Virgilium (3) qui stabat perplexus quia nesciebat si debebat plus posse loqui cum illo vel expectare, *e disse: dimanda ancor se più disii,* idest, si desideras, *saper da lui,* idest, scire plura ab eo, quia iste novit quicquid potest (4) sciri in ista magna arte barattariæ theorice et pratice, *pria ch' altri il disfaccia,* quasi dicat: bene vides quomodo isti sunt apti ad extorquendum sibi aliquid de suo, ita quod unusquisque vult particulam suam. O quotiens vidi similem casum! Camerarius (5) vult suam, cancellarius suam, imo portarius, ita quod infelix nunquam potest recedere nisi totus depilatus; sed certe iste placet mihi, licet esset magnus furcifer, quia finaliter decipiet omnes (6), qui ita spoliaverunt eum, et seminabit rixam inter eos.

Lo duca: donque. Ista est tertia pars generalis, in qua autor ostendit quomodo iste excellens baratarius manifestaverit aliquot alios quos familiariter noverat. Et primo ponit interrogationem Virgilii ad illum, dicens: *Lo duca,* scilicet Virgilius dixit: *donque or di' de gli altri rii,* idest, de bonis baratariis reis (7) mortuis, et pœnæ, et specialiter, *cognosci tu alcun che sia latino,* idest, italicus, quia italici noverunt (8) bene baratare, quasi dicat: dixisti mihi de baratarijs quas fecisti in Hispania, sed vellem scire

---

(1) E. e 116, furcali meo ferreo.
(2) S. e E. retrahendum.
(3) 116, Virgilio.
(4) 116, potuit.
(5) S., E. e 116, quia camerarius.
(6) S. dominos.
(7) S. reis mortis et pœnæ.
(8) E. sciunt bene.

de aliquo nostro italico, *sotto la pece?* idest, qui bene noverit artem baratandi in occulto. Et continuo ponit responsionem illius, dicens: *e quelli,* scilicet Ciampolus respondit: *Io mi parti' poco èe,* scilicet, quando fui tractus paulo ante a Graffiacane extra picem, *da uno,* scilicet baratario famoso, *che fu di là vicino.* Vult dicere, quod iste fuit de Sardinia, quæ est vicina Italiæ, imo est insula Italiæ. Unde nota quod Sicilia et Sardinia, duæ sunt insulæ Italiæ, quarum una est propinqua Italiæ, divisa ab ea angusto brachio maris ex parte orientis; altera vero, scilicet Sardinia, est in mari Tyrrheno inter Italiam et Africam, magis longinqua ab Italia, quarum utraque est fertilissima insula, et fuit olim sæpe præda barbarorum, unde fuit causa magnorum et multorum bellorum inter romanos et africanos. Nota etiam quod autor utitur hic isto vocabulo *latino* solum pro italico, sicut vulgares capiunt; nam loquendo proprie et literaliter, omnes qui utuntur grammatica latina generaliter appellantur latini, sicut galli, germani, anglici, hispani et alii multi; et tamen vocabulum tractum est ab Italia, quia italici grammaticam invenerunt distinctam a græca, et rex Latinus linguam italicam emendavit et correxit; et optat Ciampolus sibi quod nunquam recessisset ab isto sardo, dicens: *così foss' io ancor con lui coperto,* scilicet sub pice, quia haberem minorem pœnam, scilicet calorem picis tantum; ideo dicit: *ch' io non temerei unghia nè uncino,* ut de dente nihil dicam. — *E Libicocco.* Hic autor ostendit qualiter (1) dolorose fuerit interrupta narratio loquentis, quia ubi primo habuerat de dente, nunc habuit de uncino, de quo dicebat se timere. Dicit ergo: *e Libicocco disse: troppo avem sofferto,* quasi dicat: iste vadit per ambages ut interponat tempus, nec factum fuit tardius

(1) S. e 116, quomodo.

dicto, unde dicit: *e presegli il braccio col ronciglio,* idest cum uncino suo ferreo efficaciter, *sì che stracciando ne portò un lacerto,* idest, unum musculum, et more baratarii dedit sibi unam malam depennatam. Et subdit quomodo [1] aliquo dæmone parante facere sibi peius, dux dæmonum defenderit [2] eum. Unde dicit: *Draghignaccio,* peior et sævior Libicocco, *ancor volle dar di piglio,* idest, voluit capere ipsum cum uncino suo, *giuso a le gambe,* ne posset fugere quia erat multum agilis et velox, ut statim patebit; ideo volebat facere ipsum cadere ad terram, ut omnes habilius ferirent ipsum. Et ecce succursum; *onde 'l decurio loro,* idest, Barbariccia qui erat dux decem [3] dæmoniorum inclusive, *se volse intorno intorno,* repetit bis ad compescendum furorem eorum, *con mal piglio,* scilicet torvis oculis, et turbata facie [4], et sic sedavit eos; per hoc autem figurat autor, quod etiam in genere sceleratorum oportet esse aliquem ordinem et reverentiam superioris, sicut patet tota die in campis, societatibus et coniurationibus. — *Quand' elli.* Nunc autor revertitur ad primum, et ostendit quomodo Virgilius, sedato furore dæmoniorum [5], petiverit ab illo Ciampolo ut prosequeretur [6] illud quod incœperat narrare, sed non potuerat finire, quia dæmon laceraverat sibi brachium. Dicit ergo: *il duca,* scilicet Virgilius, *dimandò senza dimoro,* idest, sine dilatione, quia non erat nunc tempus exordiendi cum isto, *a lui,* scilicet Ciampolo, *ch' ancor mirava sua ferita,* idest, respiciebat vulnus brachii cum tremore, quia brachium erat spoliatum bona parte carnis solidæ infirmæ [7], quia, ut audisti, unus dæmon extirpaverat sibi unum lacertum, *quand' elli foro un poco rap-*

---

(1) 116, quomodo alio dæmone.
(2) 116, defendebat.
(3) E. decem dæmonum, *se volse.*
(4) 116, fronte.
(5) 116, dæmonum.
(6) 116, sequeretur.
(7) E. et firmæ, quia.

paciati, idest repacificati, requietati [1] erga illum, in cuius destructionem coniuraverant omnes, *chi fu colui, da cui di' che facesti mala partita?* quia scilicet male pro te recessisti ab eo, quia melius fuisset tibi adhuc esse cum eo sub pice inter baratarios, quam esse hic inter istos, *per venire a proda;* idest, ad extremitatem picis juxta terram. Et subdit responsionem Ciampoli ad quæsita, qui specificat [2] quis fuerit ille sardus. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste frater Gomita, de quo fit hic mentio, fuit vicarius et locumtenens judicis Nini Pisani in Sardinia, summus baratarius, quem finaliter ipse Ninus fecit suspendi, quia relaxaverat et liberaverat certos inimicos eius quos habebat sub custodia, pecunia corruptus. Unde te oportet ulterius scire, quod olim januenses et pisani, duo potentissimi populi in mari, confœderati inter se magna classe recuperaverunt insulam Sardiniam [3] de manibus barbarorum infidelium Africæ. Insula recuperata convenerunt inter se, quod januenses avidi prædæ asportarent quidquid prædæ esset super terram, pisani vero [4] solum haberent nudum solum. Quo facto pisani, reparata et reformata insula, diviserunt eam in quatuor partes, quas appellaverunt judicatus; et constituerunt quatuor rectores, quos appellaverunt judices. Nomina autem judicatuum sunt ista: primus vocatus est *Logodoro,* idest locus aureus, quia ista est pars fertilior et amœnior; secundus, *Chalari,* et est nomen antiquum retentum ibi, nam *Chalari,* fuit olim famosa civitas ibi, ut dicit Pomponius Mela; tertius judicatus dictus est *Arborea;* quartus et ultimus *Gallura,* sic vocatus a comitibus pisanis, quibus datus fuit iste judicatus, qui portant gallum pro armatura, de quibus fuit prædictus judex Ninus, olim expulsus de civitate pisana; de quo

---

(1) E. quieti erga.
(2) S. significat qui fuerit.
(3) 116, Sardineæ.
(4) E. vero haberent solum nudum.

dicetur Purgatorii capitulo VIII. Et de isto judicatu fuit [1] prædictus frater Gomita. Nunc ad literam; dicit autor: *et ei,* idest, et ille Ciampolus, *rispose:* ille a quo recessi, infortunio [2] meo, *fu frate Gomita.* Describit ipsum a nomine proprio, a loco, et a vitio; unde dicit: *quel di Gallura,* de Sardinia, *vasel d' ogni froda,* quasi dicat: erat totus conflatus ex omni genere fraudium, armarium omnis malitiæ; ideo erat dignus socius Ciampoli, solitus conversari libenter secum sub pice. Et tangit in speciali unam baratariam, quæ imposuit finem fraudibus eius, quia fuit suspensus cum uno uncino ferreo; unde dicit: *Ch' ebbe i nimici di suo donno in mano,* idest, judicis Nini, domini sui in potestate et bailia sua. Sardi enim et siculi vocant dominos suos donnos, sicut et hispani, sub quorum dominio utraque insula aliquando fuit, ut sæpe patebit. Ideo autor utitur proprio vocabulo gentis, *e fee lor sì,* idest, ita bene egit cum eis, *che ciascun se ne loda,* quia scilicet dimisit eos recedere impune: et declarat modum, quia non ex pietate, sed cupiditate; unde dicit: *danar si tolse,* quibus frangitur omnis fides, *e lassolli di piano,* ex pacto facto; ne [3] credas quod isti aliter evaserint rumpendo carcerem vel corrumpendo custodes, sicut solet aliquando contingere. Et talis est fides sardorum, ut dicit Florus; et dicit: *sì come dice,* scilicet mihi et aliis sociis sub pice, quia quilibet libenter confert de arte sua, * et unicuique experto in arte sua * [4] credendum est. Unus enim dicit: ego fui lucratus tantum [5] uno verbo; dicit alius: ego plus lucratus sum tacendo quam tu loquendo; et ne credas istum infamatum et damnatum isto solo crimine, dicit: *e fu anche barattier non picciol ma sovrano,* ita quod portat palmam, *ne gli*

---

(1) E. fuit iste frater. (2) S. in infortunio meo. (3) 116, nec credas.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri testi.
(5) E. centum uno verbo.

altri officii, scilicet conferendo et dispensando alia officia per pecuniam. — *Usa.* Hic Ciampolus nominat alium magnum baratarium de eadem insula Sardiniæ. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste alter sardus vocatus Michael Zanche fuit factor matris regis Entii, filii naturalis potentis Federici II, et vicarius ipsius regis Entii, qui fuit adeo solemnis baratarius, et ita scivit solerter (1) natare (2) sub pice, quod mortuo ipso rege Entio in carcere bononiensium, ipse Michael accepit matrem eius in uxorem, et sic factus est dominus judicatus Logodori. Dicit ergo: *donno Michel Zanche di Logodoro,* quia fuit de illo nobili judicatu, *usa con esso,* scilicet cum prædicto fratre Gomita. Et ostendit quare libenter invicem conversantur, quia confabulantur inter se de multis et magnis baratarijs, quas faciebant in Sardinia. Unde dicit: *le lingue loro,* scilicet Gomitæ et Michaelis, *non si senton stanche,* quia numquam cessant, *a dir di Sardigna,* scilicet quomodo baratabant, ille Galluram, iste Logodorum; et ego tertius, quando sum ibi, semper loquor de Navarria. Et vult dicere breviter: nos sumus tres boni socii, qui fuimus tres præcipui baratatores trium optimorum dominorum; sed Ciampolus sciebat plus cæteris, et tenuisset omnes ad scholam, ut statim audies.

Omè! vedete. Ista est quarta et ultima pars (3), in qua autor mirabili arte fingit, quod iste Ciampolus summa astutia et versutia deluserit omnes; et primo Ciampolus ad cautelam fingit se timere insultum illorum dæmoniorum (4), quod totum facit ut impetret sibi spatium dicendi, sicut jam bis fecerat, ut sic diutius transeat sine pœna, et ut capiat commodum fugiendi de manibus istorum, sicut tandem faciet. Dicit ergo: *omè!* Idest, heu mihi! quid video, *vedete l'altro che digrigna,* scilicet cum

(1) E. solemniter.
(2) S. baratare et natare.
(3) 116, pars generalis.
(4) E. dæmonum.

dentibus, *io direi anche,* quasi dicat: nominarem adhuc alios peritos baratarios et baratarias inauditas, *ma io temo ch' ello,* qui sic subsannat, *non s' aparecchi a grattarme la tigna,* quasi dicat: timeo ne iste scalpat mihi caput cum dentibus, sicut alius scalpsit (1) mihi ilium, alius brachium, quasi dicat: timeo ne velit purgare et punire baratariam in me. Et hic nota pulcerrimam metaphoram autoris licet sit de re turpissima; nam propriissime vocat baratariam tignam multis rationibus: primo, quia sicut tigna est ita radicata cuti capitis, quod non potest (2) sine magna difficultate extirpari, ita barataria tenaciter adhæret (3) cordi baratarii, quod non nisi difficulter potest inde divelli, sicut jam totiens dictum est: secundo, quia homo semper conatur tegere tignam, et valde verecundatur si detegatur, ita accidit recte de baratario: tertio, quia sicut tigna purgatur cum pice, ita barataria punitur in pice. Et subdit effectum malitiæ Ciampoli, quia (4) impetravit ne scalperetur sibi tigna, quia dux dæmonum retraxit illum parantem irruere in eum. Unde dicit: *el gran proposto,* scilicet Barbariccia decurio, qui erat præpositus et præfectus omnibus, *volto a Farfarello,* illi dæmoni veloci, et (5) ipse Ciampolus, *che tralunava gli occhi per fedire,* idest, qui obliquabat, variabat oculos more lunæ causa feriendi ipsum, *disse,* capiendo Farfarellum et retrahendo, *o malvagio uccello,* bene vocat istum avem, quia habet alas et ungues ad modum avis rapacis, et discurrit semper ad prædam, sicut jam dictum est in fine capituli præcedentis de isto Farfarello infrascatore, *fatti in costà,* scilicet, versus me. — *Se voi.* Hic autor ostendit quomodo Ciampolus, impetrata aliquali tregua, reversus est ad narrationem pri-

(1) E. scalpit.
(2) E. potest nisi difficiliter extirpari.
(3) E. hæret.
(4) S. qui impetravit.
(5) 116 e E. ut ipse Ciampolus.

mam, unde dicit: *lo spaurato,* scilicet navarriensis territus præteritis factis et præsentibus signis, *ricominciò,* supple, dicere, *appresso,* idest, continuans ([1]) se ad jam dicta: *io ne farò venire se voi volete vedere o udire toschi o lombardi:* qui inter alios italicos bene noverunt ([2]) baratare. Vult dicere Ciampolus Virgilio et Danti: ego feci vobis sermonem de duobus sociis sardis propinquis Italiæ; sed si vos velletis videre personaliter et audire aliquos de sinu Italiæ, qui forte scirent dare scaccum prædictis duobus, multi sunt sub pice qui libenter venirent, si essent securi a manibus istorum. Et adverte quod notanter dixit de tuscis et lombardis, quia Dantes fuit tuscus et Virgilius lombardus, quasi volens dicere tacite: hic sunt etiam multi de vestratibus, si vos non pudet ([3]) videre et audire eos in ista infamia: et repetit quod optat, dicens: *ma le male branche,* idest, manus unguatæ et uncinis armatæ istorum, *stian un poco in cesso,* idest, in quiete, quasi dicat, faciant nobis modicum credentiam; *sì ch' ei,* idest, in tantum quod ipsi tusci et lombardi venturi, *non teman de le lor vendette,* quasi dicat, non tractentur sicut ego male tractatus sum, quia unus baratarius punit alium, *et io ne farò venir sette per un ch' io son;* vult dicere tacite, pro uno hispano baratario sunt septem tusci et lombardi, et ita de aliis italicis; et dicit: *seggendo in questo loco stesso.* Audi falsitatem, quasi dicat: nolo fugere, non, quia superius unus voluit capere ipsum per crura, et deiicere ad terram; ideo dicit nunc quod vult ponere se ad sedendum, et dicit: *quando sufolerò,* idest, quando sibilabo, *com' èe nostro uso di far,* idest, sicut solemus sibilare, *alor che alcun se mette fuori,* idest, quando aliquis egreditur picem. Hoc dicit, quia baratarii habent inter se sua signa,

---

([1]) E. continuans ad jam dicta. ([2]) E. bene sciunt. ([3]) 116, puderet.

quibus se invicem intelligunt. Sibilus enim in mundo est actus furum, et omnis baratarius est quodammodo fur, quia in occulto agit et amat obscurum, et contractat rem alienam invito domino. — *Cagnaccio.* Hic autor ostendit quomodo alius dæmon perpenderit de dolo Ciampoli, unde dicit: *Cagnaccio,* magnus canis palatinus, *levò il muso crollando il capo,* sicut facit homo habens ad indignationem quod alius minor (1) et minus sciens velit et tentet decipere alios maiores et malitiosiores, *a cotal motto,* idest, tali modo loquendi cooperto, *e disse: odi malicia ch' elli à pensata per gittarse giuso,* scilicet sub picem. Et ponit responsionem Ciampoli ad verba ipsius dæmonis, qui subito adinvenit novum laqueum tamquam promptissimus aconiator; nam usus est simplicitate ad colorandam malitiam suam. Unde dicit autor, *ond' ei,* scilicet Ciampolus, *ch' avea lacciuoli,* idest, maliciolas (2), quibus homines capiebat et fallebat, *a gran divicia,* idest in magna copia, quasi dicat qui erat ita bene fulcitus fraudibus, quod non oportebat expectare ad liberandum (3), *rispose: malicioso son io troppo,* loquitur ironice, quasi dicat: sum nimis simplex et fatuus, ecce stultam malitiam meam, *quand' io procuro maggior tristizia a' miei,* idest sociis meis, quos ego offero ad veniendum huc, ubi habebunt duplo (4) plus tristitiæ quam sub pice, sicut ego infelix. Et subdit autor quomodo quidam tertius dæmon post Farfarellum et Cagnacium perpendit de dolo Ciampoli; unde dicit: *Alichin non se tenne,* idest, non potuit se continere amplius, *e disse a lui di rintoppo agli altri,* idest, ex opposito aliorum, quia (5) erant omnes in ripa, *io non ti verrò dietro di galoppo,* sed cursu velocissimo; nam galoppus tenet medium inter cursum et trottum, quasi dicat: si tu eris (6) agilis po-

(1) E. minor eo, et minus. (2) 116, malitias. (3) 116 e E. deliberandum.
(4) E. duplum. (5) 116, qui erant. (6) S. es agilis.

terit prodesse tibi, quia habeo alas, *se tu ti cali,* idest, si tu præcipitas te per ripam, quasi dicat, nihil cogitasti, quia non evades, *ma batterò l'ali sopra la pece,* quasi dicat: persequar te volando, ita quod quando credes esse sub pice, eris inter ungues meos, ergo: *lascisi il colle,* quasi dicat: dimittatur culmen sive agger in quo sumus, et deiicias te per ripam, unde dicit: *e la ripa sia* vel *fia scudo,* quasi dicat: reparaculum et defensio tua, quia parum tibi proderit, quia bene [1] concordabimus inter ripam et bulgiam postquam tu vis facere ad capillos cum diabolo. Unde dicit: *a veder se tu sol vali più di noi,* quasi dicat: bene erit mirabile si tu scies plusquam tot diaboli bene armati et bene avisati, et qui noverunt totum: et tamen plus sciet et poterit, sicut statim rei probabit eventus. — *O tu che leggi.* Nunc autor describit unam pugnam jocosam quæ nata est inter dæmones ex delusione istius dæmonis Ciampoli; et primo autor facturus mirabilem fictionem invitat lectorem ad considerandam rixam, quam parat describere. Dicit ergo: *o tu che leggi,* idest, o tu lector, qui quæris delectationem ex hoc opere fatuoso [2], *udirai novo ludo,* idest, ridiculosam pugnam noviter a me fictam, per quam ostendam tibi qualiter unus minor decepit [3] multos maiores, et quomodo infrascaverit eos simul. Et statim tangit evasionem Ciampoli, quia dæmones quærentes decipere eum decepti sunt ab eo; unde dicit: *ciascun,* scilicet, dæmon, *volse gli occhi da l'altra costa,* idest, transvertit visum ad aliam partem de industria, ut ostenderet se velle dare dilationem illi, ut tertio loqueretur cum Virgilio, *quel prima ch'era più crudo,* idest, magis crudelis et accensus, *a far ciò,* et hic erat Alichinus qui animosus [4] minabatur sibi, ut audisti; sed Ciampolus qui ne-

(1) S. quando bene.
(2) S., E. e 116, fructuoso.
(3) 116, deceperit.
(4) 116, animosius.

sciebat minus eis non dormiebat; unde dicit: *Lo navarrese ben suo tempo colse,* idest, captavit opportunitatem temporis cum locus esset satis aptus, quia supra picem. Et ecce quomodo: *fermò le piante a terra e saltò,* scilicet deorsum in picem, *in un punto,* idest, in instanti, *e se tolse dal proposto loro,* quasi dicat: subito evolavit (1) de manibus Barbaricciæ qui defendebat eum ab aliis. Unde adverte quod Ciampolus confabulando continuo cum Virgilio et Dante (2), et dicendo quod bene cognoscebat talem tuscum et talem lombardum, videns quod dæmones removerant (3) paululum oculos ab eo, subito exiliit de brachiis Barbaricciæ et saltavit infra; et tacta evasione, autor tangit effectum, dicens: *di che ciascun,* idest, ob quam rem quilibet dæmon in generali, *fu compunto di colpa,* quasi dicat: doluit quod fuerat (4) in culpa præstando incaute (5) materiam evadendi illi, vel secundum aliam literam, *di colpo,* idest, punctura cordis: est tamen idem effectus; *ma quel più,* scilicet, Alichinus in speciali doluit et erubuit magis, *che fu cagion del difetto,* quia fidebat quia (6) erat alatus, quod ille nullo modo posset evadere; ideo fuit promptior ad persequendum. Unde dicit: *però si mosse e gridò tu sie' giunto.* Sed nihil fuit, ideo dicit: *che l' ali non potero avanciar el sospetto,* idest, timorem, sicut etiam capitur (7) in capitulo proxime sequenti, quasi dicat, quod timor et suspicio fecerunt Ciampolum velociorem quam alæ Alichinum. Ideo plus potuit timor; sicut videmus aliquando a simili, quod urgente timore pedes evadit ab equite, si cito invenit locum, ubi cito se abscondat, sicut nunc Ciampolus fecit; ideo dicit: *quelli andò sotto,* scilicet Ciampolus ivit sub picem (8), nec unquam postea compa-

(1) 116, volavit. (2) 116, Dante, dicendo. (3) E. removebant.
(4) 116, fuerit. (5) E. caute. (6) 116, quod erat.
(7) E. accipitur. (8) E. sub pice.

ruit, ita quod non potuit fieri vindicta de eo, imo ipse fecit vindictam de omni distracio facto sibi ab istis, ut videbis; *e quei*, scilicet Alichinus, *drizzò il petto suso volando*, ne tangeret picem. — *Non altrimenti.* Hic autor describit mersionem Ciampoli et reversionem Alichini per unam comparationem, et dicit breviter quod Ciampolus ita se mersit in picem (1) et evasit ab unguibus Alichini infeste persequentis eum, sicut aliquando anas (2) se mergit in aquam et evadit ab unguibus falconis hostiliter invadentis eam. Dicit ergo: *l'anitra s'attuffa giù di botto,* idest, mergit (3) se subito, *quando 'l falcon s'appressa,* scilicet sibi, *et ei,* scilicet falco, *ritorna su cruciato,* idest, iratus quia amisit prædam, *e rotto*, quia fatigatus nihil profecit, *non altrimenti,* quam nunc Ciampolus se mersit (4) et Alichinus redivit. Et hic nota quantum ista comparatio sit conveniens proposito. Falco enim avis volans alte, rapax valde bene figurat Alichinum alatum et unguatum (5); anas vero bene figurat Ciampolum et omnem baratarium, quia anas est animal aquaticum, palustre, aptum ad natandum, quia habet pedes membranales, sicut iste natat in stagno isto; anas est animal gurdum et aviditate cibi intrat retia et illaqueatur, ita baratarius est cupidus et aviditate lucri intrat picem et inviscatur; anas cum rostro suo seratili (6) carpit herbas et vermes et pisciculos latentes in herbis sub aqua in cibum suum; ita baratarius. — *Irato.* Hic autor ostendit quomodo alius dæmon sumpta occasione ex evasione Ciampoli devenit ad rixam cum prædicto Alichino. Dicit ergo: *Calcabrina irato de la buffa,* scilicet quia ille baratarius (7) ita deluserat eum et alios, et tamen gaudens ipsum evasisse a manibus Alichini declinavit se deorsum

(1) E. in pice. (2) 116, anatra. (3) E. immergit.
(4) S. emersit. — 116, immersit. (5) E. unguatum valde. Anas vero.
(6) 116, scuratili. (7) 116, baratarius deluserat.

ut haberet materiam rixandi cum illo Alichino; ergo iratus quia unus deluserat omnes (¹), *li tenne dietro volando,* scilicet post Alichinum, *invaghito che quei,* scilicet Ciampolus, *campasse per aver la zuffa,* scilicet cum Alichino; et ecce statim quod petebat (²) quia dicit: *e volse l' artiglie al suo compagno,* scilicet contra Alichinum, *così come al baratier;* idest, tam cito quam cito Ciampolus, *fu disparito,* sub (³) pice, *e fu ghermito con lui sopra 'l fosso,* idest, fuit artigliatus cum illo, sicut avis avem artigliat; sed Alichinus bene reddit (⁴) sibi vicem, unde dicit: *ma l' altro,* scilicet Alichinus, *fu ben sparvier grifagno ad artigliar ben lui.* Et hic nota quod comparatio accipitris non potest (⁵) esse magis propria, ut de se patet, quia accipiter est volatilis, agilis, rapax, unguatus, astutus, quæ omnia bene competunt baratario. Item nota quod accipitrum alius vocatur nidasius, qui scilicet accipitur primo de nido antequam induat plumas; secundus vocatur ramengus (⁶), qui scilicet incipit volare de ramo in ramum; tertius dicitur grifagnus. Et tangit effectum condignum istius pugnæ, dicens: *et ambedue,* scilicet Alichinus et Barbariccia, *cadder nel mezzo del bogliente stagno,* istius picis bullientis. Et hic nota magnam phantasiam autoris, qui sub velamine istius peregrinæ fictionis tangit subtiliter casum, qui sæpe accidit de facto, et quem aliquando vidi; nam per istos duos dæmones intelligo duos magnos officiales, quorum uterque est magnus baratarius; modo venit ad curiam unus Ciampolus, scilicet quidam malitiosus, acuniator et gulosus qui simulat se pecuniosum habere magnas lites; ex quo unus incipit velle capere eum et ipse astutissime

---

(¹) 116, alium.
(²) E. petebat, et dicit.
(³) 116, scilicet sub pice.
(⁴) E. e 116, reddidit.
(⁵) 116, non posset esse.
(⁶) E. ramingus quia.

dat dona, et promittit multa [1], quia [2] ducitur per verba; tandem dat se cuidam tertio et dimittit utrumque delusum, qui concipiunt odium et indignationem inter se, quia unus reputat se offensum ab alio, quia [3] uterque sperabat prædam; sed quid accidit? ambo perdunt [4] prædam, quam persequebantur, et ambo cadunt in picem [5], idest in infamiam, et ultra infamiam baratariæ, omnes qui sciunt factum rident et truffantur. — Deinde ostendit separationem istorum rixantium ab [6] invicem cum dicit: *lo caldo,* idest, calor picis ardentis, *fue subito sghermitor,* idest, subitus separator istorum, ita quod disghermivit [7] eos ubi erant primo ghermiti inter se. Et sic vide quomodo ista litera bene confirmat illud quod dixi, quia per hoc autor vult dicere, quod timor infamiæ vel pœnæ facit istos cessare ab aperta inimicitia, licet in animis eorum sint inimici magni. Et tamen fingit quod non poterant exurgere de pice propter inviscationem alarum; unde dicit: *ma però di levarsi era niente,* quasi dicat: frustra conabantur surgere, *sì avieno inviscate l' ale sue,* quasi dicat: satis possunt subito pacificare se simulate et dissimulare odium quod non remaneant inviscati infamia. Sed ostendit remedium, quod continuo studuit adhibere dominus eorum ad liberandos istos de pice. Dicit ergo: *Barbariccia,* qui [8] et decurio illorum erat, *dolente,* scilicet de casu tanti scandali et verecundiæ, *con gli altri suoi,* idest, cum aliis septem dæmonibus, qui remanserant secum in [9] ripa, *ne fee volar quattro da l' altra costa,* scilicet ex opposito latenter, ut extraherent illos duos socios de pice, *con tutti raffi e*

---

(1) 116, multa, paulo post, dimisso priore, adhæret secundo, cui similiter dat verba pro verbis et promittit multa, quia ducitur.
(2) E. quia ducit per.
(3) 116, et uterque.
(4) E. perdiderunt
(5) E. picem et infamiam.
(6) 116, ad invicem.
(7) S. disghermit. — E. disghermuit eos.
(8) E. qui est decurio.
(9) E. in rixa.

assai prestamente; per hoc intellige quod Barbariccia dux et dominus istorum [1], idest principalis qui [2] ducit et regit curiam sicut vicarius, conatur cito [3] recoperire istos et trahere de infamia; ideo statim mittit socios qui interponant se, et utantur artibus suis; et facit [4] dici quod in nomine diaboli fumus [5] picis pervenit ad nares principis. Et tangit modum succurrendi istorum dicens: illis dæmones, *discesero a la posta di qua di là,* idest, ex utraque parte, quia quatuor prædicti ex una parte et alii quatuor ex alia, scilicet Barbariccia cum aliis tribus, *porser li oncini inverso l'impaniati,* idest, versus illos duos inviscatos [6] in pice ad sublevandum eos. Et sic vide quod baratarius semper portat raffum in manu, quia licet non exerceat ipsum semper actu, tamen semper aptitudine. Et concludit autor totum thema [7] et capitulum, dicens: *e noi lasciammo lor così impacciati.* Per hoc dat intelligi quod viri sapientes non impediunt se in istis factis, imo rident et habent sibi bonum tempus, et dicunt: dividant inter se litem. Et sic vide ex omnibus dictis in isto capitulo, quomodo magni baratarii barattant et lacerant minores, et quomodo minor interdum seminat litem inter eos, et fugit et evadit. Et hic ultimo volo te notare, lector, quod nullus est dominus, qui possit vitare occultissimas insidias barattatorum [8]; sed detectas bene potest purgare et punire, exemplo Alexandri justissimi imperatoris romanorum. Sicut enim scribit Ælius Lampridius in vita eius, Aurelius Alexander habuit optimos officiales, inter quos fuit Ulpianus totius [9] legalis scientiæ thesaurus, et tamen

---

(1) 116, eorum. — E. il'orum.
(2) S. quia ducit.
(3) E. cito recuperare istos, et retrahere.
(4) 116, fecit.
(5) 116, jam fumus.
(6) E. viscatos.
(7) E. thema capituli, dicens.
(8) 116 e E. baractariorum.
(9) E. totius legis sacræ thesaurus.

inter familiares eius inventus est unus [1] nomine Turinus nequissimus baratarius, qui quando præsentiebat quod imperator erat facturus alicui aliquam gratiam præveniebat illum talem, et componebat [2] secum de certo præmio, fingens se impetraturum gratiam ab imperatore, cum tamen mentiretur. Sed Alexander cognita plene veritate, fecit [3] ipsum ligari ad palum in platea, et facto igne ex palea, fœno et lignis humidis circa eum, necavit ipsum fumo, præcone clamante: fumo pereat qui fumum vendit [4].

---

(1) E. unus Turinus. — 116, unus Turnus.
(2) 116, conveniebat.
(3) E. fecit hunc istum.
(4) E. vendidit.

CANTUS VIGESIMUS TERTIUS, *in quo tractat sicut prædicti dæmones persecuti sunt eos, et sicut Virgilius portavit Dantem in quintam bulgiam, ubi invenerunt hypocritas indutos habitu monachorum sub titulo fratris Catalani et Loderinghi, ac etiam Annæ et Cayfæ judæorum, et aliorum.*

TACITI, soli, senza compagnia. Postquam in capitulo proxime præcedenti autor terminavit [1] materiam barattariæ quæ punitur in quinta bulgia, nunc consequenter in isto XXIII capitulo tractat et determinat de pœna hypocritarum qui puniuntur in sexta bulgia. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales, in prima quarum autor describit cogitatum suum super rixa duorum dæmonum superius tacta, et ostendit qualiter cum magno timore et labore finaliter evaserint [2] a manibus istorum maledictorum. In secunda describit pœnam hypocritarum in generali, ibi: *Ivi trovammo.* In tertia describit in speciali duos spiritus modernos, qui enormiter peccaverunt sub colore hypocrisis, ibi: *Perch' io al duca.* In quarta et ultima describit aliquot hypocritas antiquos et recessum suum ab ista bulgia, ibi: *Io cominciai.* Ad primum dico, quod autor primo describit suum cogitatum circa rixam jocosam, quam finxit circa finem capituli præcedentis [3], et continuans se ad præcedentia dicit: *Taciti,* idest, nos cogitabundi super casu novo, qui emerserat de illis duobus dæmonibus ita delusis, *soli, senza compagnia;* hoc pro tanto dicit, quia superius erant sociati una decina dæmoniorum [4], nunc autem recedebant soli duo, *n' andavam l' un*

[1] 116, determinavit.

[2] E. evaserit.

[3] E. præcedentis, dicens: *Taciti.*

[4] 116 e E. dæmonum.

dinanzi, scilicet Virgilius qui semper præcedit quia antiquior, et quia alias fuit hic, ut totiens dictum est, vel quia ratio semper præcedit in viro sapiente, *l' altro dopo,* idest, ego Dantes post ipsum; et specificat modum incedendi per unam comparationem manifestissimam, dicens: *come i frati minor vanno per via.* Et nota quantum comparatio sit propria; nam fratres minores communiter vadunt bini per viam tacite et honeste, et venerabilior præcedit in passu, ita recte erat in istis; et debes capere duos fratres minores qui sint viri sapientes [1], virtuosi et bene morati, quales erant isti duo poetæ. Aliqui tamen volunt quod autor in ista comparatione respiciat ad sequentem materiam hypocritarum, de qua dicturus est in præsenti capitulo, ita quod per hoc innuat quod hypocrisis maxime regnat in viris religiosis; sed hoc non valet, quia isti moventur nimis a longe. — *Volto.* Hic autor præmissa continuatione describit suum cogitatum circa fictionem factam; et considera bene quod ista litera declarat fictionem præcedentem, et aperit allegoriam eius et intentionem autoris, quia fabula Æsopi est valde conformis fabulæ autoris, imo in effectu est una et eadem; ideo bene fingit autor, quod, dum cogitaret circa rixam illorum duorum et effectum rixæ, venit sibi in mentem illa fabula Æsopi notissima de rana, mure et milvo. Dicit ergo: *Lo mio pensero era vollo in su la favola d' Isopo;* et hic nota quod autor hic nominatim allegat Æsopum, tum quia fabula eius mirabiliter facit ad suum propositum, tum quia iste celeberrimus poeta fuit, quem philosophus sæpe allegat in suis libris moralibus. Fuit enim Æsopus antiquus poeta asianus, qui egregie [2] finxit fabulas multas ad informationem vitæ civilis, et græce scripsit magnum opus ex quo defloratus fuit iste parvus

(1) E. sapientes, qui sunt virtuosi. (2) 116, poetice et egregie.

libellus quo latini utuntur, in quo inter alios apologos ponitur iste de rana et mure. Et dicit: *per la presente rissa,* scilicet Alichini et Calcabrinæ, *dov' ei,* idest, in qua fabula ipse Æsopus, *parlò de la rana e del topo:* idest, mure. Et confirmat autor convenientiam fabulæ Æsopi cum fictione sua per unum simile duorum vulgarium sive (1) vocabulorum, quæ licet videantur multum diversa in sono vocali (2), tamen idem significatum habent; sicut gratia exempli, ista duo vocabula *oggi* et *anchoi,* videntur omnino diversa, et tamen idem important, et ita possem dicere de multis talibus. Dicit ergo: *che mo et issa,* idest, ista duo vulgaria, quæ tantum significant quantum de præsenti, sed aliqui tusci dicunt *mo,* aliqui lombardi dicunt *issa, non se pareggia più,* idest, non plus æquiparantur (3) inter se, *che l' un con l' altro fa,* scilicet quam dictum Æsopi et mei (4) conveniant; et ut ostendat totalem (5) convenientiam dicit: *se principio e fine ben s' accoppia,* idest, bene copulantur et conferuntur, *con la mente fissa,* idest, cum magna attentione. Potes etiam legere (6) literam sic, sine aliqua supplectione, *che l' un con l' altro fa,* scilicet principium et finis Æsopi et mei conveniunt. Sed dices forsan, lector: nescio per me videre quomodo istæ duæ fictiones habeant inter se tantam convenientiam circa principium et finem Æsopi. Ad quod respondeo quod passus vere est fortis, ideo notanter dixit autor quod mente fixa erat adaptanda comparatio. Ergo ut videas quantum comparatio sit propriissima, quantum ad omnes partes sui, considera bene primo, quod mus et rana bene figurant duos baratarios, sicut jam declaratum fuit de utroque in præcedenti capitulo; secundo, quia (7) rixa inter ranam et

(1) S. sive vocabulum vocabulorum. (2) E., S. e 116, in sono vocabuli.
(3) E. æquantur. (4) S. et meum.
(5) E. talem. (6) 116, intelligere. (7) 116, e E. quod rixa.

murem fuit in lacu, et ista similiter in stagno picis; tertio, quia (1) principium fabulæ Æsopi est, quod rana ivit ad murem false et malitiose sub specie succurrendi sibi in periculo, et postea voluit submergere et suffocare eum proditorie; ita Calcabrina tamquam rana ivit fallaciter et dolose post Alichinum tamquam murem sub colore juvandi eum, et nequiter postea voluit mergere, et lacerare cœpit. Et sicut ipsis certantibus in medio lacus supervenit milvus avis rapax, qui traxit utrumque ligatum simul de aqua, ita Barbariccia velut milvus molliter volans traxit utrumque simul artigliatum de pice. Et sicut finis fabulæ Æsopi fuit destructio ranæ et muris simul, ita finis fabulæ Dantis fuit confusio et infamatio (2) istorum duorum baratariorum, et sic lucrum, quod uterque venabatur, perditum est; sicut (3) nunc Ciampolus evanuit et disparuit, ita quod nec Calcabrina, nec Alichinus potuit habere; nunc ergo vide si Dantes scivit ita bene fingere de hominibus, sicut Æsopus de brutis. — *E come.* Hic autor describit timorem suum qui natus est ex cogitamine suo; et primo præmittit modum originis alterius cogitaminis (4), dicens: *e un altro,* scilicet cogitamen, *nacque di quello,* scilicet primo, *così come l'un pensier scoppia de l'altro*, idest, erumpit (5) ex alio tumescente utero (6) mentis, quæ parit unum ex alio, *che,* idest, quod secundum cogitamen, *mi fee doppia la prima paura:* idest, duplicavit mihi primum timorem; primo enim autor simpliciter timebat dæmones de se horrendos, ut supra patuit, quia recusabat habere eorum societatem; nunc vero considerans quod fuerant (7) causa rixæ et delusionis istorum, fortius timebat iram eorum; et ecce declarat ipsum cogitamen secundum, dicens: *Io*

(1) 116, quod.
(2) E. infirmatio.
(3) E. sicut Ciampolus.
(4) E. cogitationis.
(5) S. rumpit.
(6) 116, humero.
(7) E. fuerat.

pensava così; idest, sic [1] arguebam intra me, *questi,* scilicet dæmones, *sono scherniti per noi,* quia fuimus causa remota istius delusionis, licet sine nostra culpa, *con danno e con beffa,* quia amiserunt prædam et acquisiverunt infamiam, *sì fatta,* idest, tam turpi, *ch' assai credo che lor nôi:* idest, sit eis valde molesta quia ignominiosa; et per hoc notat quam periculosum est habere facere cum istis, quantumcumque [2] homo sit innocens; quod declarat comparatio sequens, quæ est valde clara. Unde dicit: *ei,* scilicet dæmones, *ne verranno dietro più crudeli, che 'l cane a quella levora che acceffa.* Et hic nota quantum hæc comparatio sit propriissima. Quam offensam recepit canis a lepore? certe nullam; et tamen ex naturali odio [3] persequitur, et crudeliter lacerat et sugit sanguinem eius; ita baratarius vere canis, ut ostensum est in præcedenti capitulo, persequetur [4] istos innocentes sine aliqua justa causa, sed ex innata [5] malitia quæret causam laniandi eos, et tanto crudelius, quantum ultra naturale odium, quod pravus habet contra bonum per accidens volent retorquere iram super nos, ex quo non potuerunt habere quem quærebant. Ideo dicit: *se l' ira s' agueffa,* idest, adiungitur et coniungitur, *sopra 'l mal volere:* idest, supra voluntatem de se pravam, sicut videmus exemplum de facto, quia homo malus simplex [6] est timendus, quia pronus est ad nocendum; sed si sit malus et iratus [7], irritatus aliqua causa, multo fortius est timendus. — *Già.* Hic autor manifestat timorem suum natum ex isto secundo cogitamine per signum expressum timoris, dicens: *già mi sentia tutti li peli arricciar.* Ad quod [8] nota, quod quando homo timet, sanguis concurrit ad cor

---

(1) E. sic cogitabam intra me.
(2) S. quantumcumque sit innocens.
(3) E. odio eam persequitur et naturaliter lacerat crudeliter et sugit.
(4) S. e E. persequitur.
(5) E. ex animata malitia quærit.
(6) 116, simpliciter est timendus.
(7) S. iratus aliqua causa.
(8) S. Ad quod est sciendum quod.

tamquam ad basim totius vitæ, et ideo pori carnis constringuntur, et per consequens eriguntur pili qui sunt in eis; ideo dicit: *de la paura,* et ideo: *e stava indietro intento,* scilicet si sentirem eos venire, quia putabam continuo habere eos ad tergum; et explicat suum pavorem [1] Virgilio, ut provideat cito de remedio opportuno; unde dicit: *quando dissi: o maestro,* idest, o Virgilii, *io pavento di Malebranche,* idest, de dæmonibus habentibus malas branchas ne faciant nobis, sicut paulo ante fecerunt Ciampolo, et nos nesciremus [2] facere vindictam de eis, sicut fecit Ciampolus valens, *se non celi te e me tostamente:* et vere opus est refugio, quia *noi li avem già dietro;* et assignat [3] causam quia credit id esse quod non est, cum dicit: *io li imagino sì,* idest tam fortiter, *che già li sento,* quia imaginatio facit casum, ut dicunt physici, quando enim anima imaginatur fixe et recte rem [4]. — *E quei.* Hic autor ponit responsionem Virgilii, qui dicit se subito concepisse in mente imaginationem autoris. Hoc autem dicit Virgilius velate sub nobili similitudine, et est litera fortis; unde attende quod aliqui exponunt istam literam recte per oppositum, quia dicunt, quod si Dantes esset speculum non traheret citius ad se imaginem Virgilii; et debet potius dici e contrario. Unde, ut clare intelligas factum [5], imaginare quod Virgilius sit unum speculum, et Dantes [6] vivus cum corpore stet ex opposito eius; bene scis quod imago Dantis subito repræsentaretur in speculo. Modo ad propositum vult dicere Virgilius: ego statim concepi imaginationem tuam cum fecisti eam, sicut statim caperem imaginem tuam

---

[1] 116, terrorem vel pavorem. [2] E. nescimus.
[3] 116, asserit causam quare.
[4] 116, rem, cuius principium sit in corpore accidit casus, idest effectus talis imaginationis propter convenientiam quam habet anima cum corpore. — *E quei.*
[5] E. factum, debes imaginare.
[6] E. Dantes sit vivus cum corpore et stet.

si essem unum speculum; lege sic literam: *e quei,* idest, et ille Virgilius respondit: *io non trarrei più tosto a me di fuor,* idest, non traherem tuam imaginem corporalem exteriorem, sicut est de natura speculi, *che impetro,* idest, concipio, comprehendo, *dentro,* scilicet (1) ex animo meo, *quella,* scilicet imaginationem (2) mentalem, *se fossi di piombato vetro;* idest, si ego Virgilius essem speculum; nam speculum fit (3) ex vitro et plumbo applicito sibi cum una confectione, et quia plumbum est corpus opacum, ideo species visibilis quæ repræsentatur in corpore diafano non penetrat ultra plumbum, sed radii multiplicantur ibi, et reddunt talem imaginem, sicut probatur in perspectiva; et est conveniens similitudo, quia species rerum (4) visarum sunt in animo (5) sicut in speculo. Vult ergo Virgilius dicere, quod statim cognovit cogitatum cum fecit ipsum, et timorem quem concepit ex ipso cogitatu. Et subdit Virgilius quomodo cogitatus utriusque concurrebant, nunc (6) ideo de utrisque fecit unum consilium; ideo dicit: *pur mo veniano i toi penser tra mei con simil atto,* idest, simili suspicione et dubitatione, *e con simile faccia;* idest, simili forma, quia ego similiter dicebam in mente mea: isti sunt naturaliter pravi et accidentaliter (7) irati, ideo periculum est, cui est cito providendum, ne verecundia sit nobis gravior damno, sicut paulo ante accidit ipsis. Ideo dicit: *sì ch' io fei un sol consiglio d' entrambi,* scilicet, amborum cogitaminum, scilicet mei et tui. Et specificat consilium, dicens, quod recedent inde et descendent in sextam bulgiam sequentem, si tamen ripa sit habilis ad possendum descendere. Dicit ergo: *noi fugirem l' imaginata caccia,*

(1) E. e S. scilicet in animo meo. (2) E. imaginem.
(3) E. fit ex plumbo applicato cum vitro cum una confectione.
(4) E. rerum sunt. (5) 116, anima.
(6) E. nunc vero de. (7) E. accidentaliter uncati, et ideo.

idest, persecutionem istorum, quam uterque nostrum imaginatus fuit, *s'egli è*, scilicet, verum, *che la destra costa giaccia*, idest, si (1) ad dextram est illa grotta, de qua dicebat nobis ille Malacoda (2), ita disposita, *che noi possiam scender ne l'altra bolgia:* scilicet, sextam contiguam huic; hoc est quod ripa non sit in totum repens, sed declivis, ita quod possim ducere vel portare te in bulgia hypocritarum, sicut portavi te supra in bulgiam simoniacorum per ripam minus pendentem. — *Già.* Hic autor ponit incursum illorum dæmoniorum (3) secundum quod formidabant, unde dicit: *già non compie di render tal consiglio*, idest, nondum Virgilius bene finierat (4) sermonem suum, *ch' io li vidi venir con l' ali tese*, scilicet volantes expedite, quia jam liberaverant illos duos de pice, et persequebantur istos alios duos; ideo dicit: *non molto lungi per volerne prendere.* Et quid est hoc dictum, nisi quod quando homo videtur licentiatus et expeditus ab istis sæpe retrahitur (5) nova causa. Et describit repentinam recessionem Virgilii per unam comparationem domesticam quæ de se patet, dicens: *lo duca mio mi prese di subito*, ut erueret eum (6) a tam præsenti periculo ex magna pietate, *come la madre ch' al romore èe desta*, idest, quæ dormiens tempore noctis subito evigilat ad rumorem quando clamatur ad ignem, ad ignem; unde dicit: *e vede presso a se le fiamme accese*, quia ignis est accensus in camera vel domo, *che prende il figlio*, idest, parvulum, qui non potest per se evadere, *fugge, e non s' arresta avendo più cura di lui che di se;* et ecce quam cito, *tanto che solo una camicia vesta:* imo, sicut ego vidi in una, absque accipere camisiam vel aliud velamen. Et hic nota, ut videas quantum comparatio ista

(1) E. si dextra est illa grotta.
(2) S. Malacauda.
(3) 116, dæmonum.
(4) S. finiverat.
(5) 116, retrahitur et implicatur nova.
(6) S. me a tam præsenti.

sit propria, quod autor, qui (1) sæpe solet appellare Virgilium patrem, hic comparat ipsum matri, ut ostendat intensam affectionem eius in isto casu; nam mater plus diligit filium quam pater, ut dicit philosophus, quia mater est magis certa de filio quam pater, et quia plus laboris duravit in eo; nam mulier est ante partum onerosa, in partu dolorosa, post partum laboriosa. Sicut ergo mater liberat filium a flammis, qui est impotens ad fugiendum, ne periclitetur in igne ardenti vicino; ita Virgilius liberat Dantem qui erat impotens ad fugiendum, quia erat cum corpore, ne suffocetur in pice bullienti, vel liberat eum a flammis irarum (2) istorum dæmoniorum. — *E giù.* Hic autor ostendit formam fugæ Virgilii, et vult breviter dicere quod Virgilius non expectavit præconsiderare viam, imo præcipitantem (3) permisit se ruere per (4) ripam rectam non jacentem, sicut ipse avisabat, ita quod Dantes non debuit ita molliter pervenire ad fundum vallis, sicut si cecidisset in vallem picis vel stercoris; ita quod forte fuit sibi utile incedere lente cum hypocritis ut resumeretur modicum, quia debebat esse multum fractus et fatigatus timore et labore. Dicit ergo: et ille Virgilius, *diede se supin,* idest, supinavit (5) se cum capite retro, *giù dal colle,* idest, a culmine, *de la ripa dura,* quia omnia sunt saxea et petrosa ista loca, ut jam sæpe patuit, *a la roccia,* idest, costam, *pendente,* et ecce quæ ripa vel costa est ista, *ch' èe,* idest, quæ ripa est, *l' un de lati a l' altra bolgiatura,* idest, est principium alterius bulgiæ sextæ sequentis; nam *bolgia* et *bolgiatura* idem est. Et subdit festinum cursum Virgilii per unam comparationem valde claram quæ est de se manifesta. Unde dicit: *acqua non corse mai sì tosto per doc-*

(1) S. qui solet.
(2) 116, iratis istorum dæmonum.
(3) E. e 116, præcipitanter.
(4) E. per viam rectam.
(5) 116, resupinavit.

cia a volger rota di molin terragno: hoc dicit signanter quia in molendino terrestri aqua cadens ab alto in bassum per locum angustum currit velocius quam aqua molendini positi in aqua magna, sicut videmus in Pado, et dicit: *quand' ella più verso le pale approccia,* idest, appropinquat; quanto enim res mota magis appropinquat ad terminum, tanto velocius movetur: et applicat comparationem, dicens: *come 'l maestro mio,* scilicet Virgilius, supple, cucurrit, *per quel vivagno,* idest extremitatem ripæ pendentis, *portandosene me sopra il suo petto,* quia in pectore hominis est fons vitæ, et vigoris in corde, in quo præcipue viget virtus hominis; et dicit: *sì come figlio,* scilicet amore paterno, *non come compagno.* Socius enim in tali timore non juvat socium in fuga nisi verbis, quia dicit (1): fuge, fuge, vel Deus te juvet; vel si juvat eum non levat ipsum (2) supra se nec cum tanta affectione. Ideo autor voluit adhuc ostendere immensam affectionem Virgilii in tanto periculo; et comparatio ista communis (3) satis servit huic proposito. Sicut enim aqua, quæ est naturaliter levis, currit velocissime per duciam arctam et altam ad moliendum (4) frumentum quo evadit vita hominis, ita anima Virgilii separata naturaliter levissima cucurrit (5) per istam viam rectam et arctam ad salutem et vitam hominis; ita quod non fecit minus bonum fructum quam aqua molendini, et certe aqua, idest doctrina Virgilii, fuit illa quæ portavit ipsum (6) per ista loca, et traxit ex omnibus periculis. — *A pena.* Hic ultimo autor tangit evasionem eorum ad locum (7) tutum, dicens: *i pei soi a pena furo giunti al letto del fondo giù,* scilicet, in alia bulgia, *ch' ei,* idest, quod ipsi dæmones, *furono in sul colle,* scilicet in culmine aggeris, *sopra*

---

(1) E. quia diceret. (2) E. illum. (3) S. communis servit.
(4) E. molendum formentum. (5) E. currit.
(6) E. ipsum scilicet Dantem, per ista. (7) E. locum suum, dicens.

esso noi, idest, supra nos; et dicit: *ma non vi era sospetto,* idest, timor, quasi dicat [1]: sed non oportebat dubitare, et ecce quare non, *che l' alta providencia,* scilicet divina, *che volle porre lor ministri de la fossa quinta,* ut scilicet justo judicio Dei ita punirent baratarios, *tolle poder,* idest, tollit potentiam, *a tutti di partirse indi,* quia scilicet præscripsit eis terminos quos non possunt transgredi. Et hic nota quod per hoc autor figurat quod isti baratarii non habent potestatem extra curiam suam, vel extra suum officium, vel contra viros bonos et sapientes qui nolunt diu esse cum eis; nec volunt se immiscere baratarijs eorum: ostendit etiam cum quanta difficultate receditur ab istis.

Là giù trovammo. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit pœnam hypocritarum in generali. Ad cuius rei intelligentiam est notandum, quod autor dat hypocritis pœnam meritissimam, quam continuo semper secum portant. Fingit enim quod hypocritæ ferunt [2] cappas largas, longas, ineptas, quæ ab intra sunt federatæ plumbo gravissimo, ab extra vero sunt deauratæ auro splendidissimo; et premente nimio pondere incedunt tarde lacrymando, ita quod semper videntur [3] fessi et vix possunt membra movere. Et vere cappa hypocritarum est gravissima et pœnalissima, qui [4], conscientia repugnante, conantur palliare vitium quod est intus, et ostentare virtutem apparenter ab extra, quod est difficillimum et quodammodo contra naturam. O quam durissimum est esse semper solicitum, et cavere ne in verbo vel [5] in opere, more vel signo, homo detegat quod male tegit! hypocrisis ergo est una salma gravissima quam nunquam potest quis deponere, si vult bene facere artem

(1) S. dicat: non oportebat.
(2) 116, portant.
(3) 116, sunt fessi et quod vix.
(4) E. quia.
(5) E. vel opere, in ore vel signo.

suam. Veniamus ergo ad literam, in qua autor mirabiliter sub brevibus verbis tangit naturam et pœnam hypocritarum. Dicit ergo: *là giù,* scilicet in fundo illius novæ bulgiæ liberati a manibus dæmoniorum [1] venimus ad illud genus hominum capientium homines aliter quam ferro [2] et peius; unde dicit: *trovammo una gente dipinta,* idest, sectam hypocritarum, qui vere sunt picti, idest, superficialiter ornati virtutibus et moribus. Ideo loquitur valde proprie, quia pictura ornat solum [3] superficiem exteriorem; et ostendit umbram, et imaginem rei, non rem veram licet delectet, videntes; ideo dicit Virgilius de Enea: *et animum pictura pascit inani etc.:* pictura etiam non diu durat, et de facili tollitur et deletur, ita et hypocrisis; et dicit: *che giva intorno assai con lenti passi;* ita recte incedunt hypocritæ tarde et morose, ut videantur graves [4] et pausati, *piangendo,* scilicet de pœna eorum, vel moraliter, quia hypocrita plorat amarissime de industria more mulierculæ, ut ostendat se pium et sanctum coram populo quem decipit. Sicut ego vidi de facto nobilem hypocritam, qui prædicaturus passionem Domini de mane, potavit se multa malvasia; et sic planctu [5] et lacrymis fundebat malignitatem suæ mentis, et multa millia hominum provocavit ad plorandum secum [6]; nec fuit aliquis ita durus, qui non sociaret eum in plangendo passionem Domini; et talibus insidiis extirpavit in brevi pecunias multas, quibus postea emit unum bonum episcopatum, ita quod lucrum hypocrisis convertit in simoniam. Et dicit: *stanca e vinta nel sembiante,* idest, in apparentia exteriori, quia isti hypocritæ simulant dolose, se ferre aspe-

---

(1) 116, dæmonum. (2) E. ferro. Unde.
(3) E. solum superficialiter partem exteriorem.
(4) E., S. e 116, maturi, graves et pausati.
(5) S. cum planctu. (6) 116, et lacrymandum secum.

riorem vitam et facere duriorem pœnitentiam, quam possint pati, portantes aliquando cilicium, immo ferrum ad carnes et catenas, quibus ligant mulierculas et credulos, quamvis de rei veritate talis pœnitentia ficta debeat [1] nimis gravare et fatigare conscientiam suam. — *Elli.* Hic autor describit habitum [2] proprium hypocritarum, qui data opera portant vestes viles, abiectas, sordidas, ut videantur bene despicere mundum cum pompis suis; ideo specificat cappas istorum [3] per comparationem capparum, quibus utuntur monachi in Alemannia qui portant habitum ita ineptum et informem, ut non videatur habere aliquam formam vestis, imo videtur quasi unus saccus. Dicit ergo: *elli avean cappe fatte de la taglia,* idest, in tali forma, *ch' in Cologna per li monaci fassi.* Colonia est civitas magna et fortissima [4] in Alemannia bassa supra Rhenum, quam ædificavit gener [5] Augusti, unde vocata est Colonia Agrippina. Et nota quod autor fecit [6] comparationem de cappis istis monachalibus, quia visum est sibi non vidisse alium habitum despectiorem quam [7] istum. Sicut gratia exempli habitus fratrum minorum videtur magis aptus ad hypocrisim, quia videtur valde despectus plusquam habitus prædicatorum, qui videtur multum nobilis, vel habitus fratrum Gaudentium, de quibus statim dicetur. Et dicit: *con cappucci bassi dinanzi agli occhi.* Et hic est mos hypocritæ portare oculos ad terram [8], ne oculis videatur circumvagari, ut sic videatur servare præceptum evangelii, ne oculus scandalizet eum, prætendit honestatem.

---

(1) S. debet.
(2) 116, actum proprium.
(3) 116, eorum.
(4) S., E. e 116, florentissima.
(5) 116, gener vel privignus Augusti.
(6) 116, facit.
(7) S. quam istis.
(8) S. terram, et cappucium ante oculos, ut videatur servare præceptum. — 116, terram et caputeum ante oculos, ne oculi videantur servare præceptum. — E. ad terram, et cappucium ante oculos, ne videatur oculis circumvagari etc.

Et exprimit pœnam istorum, quæ est latens et incognita videntibus foris, sed ipsi bene sentiunt eam interim (1). Dicit ergo: et ipsæ cappæ, *son dorate di fuor*, quia videntur extra perfecti (2) ut aurum, et fulgere virtutibus; unde hypocrita interpretatur desuper auratus (3), quia (4) extra videtur angelus, intus est diabolus; et dicit: *sì ch'egli abaglia*, idest, ablucinant (5), quia tali modo fallunt non solum simplices; sed sæpe bene sapientes et prudentes. Et ecce oppositum: *ma dentro èe piombo tutto*, quia in mente sunt imperfecti et obscuri, sicut plumbum, vitiis occultis. Et manifestat gravitatem capparum per unam comparationem pulcerrimam. Ad cuius intelligentiam volo te notare, quod Federicus II fuit princeps sævissimus punitor eorum, qui dicebantur rei Maiestatis, imo sæpe innocentes iniustissimis (6) pœnis affecit; sicut primogenitum fecit carcere mori, et Petrus de Vineis exoculari, et alios diversis pœnis macerari; aliquando autem novo genere pœnæ punivit, qui fecerant contra coronam. Nam faciebat fieri unam tunicam ex plumbo grossiori quasi unius unciæ, qua faciebat illum indui (7), ita quod ad modum cappæ tegebat totum corpus a capite usque ad pedes; deinde faciebat ipsum poni in unum vas, sicut in caldariam, et ignem subiici, ita quod calor liquefaciebat plumbum, et homo fundebatur simul cum plumbo, carne frustratim cadente. Et est comparatio propria, sicut de se patet, de cappa plumblea ponderosa ad cappam plumbeam ponderosam, de damnato ad damnatum, de crimine ad crimen. Sicut ergo Federicus imperator romanorum rigide puniebat proditorem suum, ita (8) æternus imperator Deus rigide punit hypocritam,

(1) S., E. e 116, interius.
(2) S. perfectæ.
(3) 116, deauratus.
(4) E. qui.
(5) E. ablucinat.
(6) E. iniustissime.
(7) S. indui tamquam ad modum.
(8) E. ita imperator Deus.

qui prodit eum; sed cappæ hypocritarum erant sine comparatione graviores, ideo dicit: *e gravi tanto, che Federico le mettea di paglia,* idest, quæ (1) cappæ Federici erant levissimæ respectu istarum gravissimarum. Et hic nota quod autor bene dicit, quia pœna illorum licet gravis, tamen erat brevis, ista vero perpetua; illa dissolvebat solum corpus, ista vero premit animam et conscientiam; ideo autor considerata gravissima pœna istorum exclamat indignanter (2), *o,* idest, dico, *manto faticoso in eterno,* quasi dicat tacite: habete ipsum vobis hypocritæ, quia (3) non invideo vobis quia non possem portare. Et hic nota, quod si intelligis de inferno essentiali, autor bene dicit *in eterno,* quia ibi pœna numquam finitur; si vero loqueris (4) de morali, etiam dictum est verum, quia quamdiu vivunt portant salmam suam gravem, et post mortem gravissimam, quia autor non loquitur hic nisi de hypocritis qui perseverant semper in ipso tristi vitio; quia si pœnitent, tunc (5) non ponuntur damnati: debes ergo intelligere de obstinatis, sicut et in cæteris peccatoribus. — *Noi.* Hic (6) autor ostendit modum procedendi cum istis, dicens: *Noi ci volgemmo ancor più a man manca,* idest, ad sinistram, sicut generaliter vadunt per infernum, sed deflexerant ad dextram modicum ad persuasionem illius Malecodæ, *con loro insieme,* qui (7) similiter ibant ad sinistram, *intenti, al tristo pianto,* quia intendebamus in illa bulgia solummodo videre pœnam (8) hypocritarum, qui sunt vere tristes, quando (9) conantur ostendere se tristes cum deberent lætari, de quibus dixit (10) Christus: *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tri-*

---

(1) E. quod cappæ. (2) E. indignanter dicens: *O.*
(3) S. quia non possem portare, quia non invideo vobis.
(4) S. loquaris. (5) S. nunquam ponuntur. (6) 116, Nunc autor.
(7) S. e E. quia similiter. (8) E. pœnas.
(9) E. quando deberent lætari conantur se ostendere tristes, de quibus.
(10) 116, dicit.

stes. Ideo proprium epitheton hypocritarum est tristis. Sed licet irent simul cum hypocritis non tamen pari passu [1]. Unde ostendit tarditatem eorum, dicens: *ma quella gente stanca venian sì piano per lo peso,* quia cappa erat gravis et longa, ita quod non poterant ipsam succingere et crispare, *che noi eravam novi, di compagnia ad ogni mover d' anca.* Illi ibant ita plane, quod antequam fecissent unum passum, Dantes et Virgilius fecerant septem; ita quod ad omnem mutationem passus inveniebant novam societatem.

Perch' io. Ista est tertia pars generalis, in qua autor describit duos magnos hypocritas modernos. Et primo petit a Virgilio posse videre aliquem singularem et notum hypocritam, dicens: *perch' io al duca mio:* supple petivi, *fa' che tu trovi alcun, ch' al nome o al fatto si conosca,* idest, aliquem famosum hypocritam qui fecerit aliquid grande facinus sub mantello hypocrisis, *e movi gli occhi intorno sì andando,* quasi dicat: non est opus magno scrutinio ad cognoscendum aliquem inter tot habitus religiosorum, et sectas multas; ideo faciliter potes cognoscere et secernere aliquem ambulando continuo, quia materia est satis prompta et nota. Et fingit quod antequam Virgilius responderet unus obtulit se sponte; unde dicit: *et un ch' intese la parola tosca,* hoc ideo dicit, quia loquela tusca inter alias italicas est [2] maxime cognoscibilis, et quia iste erat bononiensis, et vicinus Florentiæ, quæ est confinis Bononiæ; imo autor merito fingit hoc, quia iste commiserat in Florentia peccatum quo erat damnatus ibi, ideo audiens Dantem loqui florentine obtulit se statim sibi; ideo dicit: *gridò di retro a noi,* quia jam multum transiveramus eum, *o voi che correte,* videbatur isti quod Dantes et Virgilius currerent, quia

---

(1) S. passu ibant. Unde. (2) E. est valde cognoscibilis.

ipsi hypocritæ ibant ad modum testudinis motu tardissimo, *su per la via fosca,* quia omnis bulgia est obscura, et ista non minus quam præcedens, quia illi laborant sub pice, isti vero sub cappa, *tenete i pedi,* quasi dicat: expectate modicum si vultis cognoscere unum aliquem hypocritam, quia (1) nunquam possemus attingere vos euntes tam festine, et si tardaveritis (2) vestrum acceleratum incessum, *forse ch' avrai,* tu tusce, *da me quel che tu chiedi,* quia scilicet cognosces unum hypocritam, quem debes (3) velle libenter cognoscere, quia bene feci me cognosci (4) in patria tua ego et socius meus. Et adverte quod iste loquitur dubitative more hypocritæ, ne videatur mendax vel vanus. Et subdit autor quod Virgilius, audita voce istius hypocritæ, admonuit eum ut expectaret, et incederet secum tarde. Dicit ergo: *onde 'l duca se volse,* scilicet ad verba illius hypocritæ, *e disse: aspetta,* quia iste est talis qualem tu petis, *e poi procedi secondo il suo passo,* quasi dicat: oportet te ire asiatim sicut ipse, si vis loqui secum, quia *qui ambulat cum claudo oportet claudicare;* et sic est de facto, quia vir sapiens quando loquitur cum tali cogitur (5) ire sicut ille vadit. — *Ristetti.* Hic autor ostendit qualiter ad præceptum Virgilii firmaverit se et viderit duos qui videbantur multum optare esse secum, unde dicit: *ristetti e vidi dui mostrar col viso,* idest, cum apparentia faciei, *gran fretta del animo d' esser meco,* ut loquerentur mecum, quia isti ambo ibant simul socii in * pœna, sicut fuerunt socii in * (6) culpa, quam ambo commiserant Florentiæ; ideo desiderabant loqui cum autore florentino, sed non poterant mutare passum impediente cappa. Ideo dicit: *ma il carco e la via stretta li tardava,* quia cappa erat gravis

(1) E. quia non possemus. (2) E. tardaretis. (3) E. deberes.
(4) S. cognoscere. (5) S. oportet ire sicut ipse vadit.
(6) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 116.

plumbea, et via erat arcta, idest, vita et regula arcta quam dissimulant [1] semper ferre. Per hoc autor dat intelligi actum hypocritæ, qui videns a casu virum probum transire per viam cui vellet libenter loqui, non audet festinare gressum cappa impediente, quia scilicet nimis timet non videri in omni suo actu totus modestus. Et ostendit quomodo isti duo se habuerint primo erga eum, secundo inter se cum attigisset eos dicens: et illi hypocritæ, *mi rimiraron assai con occhio bieco,* idest, obliquo, quia scilicet respexerunt eum oblique cum admiratione quia erat vivus et sine cappa, ita quod non removerunt cappucium ab oculis eorum, et hic est actus hypocritæ, *senza far parola,* et hic est mos hypocritarum loqui tarde [2] sicut incedunt tarde, *quando for giunti,* scilicet ad locum ubi eramus expectantes eos, quia non fecimus eis tantum honorem, quod iremus obviam dominis fratribus reverendis, quamvis haberent cappas aureas ita relucentes, *poi se volsero in se,* respicientes se recte, *e dicean seco,* scilicet unus alteri, *costui par vivo a l' atto de la gola,* idest, ad actum respirandi, et loquendi in gutture; et allegorice quia autor non erat mortuus in isto vitio, nec loquebatur ad modum hypocritæ, imo audacter, ita quod sæpe in vita fuit reputatus nimis rigidus, et hoc aperte ostendit in opere isto, et dicit: *e per qual privilegio vanno scoperti de la grave stola,* idest, veste plumbea, *s' ei son morti?* quasi dicat: ex qua gratia speciali venerunt isti ad collegium hypocritarum, et stant inter nos sine cappa et pœna? — *Poi.* Nunc autor ponit orationem hypocritarum ad eos; unde dicit: *poi dissermi,* unus cœpit loqui pro se et pro socio, et ut commoveat Dantem ad loquendum dicit caute vitium suum, quasi volens dicere: tu non videris mihi hypo-

---

(1) S. dissimulabant. (2) 116, turgide.

crita, et bene cognoscis hypocritas, ad quorum consortium tu venisti; ideo non dedigneris loqui nobis. Dicit ergo: *o tosco,* vocat eum nomine provinciæ, quia, ut dictum est, jam cognoscebant (1) eum a loquela, sed nondum sciebant (2) de patria, nec de nomine eius, licet extimarent (3) eum fore florentinum, *che se' venuto al collegio degli ipocriti tristi,* quos Deus digne fecit tristes, *dir chi tu se',* quia mirabile est videre te vivum hic; et dicit: *non avere a dispregio,* quamvis displiceant tibi hypocritæ; et sic manifestat suum vitium, ut autor (4) manifestet nomen suum. Et subdit suam responsionem, dicens: *Et io alor,* supple, respondi, specificans me a patria, quia jam eram notus eis a provincia: *i' fui nato e cresciuto,* bene dicit, quia usque ad trigesimum quintum annum steterat in patria, quando natura hominis amplius non crescit, *sopra 'l bel fiume d' Arno;* istius fluminis descriptio habetur Purgatorii capitulo XIV, *a la gran villa,* idest in civitate Florentiæ, et appellat civitatem villam more gallico; quæ Florentia est decus (5) illius riperiæ, magna ambitu, potentia, opulentia, amœnitate et civilitate, ut per se patet. Et confirmat illud, quod illi superius dicebant inter se, scilicet, quod vere est vivus: unde dicit: *e son col corpo ch' i' ho sempre avuto,* quasi dicat non fictitio, non fantastico, quale aliquando dæmon induit sibi, quasi dicat: non sum fantasma (6), vel moraliter, non sum fictus, sicut hypocrita, imo realis (7), apertus. Deinde petit ab eis qui sint, dicens: dixi vobis quis (8) sim, sed vos, qui jam dixistis mihi vitium vestrum, dicite qui estis, unde petit (9): *ma voi chi siete a cui tanto dolor quant' io veggio distilla,* idest, colat, *giù per le guance,*

---

(1) E. cognoscebat.
(2) E. sciebat.
(3) E. existimaret.
(4) E. ut autor pandat nomen.
(5) E. decus totius illius.
(6) 116, phantasia.
(7) E. rationalis.
(8) E. qui sum.
(9) E. petit, dicens: *ma.*

quia ibant plorando et lacrymando; et sic respondet ad illud quod ille dixerat supra, *de gli ipocriti tristi,* quasi dicat: bene video quod estis hypocritæ ut dixistis, ad omnia signa, sed nescio qui sitis; et dicit: *e che pena èe in voi che sì sfavilla,* idest, apparet. Hoc pro tanto dicit autor, quia licet gravitas pœnæ appareret per signa exteriora, tamen erat occulta, quia cappa erat interius plumbata, desuper vero deaurata, et vere sic. Quis enim crederet quod isti qui videntur ita sancti essent ita cruciati in mente. — *E l' un.* Nunc autor ponit responsionem alterius hypocritarum, qui primo respondet ad secundum quæsitum detegens qualitatem pœnæ. Dicit ergo: *e l' un rispose a me: le cappe rancie,* idest, aureæ; et adverte quod cappæ hypocritarum realiter non sunt aureæ, imo per contrarium sunt viles et despectæ; sed autor respicit allegorice ad apparentiam fictam et umbratilem hypocritarum, quæ superficialiter videtur aurea, idest, perfecta, virtuosa et clara, et tamen interius est plumbea, idest, ponderosa, gravis, vitiosa; ideo dicit, *son di piombo sì grosse, che li pesi fan così cigolar le lor bilance,* idest, faciunt ita tremere membra portantia ipsas; et hic nota pulcram metaphoram: sicut enim videmus quod sub gravissimo pondere omnia membra tremunt, ita quod nervi et juncturæ videntur dissolvi, ita isti videbantur crepare sub cappis istis; ergo bene membra et ossa istorum appellantur bilanciæ, quæ æqualiter gravantur, quia, quocumque [1] se moveant, et ad quodcumque latus, portant secum onus suum, quod æqualiter premit eos. Deinde respondet ad secundum quæsitum, scilicet qui sint. Ad cuius rei intelligentiam est sciendum, quod, sicut ego collegi ex regula istorum fratrum, quidam nobiles et divites viri, sicut Lodorin-

---

[1] 116, quomodocumque.

gus de Andalo, civis bononiensis, Guamons de Caccianimicis de Bononia, Raynerius de Adalardis de Mutina, et plures alii de civitatibus eorumdem congregati, inter se habito colloquio et consilio supplicaverunt Urbano papæ quarto quatenus dignaretur donare eis certum ordinem et habitum, sub quo possent vivere libere in quiete, in otio sanctæ contemplationis. Quorum precibus Urbanus condescendens, constituit eis ordinem, qui intitulatus est ordo militiæ beatæ Mariæ Virginis gloriosæ; et dedit eis certam regulam cum multis præceptis et observantiis, scilicet quod ferrent frœna eorum (1) et calcaria simplicia, non deaurata, non deargentata, quod (2) non irent ad convivia sæcularium personarum, nec donarent histrionibus, nec irent sine socio, fratre, vel consorte, vel alia persona honesta; et ita de multis, quæ tam inutile quam longum esset enarrare; dedit eis habitum nobilem, qui habet magnam similitudinem cum habitu prædicatorum; et pro insignio scutum albi coloris cum cruce rubea. Ad propositum ergo: dicit unus istorum fratrum: *noi fummo,* et utitur vulgari bononiensi, *frati Godenti.* Et hic nota, quod iste denominat (3) ordinem suum a vocabulo notiori et usitatiori. Nam a principio multi videntes formam habitus nobilis, et qualitatem vitæ, quia scilicet sine labore vitabant (4) onera et gravamina publica, et splendide epulabantur in otio, cœperunt dicere: Quales fratres sunt isti? certe sunt fratres gaudentes. Ex hoc (5) inolevit, ut sic vocentur vulgo usque in hodiernam diem, cum tamen proprio vocabulo vocarentur milites Dominæ (6). Dicto qui (7) fuerunt, dicit unde fuerunt (8), cum dicit: *e bolognesi.* Iste enim ordo habet caput et fundamentum Bononiæ;

---

(1) E. eorum simplicia. (2) E. et quod non. (3) 116, nominat.
(4) S. evitabant. (5) E. Ex hoc obtentum est, ut sic.
(6) S. Dominæ Sanctæ Mariæ. (7) 116, qui fuerint. (8) 116, fuerant.

unde habent suum monasterium principale extra Bononiam apud locum qui dicitur Castrum Britonum. Et quidam istorum fratrum sunt sacerdotes, alii vero sunt coniugati. Et tangit nomina, dicens: *nomati*, idest, nominati: *io Catelano*, iste fuit nobilis vir de Catelanis de Bononia, *e questi Loderingo;* iste fuit de Andalois (1); *e presi*. Hic Catelanus narrat culpam suam, quæ fuit magna pars damnationis eorum. Ad quod oportet breviter scire, quod invalescente divisione partialitatum (2) Florentiæ, mortuo rege Manfredo, pars ghibellina multum tepuit, et guelpha intumuit Florentiæ. Unde populus, qui magis erat guelphus quam ghibellinus cœpit murmurare, et guelphi banniti et confinati cœperunt reducere se versus civitatem, et tenere tractatum cum amicis intraneis. Unde cives conquerebantur de dominio comitis Guidonis Novelli, qui erat ibi vicarius pro Manfredo, memores damnorum receptorum apud Montem Apertum, ubi unus dimiserat patrem, alius filium, alius fratrem. Quapropter principes partis ghibellinæ, qui (3) tunc regebant Florentiam, ad sedandum et contentandum populum, elegerunt duos milites fratres gaudentes de Bononia, quorum unus vocatus est frater Catelanus de Catelanis de domo guelpha, alter frater Lodoringus de Andalois de domo ghibellina. Isti duo fratres facti Potestates Florentiæ per populum positi fuerunt in palatio populi, ut conservarent (4) statum civitatis, et caverent ab expensis superfluis. Qui licet essent divisi animo partialitatis, tamen sub tegmine falsæ hypocrisis fuerunt concordes magis ad eorum commodum privatum, quam commune bonum. Ordinaverunt ergo quod triginta sex homines mercatores et artifices de maioribus et melioribus

---

(1) E. Andalis. (2) S. partialitatis.
(3) E. quæ tunc regebat. — 116, qui tunc regnabant Florentiæ.
(4) E. asservarent. — 116, confirmarent.

deberent consulere dictis [1] duobus Potestatibus, et providere expensis communis. De quorum numero fuerunt guelphi et ghibellini, populares et magnates non suspecti, qui remanserant in civitate tempore expulsionis [2] guelphorum, quando ghibellini dato conflictu ad Montem Apertum, reintraverant civitatem viribus Manfredi, ut jam scriptum est sæpe supra capitulo X et XVI. Isti ergo triginta sex convenientes simul omni die fecerunt [3] multa bona statuta et ordinamenta, creantes capitaneos et consules cum confalonibus et insigniis, ut obviarent violentiis et rumoribus. Propter dictas novitates factas per [4] duos Potestates et prædictos triginta sex homines, ghibellini magnates Florentiæ, sicut Uberti, Lamberti, Sifantes, Scholares, et alii magnarum domorum, ceperunt suspicionem partialitatis, quia videbatur eis, quod prædicti triginta sex homines faverent guelphis, qui remanserant in Florentia; propter quod comes Guido novellus vicarius territus de recenti victoria, quam habuerat Carolus de Manfredo, misit pro gentibus ad omnes civitates amicas, scilicet Pisas, Senas, Aretium, Pistorium, Pratum, Vulterras, quia tunc quasi tota Tuscia erat sub parte ghibellina, ita quod cum quingentis equitibus theutonicis quos habebat, reperit se Florentiæ cum mille quingentis equitibus; accidit autem quod comes Guido volebat, quod imponeretur una collecta pro solvendo theutonicis prædictis; et dicti triginta sex quærebant per alium modum invenire pecuniam cum minori gravamine populi. Et cum distulissent pluribus diebus quam videretur ipsi comiti et magnatibus ghibellinis, illi suspicantes propter novum ordinem datum in populo, decreverunt tumultuare et destruere officium tri-

---

[1] E. prædictis.

[2] E. expulsionis, quando.

[3] E. fecerunt bona.

[4] E. per dictos.

ginta sex cum favore et militia prædicti (1) comitis Guidonis. Et primi, qui exiverunt armati, fuerunt Uberti, clamantes: *Ubi sunt isti latrones triginta sex?* Illi autem congregati (2) in loco solito, diffugerunt. Et sic totus populus, clausis apothecis, fuit sub armis: et, ut cito dicam, comes Guido videns, quod non poterat frangere populum, venit cum tota militia ad palatium, ubi erant duo Potestates, in platea sancti Apollinaris, et petivit claves portarum ab illis. Quibus habitis, viliter recessit, cum tamen esset fortior et potentior populo; et de sero pervenit Pratum. Hoc autem factum est die sancti Martini decima prima novembris, anno Domini MCCLXVI. Exclusis ergo magnatibus ghibellinis, florentini reformaverunt civitatem, sicut eis placuit, et miserunt extra istos duos Potestates, qui consenserant tacite huic facto. De mense januarii sequenti florentini reduxerunt omnes in civitatem, et fecerunt multa matrimonia ad firmandum pacem, quæ tamen modicum duravit. Nam guelphi elati victoria Caroli, secrete miserunt ad eum pro gente et pro uno capitaneo, qui misit comitem Guidonem de Monforte, cum octingentis militibus francis; qui pervenit Florentiam (3) die Resurrectionis Domini anno MCCLXVII. Cuius adventum ghibellini sentientes, nocte præcedente exiverunt Florentiam inredituri. Ad propositum ergo: iste frater Catelanus tangit causam et effectum vocationis eorum, quia scilicet fuerunt vocati ad præservandam pacem, et pepererunt perpetuum scandalum, corrupti a guelphis, et sic peccaverunt per hypocrisim et baratariam, quæ (4) punitur in bulgia præcedenti; ideo autor noster merito locavit istos vicinos baratariis. Ex omnibus ergo narratis, nunc potes clare intelligere (5) literam istam, ad quam nunc rever-

(1) E. dicti. (2) E. aggregati. (3) 116 e E. Florentiæ.
(4) 116, qui puniuntur. (5) 116, videre et intelligere.

tere. Dicit ergo frater Catelanus Danti: Nos duo dico, *presi,* idest, electi et accepti, *insieme,* ad [1] unum officium, ad unum finem, *da tua terra,* scilicet Florentia [2], *per conservar sua pace,* quæ erat tunc in periculo et periclitatione. Et ecce quomodo fuerunt vocati a florentinis, *come suole esser tolto un uom solingo,* idest, solus quasi dicat: sicut solet vocari Florentiam unus solus Potestas, nunc fuerunt vocati duo ad regimen [3] civitatis. Et non exponas, *solingo,* idest solitarius, sicut aliqui [4] exponunt, dicentes, quod aliquando solet accidere, quod homo solitarius abstrahitur a solitudine et religione ad sedandas discordias, vel gerendas [5] dignitates, sicut dictum est supra de Cœlestino capitulo XIX; sed sic dicentes ignorant historiam facti. Unde nota, quod inter alia præcepta regulæ istorum fratrum est unum, scilicet quod non assumant publica officia, nisi pro bono pacis, sicut hic; et quod non ferant arma, nisi pro defensione fidei catholicæ et ecclesiasticæ libertatis. Et subdit quomodo fecerunt contrarium, dicens: *E fummo tali,* idest, tales conservatores pacis, *ch' ancor s' appare intorno dal Gardingo.* Quasi dicat: adhuc apparent vestigia veterum ruinarum Florentiæ, quarum fuimus autores. Gardingus enim erat eo tempore una contrata, ubi fuerunt domus Ubertorum, quæ principaliter fuerunt destructæ a fundamentis, juxta sanctum Petrum Scaradium, juxta palatium priorum, ubi stant hodie Leones Florentiæ. Sed de omni re cito est vindicta. Nam Lodoringus [6] ghibellinus, qui fuerat causa, quod nobiles [7] ghibellini de Florentia expellerentur, et quod eorum palatia destruerentur, postea fuit expulsus de Bononia cum suis consortibus et aliis nobilibus ghibellinis, et palatia eorum

---

(1) S. idest, ad unum. (2) E. Florentia tua patria, *per.* (3) S. regulam.
(4) S. alii. (5) S. et regendas. — E. vel gubernandas.
(6) 116, frater Lodoringus. (7) E. nobiles guelphi.

funditus eversa; quorum ruinæ adhuc apparent Bononiæ juxta studium legistarum. Catelani autem in totum defecerunt, nec aliquid apparet de eis, nisi una turris satis alta, quæ sæpe solet fulminari.

Io cominciai. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua autor describit quosdam antiquos hypocritas; et primo fingit quod iratus ad verba illius hypocritæ exclamaverit, unde dicit, finito sermone Catelani: *io cominciai,* supple dicere: *o frati,* idest, o fratres gaudentes, qui fecistis tot millia hominum tristia (1), *i vostri mali.* Et hic nota, quod autor dixit hoc improperando, non compatiendo, sicut aliqui opinantur; ideo non complevit orationem suam, vel oratio hic remanet suspensiva, quia sic est de more iratorum (2), sic relinquere orationem imperfectam. Potest tamen suppleri sic: *i vostri mali,* fuerunt causa destructionis illius civitatis, vel vestra mala sunt bene punita; vel forte, ideo non complevit suum dictum, quia occurrit sibi alius videndus, qui retraxit eum ab illis, qui fuerat summus omnium hypocritarum, quasi (3) si Virgilius dixerit: quid exclamas contra istos? quid dices de illis hypocritis qui crucifixerunt (4) Christum? Unde dicit: *ma più non dissi,* quia converti me ad alium, *ch' all' occhio mi corse,* idest, occurrit speculationi meæ intellectuali, *un crocifisso in terra.* Iste erat Cayphas princeps sacerdotum hypocritarum, quem autor merito fingit stare crucifixum in terra, quia fuit autor, quod (5) Christus mediator Dei et hominum crucifigeretur in cruce. Et dicit: *con tre pali,* quia sicut Christus fuit affixus cruci cum tribus clavis, ita iste affixus terræ cum tribus palis luit pœnas dignas. Et ostendit quomodo

---

(1) E. tristes. (2) E. iratorum relinquere. (3) E. quasi dicat si Virgilius.
(4) E. crucifixerunt Dominum nostrum Redemptorem prætiosissimum Jesum Christum?
(5) E. quod Dominus noster Jesus Christus.

se habuerit Cayphas viso autore, dicens: ille summus hypocrita, *tutto si distorse,* licet esset ita firmatus in terra, *quando mi vide,* scilicet, ex dolore et ira, quia autor erat christianus, ipse (1) hebræus; autor erat vivus et sine cappa hypocritarum, ipse vero summus hypocrita (2) in summam pœnam sentiebat onus omnium capparum; ideo dicit: *soffiando nella barba coi sospiri,* in signum profundi doloris. Et subdit (3) quomodo frater ille manifestaverit eum sibi dicens: *el frate Catelan ch' a ciò s' accorse, mi disse: quel confitto che tu miri,* idest, Cayphas quem tu respicis cum maiori admiratione quam alios, sicut statim dicet idem de Virgilio, *consigliò i Farisei, che convenia porre un uom per lo popolo ai martìri,* quia scilicet dixit: expedit ut unus (4) moriatur pro populo, ne tota gens pereat; et Virgilius dixit: unum pro multis dabitur caput. Et sic nota quod iste fuit maximus omnium hypocritarum, quia pessime agebat, et tamen videbatur optime agere et dicere; et tamen ex invidia quærebat mortem (5) Christi. Et subdit aliam pœnam gravissimam Cayphæ (6), dicens: et ipse: *attraversato e nudo èe nella via, come tu vedi;* in (7) forma crucifixi extensus per terram; *et èe mistier ch' el senta,* scilicet in corpore suo, *qualunque passa come pesa pria:* intellige (8) de hypocritis quod (9) omnes transeunt per ipsum; nam Virgilius non gravasset eum, quia spiritus erat, nec Dantes (10) multum pressisset eum, licet esset cum corpore, quia non habebat plumbum; sed hypocritæ ita ponderati transibant omnes. Per hoc autem autor pulcre figurat, quod hypocrisis istius fuit fundamen-

---

(1) E. et ipse vero hebræus. (2) E. hypocrita et summam. (3) S. ostendit.
(4) 116, quod unus moriatur pro populo ne tanta gens pereat, sicut Virgilius.
(5) E. mortem Salvatoris nostri prætiosissimi Domini Jesu Christi. Et.
(6) E. ipsius Cayphæ. (7) E. scilicet, in formam.
(8) 116, intelligas. (9) S. quia.
(10) S. Dantes multum, quia non habebat plumbum.

tum omnium malorum, quia ipsum Christum (1), quantum in se est, capiunt et decipiunt; nam sub colore boni faciunt magna damna, et nocumenta aliis. Sicut quidam cardinalis volens obviare, ne quidam canonicus sancti Petri promoveretur ad cardinalatum, dixit papæ: Pater sancte, rem pessimam facis; nam ecclesia Petri remanebit desolata et deserta, quia homo iste est pater et patronus istius nobilis ecclesiæ, diligens custos Sudarii, et omnium rerum sacrarum beati Petri. Ita fecit cardinalis de Prato in electione Clementis V, ut dictum est in capitulo XIX, et ita possem dicere de mille. — *Et a tal.* Hic Catelanus nominat secundum hypocritam antiquum summum et sequaces, scilicet Annam, qui erat (2) socer Cayphæ prædicti, dicens: *e il suocero se stenta,* idest, extenditur, vel pœnam patitur parem (3), *a tal modo,* scilicet, quia similiter stat crucifixus in terra cum tribus palis, et omnes transeunt primo per corpus Cayphæ, secundo per corpus Annæ, deinde per corpora aliorum fautorum suorum. Ideo dicit: *e gli altri del concilio,* scilicet, alii sacerdotes hypocritæ, *che for mala sementa per li Giudei;* nam postea secutum est illud excidium tam miserabile quam memorabile Judeæ (4) et Hierusalem, de quo dicetur Purgatorii XXI, et Paradisi capitulis VI et VII, quod pulcre et plene describit Josephus et Egysippus; et dicit, *in questa fossa,* idest, bulgia. Et subdit autor quomodo Virgilius admiratus fuerit (5) per Caypham, dicens: *allor vid' io Virgilio meravigliar sopra colui,* scilicet Caypham, qui erat primus et principalis, *ch' era disteso in croce,* substratus (6) et calcatus pedibus omnium, ideo dicit: *tanto vilmente nell' eterno esilio,* idest, in supplicio infernali, ubi

(1) E. ipsum Dominum nostrum Jesum Christum.
(2) S. fuit. (3) E. talem. (4) S. e E. Judeæ totius et Hierusalem.
(5) 116, fuit super Caypham. (6) 116, subfractus.

est perpetuo relegatus a cœlesti patria. Et hic nota quod autor fingit Virgilium sic mirari ex eo quod iste tam mirabiliter quam ignoranter prophetavit, non intelligens se ipsum; nam vir sapiens miratur (1) sæpe videns in simili multos, qui divinant mortem vel ruinam sui et suorum, non intelligentes quid dicant. Unde mirabile videtur unde hoc proveniat, vel voluit dicere in illa admiratione: Ah quanta mala proveniunt ab hypocrisi! imo multa et magna mala habuerunt ortum a religione, sicut scribit Titus Livius de bachanalibus causa omnium flagitiorum. —*Poscia.* Nunc autor tangit recessum suum ab hypocritis. Ideo bene fingit Virgilium petere de via tenenda ab illo fratre Catelano, cum quo habuerat sermonem hucusque. Unde dicit (2): et ille Virgilius, *poscia drizzò cotal voce al frate,* scilicet Catelano: *non vi dispiaccia dirci s' a la man destra giace alcuna foce,* idest, aliqua via recedendi hinc, *onde,* idest, per quam faucem, *noi ambedui,* scilicet ego Virgilius et Dantes, *possiamo uscirci senza constringer degli angeli neri,* idest, de diabolis nigris; nam diabolus est angelus, sed angelus malus, quasi dicat, absque eo, quod revertamur ad manus baratariorum qui voluerunt capere nos, cum debebant nos scortare securos per totum territorium domini eorum, qui miserat eos; ideo dicit: *che vegnan d' esto fondo a dipartirci.* Unde adverte quod Virgilius petit hic certiorari ab isto hypocrita de eo quod sibi dixerat Malacauda supra in capitulo XXI, ubi dixerat, *presso èe un altro scoglio che via face,* et mentiebatur per gulam. Et nota quod Virgilius utitur cautela loquendi, quando dicit: *se vi lece,* idest, si licitum est vobis dicere; ita enim debemus loqui hypocritis qui servant silentium, et loquuntur raro, quasi dicat: si potestis absque offendere

(1) E. miratur videns.

(2) E. dicit quod.

regulam vestram, vel sanctam obedientiam. — *Rispose.* Hic autor ponit responsionem istius fratris ad quæsitum Virgilii, qui docet ipsum viam veram per quam debent ire, et reducit eos ad viam rectam a qua recesserant pravo consilio Malacaudæ; et dicit breviter quod ipsi non sunt longe a ponte generali qui incipit a principio Malebulgiæ, et totus integer tegit omnes bulgias præter istam bulgiam sextam, et per ruinas istius pontis fracti potestis transire et exire hinc. Dicit ergo autor: ille frater Catelanus, *rispose,* scilicet Virgilio, *adunque,* istud igitur non est hic conclusivum sed continuativum, *un sasso,* scilicet scopulus faciens pontes, *che si move,* idest, incipit, *da la gran cerchia,* idest, a prima magna alta ripa, ubi incipiunt arcus pontis, qui (1) claudit in se ceteras bulgias, sicut declaratum est supra, capitulo XVIII; ideo dicit: *e varca tutti i vallon feri,* idest, omnes decem bulgias, quia istud saxum facit super singulas bulgias suum arcum, qui continuati sunt omnes integri præter istum istius bulgiæ sextæ; ideo dicit: *salvo ch' èe rotto,* idest, excepto quod (2) saxum est fractum, *a questo,* scilicet, valloni, *e nol coperchia,* quia jacet fractum in fundo, *s' appressa più che tu non speri,* idest, est magis propinquum quam credas (3). Credebat enim Virgilius esse multum elongatus a via recta, quia diverterat a via sua per mendacium Malacaudæ, et postea pro timore præcipitaverat se per ripam in bulgiam istam, ita quod non sciebat ubi esset, et utrum esset de prope. Ideo vult dicere Catelanus: appropinquat septima bulgia, ubi invenies pontem integrum, et docet viam per quam possint recedere. Ideo dicit: *montar potrete su per la ruina,* scilicet istius pontis fracti, *che giace in costa,* idest, ad modum vel in loco costæ vel pontis, imo dicit me-

(1) E. quæ. (2) E. quod sextum est. (3) E. tu credas.

lius, *che giace in costa,* idest, quæ ruina adhæret ripæ, quasi dicat: potestis ascendere per ruinam istius pontis fracti in fine extremo, ubi ruina adiacet ripæ; et hic est modus expeditior eundi (1) hinc, *e soperchia,* idest, super (2) extat, supereminet in acervis et cumulis, *nel fondo,* quod erat vacuum, non coopertum pice, sicut fundum bulgiæ præcedentis; ideo bene apparebat ruina istius pontis in planitie fundi desuper et poterat iri per ruinam istius pontis, licet non ita faciliter, sicut per alios pontes integros, sicut clare ostendetur in capitulo sequenti, cuius contrarium superius dixerat Malacoda, quia dixerat quod non poterat ulterius iri per scopulum, et quod erat alius scopulus viam faciens, quod erat penitus falsum. Et subdit autor quomodo Virgilius ex verbis (3) veris fratris deprehendit fallaciam (4) Malacaudæ, dicens: *lo duca stette un poco a testa china,* ex ira, indignatione, et verecundia, quia unus baratarius traxerat eum de via recta quam sæpe jactaverat se bene scire, et unus hypocrita reduxerat eum ad viam bonam; ideo dicit: *poi disse,* ille Virgilius, *colui,* scilicet, Malacauda, *che uncina i peccatori,* idest, qui cum uncino lacerat baratarios, *di qua,* scilicet, hic (5) prope in bulgia quinta, *mal contava la bisogna,* idest, falso dicebat illud, quod expediebat nobis, quia fallaciter docuerat eos, quod irent ad dexteram, quia invenirent viam, et mentiebatur; sed volebat reducere eos in laqueum et retinere in curia sua, sicut est de arte baratariorum, cum mendaciis detinere homines diu in curia; quod optime confirmat exemplo claro contingere in ipsa curia romana poeta novissimus Petrarcha. Scribit enim quod tempore quo erat in Avinione, duo de cardinalibus, in quibus orbis

(1) S. e 116, exeundi. — E. excusandi hinc.
(2) E. superstat.
(3) E. verbis fratris.
(4) E. malitiam.
(5) S. hinc prope.

terræ et ostium domus Dei vertitur, semel (1) revertebantur a palatio summi pontificis, stipati densa acie famulorum. Magna autem turba miserorum expectantium stabat (2) ad portam, quibus illa civitas, odiosa Deo, semper est plena, perdentes (3) spes vanissimas, animam, vitam, divitias, et omne tempus. Qui visis protectoribus suis, immo verius proditoribus, in quibus spem habebant, cœperunt circumstrepere, et quisquam petere, quæ fortuna, et quis status rerum suarum esset penes pontificem. Tunc unus cardinalium, non mutatus in aliquo, in re subita, tamquam ille, qui jam dudum talibus assueverat, non tactus aliqua verecundia sua, vel miseria miserorum, mirabilis mendaciorum artifex, cœpit (4) respondere singulis, quid spei haberet, aut quid papa respondisset super negotio suo, et sic fronte meretricia omnes a se dimittebat; quorum aliqui recedebant (5) læta facie, aliqui tristi (6) pro qualitate responsi. Tunc alter cardinalis nobilioris naturæ, et verecundioris animi, et qui, nisi fuisset de illo collegio, potuisset esse vir bonus, convertens se ad collegam, jocose dixit (7): nonne te pudet ludificari istos credulos, et pro libito tuo fingere responsa pontificis, quem, sicut scis, non solum hodie, sed jam multis diebus elapsis non potuimus videre? Ille vero baratarius veteranus respondit: imo potius te pudeat esse tam tardum ingenio, ut tanto tempore mores curiæ non potueris didicisse. Quo audito, omnes audientes in risum prorumpentes, et laudantes nobile responsum illius (8) nebulonis, dicebant istum esse virum sagacissimum, qui didicisset tam prompte mentiri et fallere. Ipse vero Petrarcha præsens, hæc audiens, conversus est in

(1) 116, simul.
(2) 116, stabant.
(3) E. perdendo.
(4) S. cœpit dicere et respondere.
(5) E. recedebant facie hilari, aliqui.
(6) S. tristes.
(7) E. dixit ei: num ne.
(8) S. istius.

stuporem (1), et inclinavit caput non cum minori indignatione et ira, quam hic Virgilius detecto mendacio Malacodæ. — *E'l frate.* Hic ostendit autor, qualiter (2) frater ille probavit Virgilio, quod non debebat fidere diabolo, qui numquam dicit verum. Dicit ergo: *E'l frate:* scilicet Catelanus, dixit Virgilio indignanti: *io udi' già dir a Bologna,* argumentum est a loco, quia Bononia in Italia est mater (3) studii, et nutrix omnium scientiarum, *assai vizii,* idest multa, *del diavol, tra' quali udi',* scilicet a legentibus et prædicantibus, *ch' egli è bugiardo e padre di menzogna,* juxta illud: diabolus est mendax et pater mendacii. Et hic nota pulcerrimam fictionem, quam autor hic fecit (4) ad indicandum naturam hypocritarum. Nam licet hypocrita male agat et malo animo, tamen facit istud bonum quod docet alios bonam vitam (5), et tradit rectam (6) doctrinam, et dat bona documenta et consilia, sicut iste frater dixit veritatem istis de via tenenda; postea prædicavit contra fraudem diaboli allegando scripturam sanctam, sicut tota die faciunt. Ideo autor vult dicere (7): facite recte illud quod dicit Christus in Evangelio: *quæcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt.* Isti ergo medici spirituales faciunt sicut multi medici corporales, qui dant ægrotis suis potiones amaras, quas laudant et dicunt esse sanas corpori, et raro vel numquam accipiunt sibi; ita isti dant pœnitentias amaras, quas laudant, et (8) dicunt esse salutares animæ, sed numquam volunt illas sibi. Et ultimo autor finit (9)

(1) S. in stupore.
(2) S. quomodo.
(3) E. mater studiorum et nutrix.
(4) E. facit.
(5) 116, viam.
(6) S. bonam.
(7) E. dicere tacite, quod recte dicit Dominus noster Jesus Christus in Evangelio, cum de hypocritis non sequendis loqueretur, dicens: *quæcumque dixerint.*
(8) S. laudant dicentes illas fore animæ salutares, sed numquam.
(9) E. finiens tractatum pariter et capitulum, dicit: *il duca.*

tractatum et capitulum, dicens: *il duca,* scilicet Virgilius, *sen gì,* idest, recessit ab istis hypocritis, cum quibus satis steterat, *appresso,* idest, subsequenter, *a gran passo,* quia iverat cum istis valde lento passu contra votum suum; ideo nunc voluit supplere et redimere tempus; et dicit: *turbato d' ira un poco nel sembiante,* idest, in aspectu propter causam jam assignatam, et notanter dicit: *poco,* quia sapiens (1) parum irascitur et raro. Et subdit quomodo secutus est eum libenter, quia necessario habebat ire ita tarde cum illis tristibus hypocritis. Unde dicit: *ond' io mi parti' dagl' incarcati,* idest, ab illis oneratis plumbo, *dietro a le poste,* idest, post vestigia, *de le care piante,* scilicet Virgilii quem tantum habebat carum, et cuius vestigia semper conatus est imitari. Ex dictis ergo in hoc capitulo potes perpendere si autor bene descripsit pœnam plumbi, sicut in præcedenti capitulo pœnam picis, licet illa sit materia profundior.

---

(1) E. sapiens raro irascitur. Et subdit.

CANTUS VIGESIMUS QUARTUS, *in quo tractat sicut cum labore maximo ascenderunt montem, et postea descenderunt in septimam bulgiam, ubi invenerunt fures cinctos serpentibus sub titulo multorum, et maxime Vannis Fuccii de Pistorio, cum quo multa receptaverunt; ac etiam de futuris rebus.*

In quella parte del giovenetto anno. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de pœna hypocritarum, qui puniuntur in sexta bulgia, nunc consequenter in isto capitulo XXIIII agit et tractat de pœna furum, qui puniuntur in septima bulgia. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor describit dispositionem Virgilii, et recessum eorum difficilem a prædicta bulgia sexta, et introitum difficilem ad bulgiam sequentem; quam materiam Virgilius sibi magnifica (1) oratione persuasit. In secunda describit suam dispositionem ad istam materiam furti, et pœnam ipsorum furum in generali, ibi: *Su per lo scoglio.* In tertia agit et tractat de prima specie furum, in qua describit satis diffuse unum famosum furem modernum, ibi: *Et ecco.* In quarta et ultima ille fur manifestat se et suum furtum, et prænuntiat mutationem status suæ civitatis, ibi: *Lo duca il dimandò.* Ad primam ergo veniens, dico, quod autor continuans se ad præcedentia describit dispositionem Virgilii per unam comparationem domesticam. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod autor præmittit unum casum, et sententialiter in effectu vult dicere, quod sicut circa medium januarii contingit aliquando, quod rusticus pauperculus videns (2) de mane

(1) 116, magnificata oratione. (2) S. videns mane.

rigidum [1] gelu ex magna bruma, quæ videtur quodammodo quædam nix, dolet et conqueritur quod non potest expellere oves ad pascuum; deinde paulo post egrediens tugurium, et videns brumam resolutam a sole, exhilaratus reintrat [2] domum, et accepta virga expellit oves et reconsolatur; ita Virgilius a simili erat aliqualiter iratus illusione facta sibi a Malacoda, sed post modicum, ira reiecta, serenavit frontem, et reddidit se benignum Danti. Nunc descende ad literam, quam ordina sic, quia est satis intricata, et incipe ibi: *Lo villanello, a cui la roba manca,* quasi dicat: pauperculus, quia non fecit sibi provisionem straminis pro hyeme, quæ est pars inferni pauperi [3] homini, vel quia alio casu perdidit, *si leva,* scilicet, de mane, *e guarda e vede la campagna biancheggiar tutta,* propter albam pruinam quæ tegit illam totam, *ond' ei si batte l' anca,* scilicet cum manu in signum doloris, *e ritorna in casa, e qua e là,* scilicet ambulando sub tecto, *si lagna,* idest, conqueritur, *come 'l tapin,* idest, tamquam misellus [4], *che non sa che si faccia,* quia si tenet pecudes in domo afficiuntur fame, si expellit [5] extra moriuntur frigore et fame, ideo non emittit pro tunc, *poi riede,* idest, paulo post revertitur extra domum, *e rincavagna la speranza,* idest, recuperat spem perditam. Et nota quod autor facit pulcerrimam transumptionem vocabuli in tali casu; nam cavagna est cista rusticana, et autor ex nomine trahit tale verbum, quod optime competit materiæ rusticanæ, sicut et Virgilius per totum librum Bucolicorum quasi semper facit comparationes et metaphoras rusticanas secundum exigentiam materiæ: et ecce quare resumit spem, *veggendo il mondo aver cangiata faccia,* idest, videns terram mutasse aspectum sive apparentiam, quia ubi erat primo alba ex pruina, est

---

[1] 116, rigidum geli. [2] E. remeat. [3] 116, pauperrimi homini.
[4] E. miserulus. [5] S. extra pellit, moriuntur.

facta viridis, illa resoluta, *in poco d' ora, e prende suo vincastro,* idest propriam virgam, quia non habet famulum, quem ipse mittat, *e caccia fuor le pecorelle a pàscer:* et vide quod diminutive dixerat: *lo villanello,* ideo dicit diminutive, *le pecorelle,* quia paucas habet et parvulas et male nutritas. Hoc autem accidit in hyeme de mense januarii, unde describit tempus primo per signa cœli, dicens: *In quella parte del giovenetto anno,* quia tunc annus videtur ([1]) reiuvenescere. Hyems enim assimilatur senectuti quæ est frigida, et abundat multis superfluitatibus. Ver vero bene assimilatur juventuti, quia ver est calidum, virens, pulcrum et crescens. Modo autor notanter appellat annum juvenculum diminutive non juvenem, quia nondum venit ad ver, sed incipit tendere versus ver; ideo dicit: *che 'l sol tempra i crini,* idest, temperat radios suos, quos flavos spargit a suo pulcerrimo capite, *sotto l' aquario,* de mense januarii intellige. Et nota quod autor signanter dicit, *tempra,* quia quando sol intrat aquarium fuerat ([2]) prius in capricorno, qui est tropicus hyemalis, quo ([3]) est extremitas frigoris; quia ergo recedit a summo frigore et tendit versus circulum æquinoctialem, in quo fit ver et temperies aeris, ideo dicit: *tempra,* quia tunc incipit temperare frigus intensum. Et sic vide quod autor videtur loqui large de toto tempore quo sol est in aquario, licet iste casus magis verificetur circa medium januarii, quia tunc incipit tendere ad æquinoctium. Ideo dicit: *e già le notti sen vanno 'al mezzo dì,* quia scilicet jam noctes incipiunt decrescere et dies crescere, et sic tendunt ad æquinoctium, quod fit quando sol intrat arietem, et sic sol non distat in medio januarii ab æquinoctiali nisi forte per unum signum intermedium, scilicet piscium. Unde nota quod non est

---

([1]) S. videtur velle reviviscere. — 116, videtur velle reiuvenescere.
([2]) 116, fuit prius. ([3]) 116 e E. in quo est.

verum quod sol intret arietem circa medium martii, quia aliquando intrat duodecima die, aliquando decima tertia, aliquando decima quinta, et ita variatur diversimode per tempora [1]; aliquando olim intrabat prima die martii; sed magna variatio non fit nisi per multa secula, et ita intellige necessario de cæteris signis. Deinde describit tempus per effectum, qui est magis notus sensui, quam ipsa causa, dicens: *quando la brina esempra,* idest [2], exemplificat, repræsentat: *l' imagine di sua sorella bianca,* idest, aliqualem [3] similitudinem nivis, quia scilicet cadit aliquando tam magna, quod dealbat superficiem terræ tamquam nix, et sic videtur bruma [4] soror nivis; unde dicimus communiter: ista pruina videtur una nivicula. Et hic nota quod autor pulcre appellat pruinam sororem nivis; primo, quia oriuntur de eadem matre, idest, materia, scilicet ex eadem exalatione, ut scribit philosophus libro methaurorum, et dicetur plene Purgatorii capitulo XXI; secundo, ratione formæ, idest, albedinis: et posita convenientia inter pruinam et nivem, ponit differentiam, quia nix communiter aliquandiu durat, pruina vero parum, quia pruina est ex tam subtili vapore, quod resolvitur modico calore solis, vel modica calefactione aeris [5] et vanescit; unde dicit: *ma tempra,* idest, temperatio, vel temperatura, *poco dura a la sua penna:* et est metaphora sumpta a penna, quasi dicat: sicut parum durat temperatura pennæ, ita forma pruinæ, et sæpe multo minus, quod non est aliud dicere, nisi tam cito pruina resolvitur, quam cito penna distemperatur. Et hic nota quantum comparatio manifestat hunc actum per omnes partes suas. Primo enim pastor est Virgilius, qui fuit vere pastor historice et allegorice, nam fuit filius rustici et fuit poeta; unde in libro Bucolicorum

(1) 116, tempora nostra, aliquando. (2) E. idest, exemplum repræsentat.
(3) 116, aliquam. (4) S. pruina. (5) E. aeris evanescit.

quasi semper vocat se pastorem, et nunc erat dux et pastor Dantis: fuit etiam aliquando pauperculus, quando fuit spoliatus bonis suis tempore Augusti, et nunc erat spoliatus carne; unde supra capitulo XXI, autor assimilavit eum pauperculo, in quem irruunt canes ad ostium. Ovis est Dantes, tamquam discipulus commissus curæ magistri Virgilii paratus sequi regimen et ductum pastoris. Virga Virgilii est lingua sive doctrina, cui Dantes erat subiectus, sicut statim patebit, quia vocabit eum pullum, et bene percutiet eum virga (1). Pruina est ira quæ ita exurit mentem sicut pruina herbam. Ad propositum ergo: sicut pastor qui erat primo turbatus ex pruina, paulo post, illa resoluta, lætatur, et emittit pecudes, ita Virgilius bonus pastor turbatus primo ira, paulo post, illa expulsa, emisit pecudem (2) extra bulgiam ad novam herbam pascendam, scilicet ad pabulum novæ materiæ. — *Così.* Hic autor applicat comparationem ad propositum, ostendens quomodo Virgilius iratus fecit (3) eum primo timere, dicens: *lo mastro,* scilicet, Virgilius, *mi fece così sbigottir,* idest, alterari et timorari, *quando li vidi sì turbar la fronte;* nam Virgilius habebat nunc (4) faciem inflammatam (5) ira ex fraude facta sibi a diabolis (6), sicut fuit inflammatus supra capitulo VIIII, repulsa (7) data sibi in introitu civitatis, et ex illa turbatione iræ Dantes erat factus totus territus, et ita hic; sed ista est minor ira et citius recedit, et ita timor autoris; ideo ostendit istam placationem Virgilii per unam metaphoram pulcram et propriam, dicens: *e così tosto l' impiastro giunse al male;* sicut enim emplastrum habet mitigare tumorem carnis, ita benignitas frontis Virgilii habuit mitigare timorem (8) mortis Dantis. Et probat hoc

(1) S., E. e 116, virga sua. (2) 116, pecudem suum extra.
(3) E. fecerit. (4) E. tunc. (5) 116, inflatam ira. (6) E. a diabolo.
(7) E. e 116, ex repulsa data. (8) S. e E. timorem mentis.

per effectum, dicens: *chè,* idest, quia, *lo duca si volse a me, con quel piglio dolce,* idest, cum illo aspectu benigno et favorabili, *ch' io 'l vidi prima al piè del monte,* scilicet, quando sibi ruituro de monte ad vallem, Virgilius occurrit sibi, qui promisit ei consilium et auxilium, ut patuit capitulo primo; ita (1) sibi ascensuro de valle ad montem, Virgilius benigne dedit sibi consilium verbis, et porrexit auxilium cum manibus; sicut etiam Dantes erat in ascensu illius montis territus aspectu illarum ferarum, ita nunc in ascensu istius pontis erat turbatus aspectu Virgilii irati, et aspectu illius viæ asperæ. Ideo dicit: *come noi venimmo al guasto ponte,* idest, cum redivimus (2) ad pontem jacentem ruinosum in fundo istius bulgiæ sextæ, quia dimiserant viam rectam consilio fraudulento Malacodæ.—*Le braccia.* Hic describit autor ipsum auxilium et consilium Virgilii circa ascensum istius pontis, et recessum de loco. Dicit ergo: *le braccia aperse,* sicut bonus pater qui primo videbatur iratus lætis ulnis recipit (3) filium timentem ut exhortetur eum, et tribuat sibi bonam spem. Et adverte quod Virgilius antequam ostenderet benignum aspectum Danti, et aperiret brachia ad capiendum eum et levandum, deliberaverat (4) inter se et notaverat oculis viam per quam posset ascendere sursum. Dicit ergo: *dopo alcun consiglio eletto seco,* præmeditando, et deliberando; ideo dicit: *riguardando prima ben la ruina,* scilicet (5), ut eligeret meliorem viam, *e diedemi di piglio,* idest, cepit me et amplexus est me. Unde, ut intelligas istum actum, imaginare si unquam vidisti in una valle unum pontem supra unum flumen vel rivum fractum, et lapsum in fundo, ita quod non posset exiri de valle nisi per ruinam istius pontis juxta

(1) 116, ita nunc sibi.
(2) E. nos veniremus.
(3) 116 e E. recepit.
(4) E. deliberaverat iter, et notaverat.
(5) E. scilicet ad hoc ut eligeret.

extremam ripam, ubi est finis pontis, ad quam esset difficilis ascensus, ita quod homo non posset primo ascendere sine juvamine alterius; ita ad propositum Dantes non poterat hic per se ascendere ruinam pontis per aliquam partem, ideo Virgilius consulte elegit [1] unam viam minus difficilem et magis habilem, et capiens ipsum levavit eum, et posuit cum pedibus supra unum saxum, et ostendebat desuper aliud saxum quod apprehenderet cum manibus, et [2] sic perveniret ad summitatem loci. Nunc ordina sic literam, *e levando me su ver la cima d'un ronchione,* idest, unius saxi, *avvisava un' altra scheggia,* idest, peciam [3] alterius saxi, *dicendo: poi t' aggrappa,* idest, applica te, *sopra quella,* sed noli timere, unde dicit: *ma tenta pria s'èe tal ch'ella ti reggia,* idest, sed experire primo si illa *scheggia* est tam fortis et firma, quod sustineat te; et hoc fecit et dixit Virgilius prudenter et caute, *così come quei,* idest, eo modo quo ille, *ch' adopera et estima,* idest, qui agit et cogitat simul eventum rei, *che sempre par che innanzi si proveggia,* ut nihil eveniat [4] improvisum. Et hic nota quod Virgilius solet semper portare Dantem quando vult descendere ad fundum alicuius bulgiæ vel inde exire, sicut patuit supra in bulgia simoniacorum, quod [5] portavit eum inferius [6], et in introitu istius bulgiæ sextæ portavit eum inter brachia, quando permisit se cadere deorsum timore dæmoniorum. Nunc vero in exitu non portat eum more solito, sed juvat eum ascendere; et hoc ideo facit [7] quia in prædictis locis non potuisset autor aliquo modo ire, quia erat ripa alta et recta, sicut paulo post audies de ripa sequentis bulgiæ; sed per istam ruinam pontis fracti poterat ali-

---

(1) S. eligit. (2) E. et pervenit sic ad summitatem.
(3) E. petram. (4) E. proveniat. (5) E. quia.
(6) 116, inferius, deinde reportavit eum superius, et in introitu.
(7) E. fecit.

qualiter iri, licet valde difficulter. Sicut ergo cum magno (1) timore recesserunt a turma armatorum dæmoniorum, ita nunc cum magno labore recedunt a collegio togatorum hypocritarum, a quibus etiam est difficile recedere, quia, ut jam dictum est, sæpe decipiunt sapientes et stultos. Nota etiam quod autor fingit ruinam istius pontis sexti, factam tempore mortis Christi, quia tunc de rei veritate graviter ruit status et secta hypocritarum, sicut jam patuit in præcedenti capitulo de Caypha, Anna et cæteris sacerdotibus. — *Non era.* Hic autor descripto consilio et auxilio Virgilii circa ascensum istius ruinæ, nunc describit difficultatem ipsius ascensus, et ascensum; dicit ergo primo: *non era via da vestito di cappa;* hoc dicit propter hypocritas existentes in illa bulgia habentes cappas plumbatas (2); et bene dicit, quia si difficile erat istis sapientibus recedere ab hypocritis, quanto fortius erat difficile hypocritis recedere a bulgia ista, imo erat impossibile, quia sicut baratarius numquam potest levare (3) se a pice, ita hypocrita numquam potest spoliare se cappa. Illi ergo tardissime incedentes per viam planam nullo modo potuissent ascendere viam altam, asperam; et hoc probat, quia ipsi leves vix poterant ascendere cum labore animi et corporis; unde dicit: *chè noi,* scilicet duo, *ei leve,* idest, ipse Virgilius, qui erat sine gravitate corporis et ponderositate carnis, *et io sospinto,* idest, sursum impulsus manibus et exhortationibus Virgilii, quasi dicat, qui eram etiam levis quamvis essem cum carne, quia eram sine cappa, sicut et Virgilius, et eram animatus consilio et auxilio eius, *potevam montar su,* scilicet per ista saxa ruinosa, *a pena,* idest, cum difficultate, *di chiappa in chiappa,* idest, de lapide in lapidem. Et est pulcra metaphora; chiappa enim

(1) E. magno labore et timore. (2) E. plumbeas. (3) S. lavare.

est pars tegulæ culmæ, qua teguntur tecta domorum. Sicut enim qui vadit per tecta (¹) domorum vadit valde lente et morose, quia de facili posset cadere et frangere sibi collum; ita (²) hic autor ibat valde plane et commode, quia faciliter poterat ruere deorsum propter asperitatem loci. Et subdit quid juverit (³) eum, scilicet brevitas loci, nam omnis bulgia quanto inferior, tanto brevior. Dicit ergo: *e non so di lui,* idest, ego nescio dicere de Virgilio si esset victus, quia erat levior me, *ma io sarei ben vinto,* idest, bene defecissem in via nec potuissem pervenisse (⁴) ad summum, *se non fosse che la costa,* idest, ripa, *era più corta,* idest, brevior, *da quel precinto,* idest, ab ista (⁵) bulgia hypocritarum, *che da l'altro,* idest, quam ab (⁶) alia bulgia baratariorum jam transita; et assignat causam huius dicens: *ma lo sito di ciascuna valle porta,* idest, importat, exigit, et facit necessario, *che l'una costa surge,* idest, quod una ripa elevatur, *e l'altra scende:* idest, et alia ripa deprimitur; ita quod prima ripa est alta respectu secundæ, et secunda respectu tertiæ, et ita de cæteris, *perchè Malebolge,* idest, circulus secundus generalis civitatis infernalis continens in se decem bulgias distinctas, *pende tutta,* idest, semper descendit *su la porta del bassissimo pozzo,* idest, usque ad centrum inferni, ubi est puteus, in cuius circuitu stant gigantes.— *Noi.* Hic autor, descripto laborioso ascensu (⁷), ostendit suam appulsionem cum lassitudine magna, dicens: *Noi pur venimmo al fine in su la punta,* quasi dicat: licet esset tanta difficultas loci, non tamen fuimus victi in via, imo victores et compotes voti, quia finaliter pervenimus ad extremitatem huius pontis, *onde l'ultima petra,* scilicet pontis prædicti fracti, *si scoscende,* idest, dividitur et

---

(¹) S., E. e 116, tectum domus.
(²) E. ita etiam hic.
(³) 116, juverat eum.
(⁴) 116, pervenire.
(⁵) E. illa.
(⁶) 116, ab ista bulgia.
(⁷) E. ascensu, describit suam.

separatur a petra alterius pontis integri. Et ostendit quomodo stabat in fine pontis, dicens: *la lena del polmon m' era sì munta,* idest, ita exhausta, evacuata, exinanita, *quand' io fui su,* scilicet in superficie extrema petræ, *ch' io non potea più oltre,* idest, non poteram amplius me movere, nec minimum passum facere, *anzi m' assisi,* idest, posui me ad sedendum, *su la prima giunta,* idest, statim cum attigi locum superiorem, ubi coniungitur sexta bulgia cum septima: unde ex ista litera potes clare perpendere quod cœperunt ascendere ruinam istius pontis circa finem, ubi pons adhærebat ripæ, sive costæ septimæ bulgiæ sequentis. Et hic nota quod pulmo est membrum cavernosum, spongiosum; est enim receptaculum aeris, unde tamquam follis attrahit aerem et emittit, et appellatur a physicis ventilabrum cordis, quia continuo ventilat supra cor ad temperandum excessum caloris, et quia est in continuo motu citius fatigatur; ideo autor fatigatus ultra (1) vires voluit per quietem modicum resumere spiritum. Nota etiam quod per istam lassitudinem corporis (2) dat intelligi lassitudinem animi; nam labor animi non est minor (3) quam labor corporis, sed (4) occultior, sed non potest aliter explicari quam per laborem corporis. — *Omai.* Nunc autor describit magnificam persuasionem Virgilii ad sequentem bulgiam, et merito facit hic hanc nobilem fictionem: quia enim, ut patet ex jam dictis, Dantes erat ita lassus et fessus quod plus non poterat ex asperitate pontis fracti, et nunc haberet intrare pontem alium asperiorem, licet esset integer, ideo ad refocillandum et resumendum eum (5) tam artificialiter nititur ipsum vigorare ad sequentem viam laboriosiorem; ideo exorditur, petit, et confirmat. Primo

(1) S. supra vires.
(2) E. corporis sui dat.
(3) 116, minor labore corporis.
(4) E. licet occultior.
(5) 116 e E. ipsum.

ergo captat benevolentiam per id quod autor maxime optabat, et quod principaliter appetunt poetæ, scilicet acquisitionem famæ et gloriæ. Et vult breviter dicere: si tu vis feliciter pervenire ad optatam famam, oportet quod incedas per tales vias et adhuc asperiores. Dicit ergo: *disse 'l maestro,* scilicet Virgilius recens mihi fatigato, *omai conven che tu così ti spoltre,* idest, quod tu exuas pullum, scilicet quod non sis amplius puer et pultronus, sed (1) viriliter et fortiter agas. Et nota quantum metaphora est pulcerrima et propria: sicut enim pullus antequam dometur non vult recipere frœnum, nec corrigi calcaribus, ita juvenis recusat regi frœno rationis, nec recipit correctionem maioris, imo, velut pullus indomitus ruit, quo impetus naturalis passionis trahit illum, sicut recte fecerat autor ante istud laboriosum opus, quia sequebatur vanos amores; et sicut pullus vagus et vanus non est aptus ad prælia vel labores, ita autor ante istud opus non didicerat adhuc certare contra vitia et ignorantiam, nec subire labores magnos. Et ecce quare oportet amodo sic facere, *chè seggendo in piuma nè sotto coltre non si viene in fama,* quasi dicat: vacando somno, marcendo otio, affluendo deliciis non potest perveniri ad famam quam quærit omnis vir valens. Ideo dicit: *senza la qual,* scilicet fama, *chi consuma sua vita,* viliter et inutiliter expendendo tempus, *lassa cotal vestigio di sè,* idest, talem imaginem imitandam, *in terra,* idest, in mundo viventium apud posteros, *qual fumo in aere,* idest, quale vestigium fumus relinquit in aere, quia nullum, quia cito resolvitur, et quale vestigium dimittit, *la schiuma in acqua,* quia nullum, quia cito (2) resolvitur in aquam suæ naturæ; sic vilis, piger, voluptuosus resolvitur in elementa, et de eo nullum opus virtutis re-

(1) E. sed quod viriliter. (2) E. e 116, quia etiam cito.

manet, nisi sicut de pullo vel asello. Et hic nota quod omnes viri magnanimi pro ista fama quærenda spreverunt omnes delicias, et toleraverunt omnia incommoda et labores incredibiles, ut patuit in Hannibale, Cæsare, Catone et mille aliis. Præmisso exordio, facit petitionem, dicens: *e però leva su,* quasi dicat: et quia sic est (1), non est amplius hic standum, *vinci l'ambascia,* idest angustiam et anxietatem corporis fatigati, *con l' animo che vince ogni battaglia,* quia est æternus, incorruptibilis; ideo vincit carnem corruptibilem, et omnem resistentiam passionum, imo vincit influentiam cœli, *se non s' accascia,* idest, si non deprimit se, *col suo grave corpo,* quia cum ratio subiicitur passioni, homo sæpe efficitur inferior bestia. Et confirmat (2) quod debeat hoc facere, dicens: *più lunga scala conven che si saglia,* scilicet scala purgatorii longissima, quæ pertingit a terra usque ad cœlum, sicut patebit in expositione purgatorii; et adhuc, *non basta esser partito da costoro,* scilicet ab hypocritis, qui incedunt ita lente, sed oportet venire ad fures, qui incedunt ita leviter in obscuro per terram more serpentum, quasi dicat: restat alia materia difficilior, scilicet furti, in qua magis fatiscentur vires animi. Et subdit autor effectum persuasionis Virgilii, quæ fuit efficacissima, ita quod statim fecit imperata, quia ubi ille dixerat: surge, vince (3), ipse dicit: surrexi, et (4) vici, unde dicit: *levami alor,* licet nondum esset satis resumptus a primo labore, *mostrandomi fornito meglio di lena ch' io non mi sentia,* sicut homo sæpe facit coram maiore vel sapientiore cum agitur de honore suo; *e dissi: va,* scilicet, præcede me, *ch' io son forte et ardito,* ubi primo erat debilis et timidus, quia spes præmii alleviatio est laboris.

(1) E. sic est, omnino non est.
(2) E. affirmat.
(3) 116, surge, et vive.
(4) 116, et vivo.

Su per lo scoglio. Ista est secunda pars capituli, in qua autor describit suam dispositionem in introitu septimæ bulgiæ, et pœnam furum in generali. Et primo tangit iter difficile istius pontis septimi, dicens: ergo Virgilius et ego (1): *prendemmo la via su per lo scoglio,* idest pontem, *ch' era ronchioso,* * idest saxosum, *stretto e malagevole* * (2), idest, difficile, *et assai più erto che quel di pria,* idest, quam pons præcedens; hoc dicit quia pons, per cuius ruinam nunc transiverant, erat jacens in fundo, ideo iste qui erat integer, erat altior, cuius contrarium esset, nisi ille primus cecidisset. Et hic nota, quod autor, per difficultatem istius viæ duræ et asperæ, dat intelligi difficultatem materiæ tractandæ, qua nulla fuit adhuc difficilior, nec in qua tantum laboraret phantasia autoris, sicut videbis in processu huius tractatus; et autor de hoc gloriabitur in capitulo sequenti; et incipit tangere materiam fingens se audire unam vocem ineptam, unde dicit: *parlando andava,* scilicet, cum Virgilio, *per non parer fievole,* idest, debilis, *onde una voce uscì de l' altro fosso,* idest, de septima bulgia, in cuius ponte eramus, *a formar parole disconvenevole,* idest, inhonesta, qualia decent virum infamem, qualis erat iste. Et dicit: *non so che disse,* quia confusus erat sonus vocis formatus spiritu iracundiæ, *ancor,* idest, quamvis, *che foss' io già sopra 'l dosso de l' arco,* idest, super culmine pontis, *che varca quivi;* scilicet, super istam septimam bulgiam. Vult dicere autor: licet (3) ego jam pervenissem ad medium pontis altum, de quo quasi in (4) omni ponte eram solitus videre et audire punitos in bulgia, tamen hic nihil poteram intelligere vel videre, *ma chi parlava parea mosso ad ira:* iste enim erat Vannes Fucii vir nequissimus, qui

---

(1) 116, ego Dantes.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(3) E. licet jam.
(4) E. in omnem partem pontis eram.

insane blasphemabat Deum, ut postea patebit. — *Io era.* Hic autor ostendit quomodo ad vocem clamantis ipse inclinavit [1] visum ad fundum bulgiæ, ut videret quid esset ibi; sed nihil videns petivit a Virgilio portari inferius. Dicit ergo: *Io era volto in giù;* respiciens versus fundum, *ma gli occhi vivi,* idest, oculi mei viventis in carne, *non potean ire al fondo,* idest, penetrare et attingere usque ad fundum, *per lo scuro;* et bene dicit, quia ista vallis est maxime obscura, in qua punitur furtum, quod communiter fit in loco obscuro, in tempore [2] obscuro, et fur semper amat obscurum, et ita materia furti est obscura et occulta; *perch' io,* supple dixi, *o maestro, fa che tu arrivi da l' altro cinghio,* idest, ad aliam zonam saxi, scilicet ad aliam ripam in fine pontis, *e dismontamo il muro,* idest, descendamus per ripam rectam ad modum muri, sicut fecimus supra in vallem [3] simoniacorum; et ecce causam: *chè,* idest, quia, *io veggio giù,* quia nihil videns videt obscurum, *e niente affiguro,* non discerno, vel comprehendo figuram propriam alicuius rei, cum tamen multa videam in confuso, *così com' io odo quinci,* idest, de culmine istius pontis, *e non intendo,* quia vox proveniens a fundo non est intelligibilis. Et subdit nobilem responsionem Virgilii, dicens: ille Virgilius, *disse: non ti rendo altra risposta, se non lo far; chè la dimanda onesta,* idest, quod facere ad petitionem justam [4], *si dee seguir con l' opera tacendo.* Petitio autem autoris bene erat honesta [5], quia tractatus autoris non poterat esse perfectus [6], nec decorus, si ista fraus obscura non detegeretur per eum, sicut et cæteræ fraudes ad terrorem et exemplum aliorum. — *Noi.* Nunc autor, ostensa dispositione et præparatione sua ad istam materiam dif-

---

(1) S. e E. inclinaverit. — 116, inclinaverat. (2) E. et in tempore.
(3) E. in valle. (4) E. honestam. (5) S. justa.
(6) S. e 116, perfectus, si ista fraus.

ficilem, describit pœnam furum in generali. Et primo ostendit quomodo cœpit [1] videre quid erat in valle; unde dicit: *noi discendemmo il ponte da la testa,* idest, in extremo capite eius, *dove s' aggiunge con l' ottava ripa,* idest, cum ripa octavæ bulgiæ sequentis, *e poi la bolgia,* scilicet præsens septima, *mi fu manifesta,* quia cœpi videre illa [2], quæ prius non poteram comprehendere stando in alto ponte. Et subdit qualitatem pœnæ ipsorum [3] furum, qui puniuntur a serpentibus. Ad cuius intelligentiam est bene notandum, quod autor subtilissime dat pœnam proportionabilissimam [4] isti vitio multis rationibus: primo, quia serpens est astutissimus animantium, sicut jam sæpe dictum est, ita et fur: secundo, quia serpens dicitur a serpendo, quia intrat petras et latebras terræ, ita verissime fur more serpentis intrat sub bancas, fodit terram, intrat per fenestras, per foramina, et quærit scissuras et latibula: tertio, serpens est odibilis omnibus et singulis, ita quod quandocumque apparet omnes fugiunt et fugant ipsum; ita propriissime est de fure, quia quandocumque fur detegitur, omnes ipsum persequuntur, unde [5]: *dà dà, piglia piglia, al ladro al ladro:* quarto [6], serpens latet in herba, et latenter mordet et offendit; ita fur de nocte nocet, et clandestine in occulto furatur, unde fur dicitur a furvo, quod est nigrum, ut aliqui volunt: quinto [7], serpens est horribilis aspectu, ita fur est infamis; unde fur est infamior sicario, quamvis minus peccet. Nunc ad literam dicit autor: *e vidivi entro terribile stipa,* idest, caveam, sive gabiam, quæ alibi [8] dicitur *stia.* Et dicit notanter *terribile,* quia in *stia* solent stare aves pulcræ, mansuetæ, sicut capones, columbæ,

---

(1) S. cœperit.
(2) 116, ea quæ prius.
(3) 116, istorum.
(4) E. proportionalissimam.
(5) S. unde dicit.
(6) E. quarto, quia serpens.
(7) E. quinto, quia serpens.
(8) 116, aliter dicitur.

turtures et similes; hic vero stabant serpentes; unde dicit: *di serpenti e di sì diversa mena,* idest, tam diversarum manerium (1) et variarum (2) naturarum et figurarum, *che la memoria ancor mi sipa,* idest, destruit et conturbat, *il sangue,* quando redit ad mentem meam talis aspectus fugiendus (3). — *Più.* Hic autor volens ostendere incomprehensibilem diversitatem serpentum istius bulgiæ, testatur non posse reperire comparationem condignam; ideo imponit silentium arenæ Africæ, quæ videtur præ cæteris partibus mundi gloriari de diversitate serpentum. Hæc est illa arena Africæ ardentissima, sterilissima, quæ plene descripta est supra capitulo XIIII, in qua Cato et sui passi fuerunt tot et tanta mala incommoda, pericula, damna, sicut ventum, pulverem, sitim, calorem, et quod peius fuit, invenerunt diversa genera * pestilentium serpentum mirabilium naturarum, qui dederunt eis diversa genera * (4) mortium, de quarum quibusdam dicitur hic. Nunc ordina literam, quæ est satis suspensiva. *Libia,* quæ hodie vulgo dicitur Barbaria, *non si vanti più con sua rena,* quasi dicat tacite: autores qui describunt arenam Lybiæ cum serpentibus suis pro re mirabili, sicut Plinius, Solinus, Martianus, Lucanus et alii non extollant amplius istam arenam descriptione, quia ego reperi fictione mea aliam mirabiliorem, quod probo, *chè,* idest, quia ipsa arena Lybiæ, *non mostrò* vel *produsse giamai tante pestilenzie;* et verum dicit, quia pro certo plura sunt genera furum et furtorum sine comparatione, quam species serpentum, *nè sì ree,* et verum dicit, quia peiora sunt ista furta * interficientia animam, quam venena serpentum * (5) interficientia solum corpus; et dicit: *con tutta l' Etiopia,* quia in Æthiopia est etiam

(1) S. e E. manierarum. (2) 116, diversarum. (3) E. fugitivus.
(4) Mancano nel Codice Estense le parole fra i due asterischi.
(5) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

magna copia serpentum, quia est ardentissima; ideo serpentes, qui pro magna parte sunt naturæ frigidissimæ, libenter morantur ([1]) ibi, quamvis etiam multa venena sint calidissima; et addit: *nè con ciò ch' èe di sopra 'l mar rosso.* Ad quod nota quod mare rubeum sic denominatur non ex natura sui, sed ex natura arenæ suæ, quæ rubea est; unde si accipias de aqua istius maris, ita est viridis sicut aqua aliorum marium, et est unus sinus magni maris Oceani, qui est divisus in duo brachia, scilicet persicum et arabicum; unde aromata et mercimonia orientis, sicut piper et alia odorifera, quæ plurima nascuntur in Arabia, deferuntur per istud mare rubeum in nostrum mare mediterraneum. In regionibus ergo orientalibus, quæ sunt supra mare rubeum, est magna abundantia serpentum incognitorum regionibus nostris, et præcipue in India, sicut scribunt omnes autores; et hoc dico: *se,* idest, si ipsa arena Lybiæ, *produce,* ista genera serpentum, scilicet, *chelidri, jaculi e pharee e cencri con anfisibena,* et alia multa, de quibus dicetur in isto capitulo et sequenti. Ad intelligentiam ergo istorum serpentum est hic bene considerandum, quod chelidrus est serpens, quem dicunt esse tam aquaticum quam campestrem, et inde compositum est nomen; chelon enim græce, latine terra, et idor ([2]) aqua. Est autem serpens cuius dorsum fumans, terram fumare facit, per quam transit, propter virtutem veneni, sive fumus exeat ex eo, sive ex terra quam fumare facit; hic serpens pro magna parte sui ambulat directus, quia si se multum torserit dum currit, statim crepat. Jaculus, ut dicit Plinius in naturali historia, est serpens alatus a jaculando dictus, qui ([3]) in arboribus latens inficit fructus, et qui comede-

---

([1]) E. morantur ibidem in calore, quamvis.
([2]) E. idor aqua, seu ydror. Est.
([3]) 116, quia arboribus latens.

rit eis [1] moritur, et interficit quicquid obviat sibi. Unde Lucanus in VIIII narrat, quod quidam jaculus ex trunco arboris sterilis iniecit se in caput militis romani, cui nomen erat Aulus, et transfixit eum per utrumque tempus ad modum sagittæ quæ emittitur ab arcu. Phareas est serpens, qui quasi totus erectus graditur super caudam et super partem corporis quæ coniungitur caudæ; ideo videtur facere sulcum per iter per quod vadit, sicut scribit Lucanus in VIIII. Cencris est serpens, qui trahit corpus per arenam recte, ita quod non incedit flexuose et tortuose, sicut communiter alii serpentes, ut dicit Lucanus in VIIII. Amphisibena est serpens habens duo capita, sicut scribit Lucanus et Solinus *de mirabilibus mundi;* sed Albertus magnus dicit quod Solinus, sicut in multis mentitur, ita in hoc [2] falsum dicit; quia nullum animal naturaliter habet duo capita, et dicit quod deceptus est ideo quia hic serpens salit ad duas partes, videlicet ante et retro; et duæ extremitates eius sunt in grossitie æquales ei, quod est in medio de corpore eius; est autem serpens parvus, sic vocatus propter extremitatum debilitatem, et dolor vehemens accidit ei quem [3] mordet, et morsus eius serpendo occupat totum corpus in parvo tempore. Ultra dictos serpentes sunt in dicta arena aliæ pestes peiores; nam est ibi serpens nomine dipsas græce, sed latine dicitur situla, quia ille quem momorderit moritur [4] sitiendo et bibendo, unde vocatur ab Avicenna serpens sitim faciens, cuius longitudo est unius palmi, caput habet [5] parvum, collum grossum, et illi qui mordetur ab eo accidit, quod venter eius aduritur et inflammatur, ita quod non satiatur aqua, nec cessat bibere, cum tamen nihil resolvatur ab eo per urinam vel sudorem, ita quod inflatur venter eius totus, et currit

---

(1) E. ex eis. (2) 116, hoc mentitur et falsum dicit.
(3) 116, quando mordet. (4) 116, morietur. (5) S. habens.

aqua in venis ipsius. Unde Lucanus in VIIII narrat, quod hic serpens momordit quemdam militem Catonis de sanguine tusco qui erat signifer eius, et vocabatur Aulus, qui calcaverat serpentem pede, et statim accensus est totus ardore, ita quod omnis humor cito exiccatus est; et ipse furore ductus cœpit discurrere per arenam, abiecto vexillo, quærens aquam ad sedandam sitim inextinguibilem; et recurrens ad syrtes bibebat aquam maris, quamvis esset salsa et amara, sed non suffecit sibi, imo tota aqua mundi non suffecisset; unde Aulus ultimo sustinuit aperire sibi venas cum gladio et bibere sanguinem proprium. Alius serpens est in dicta arena dictus Emorrois ab *emor,* quod est sanguis, et *rois* fluxus, quia morsus eius laxat orificia omnia venarum, et excutit quicquid sanguinis est in corpore morsi; habet colorem cinereum, et est maior uno cubito. Unde Lucanus narrat de isto serpente quod iniecit (1) dentes in romanum (2), cui nomen erat Tullus, qui erat juvenis magnanimus imitator Catonis, et subito effluxit totus sanguis per omnia foramina corporis, sicut per nares, aures, oculos et poros corporis, ita quod erat totus sanguineus. Alius miles Catonis nomine Lenus (3) percussus ab aspide subito sopitus mortuus est leniter dormiendo sine dolore. Alius miles vocatus Mirrus transfixerat basiliscum, qui dicitur Regulus serpentum, sed venenum discurrens velociter per hastam, infecit manum eius; ille præsto cum gladio amputavit sibi manum, et sic (4) parte redemit totum corpus. Erant et aliæ pestes serpentum in dicta arena, de quibus dicetur in sequenti capitulo. Milites ergo Catonis positi inter tot et tantas pestes dure conquerebantur, dicentes, quod non habebant conqueri de natura vel Africa, sed de eorum fatuitate et temeritate;

---

(1) E. iniecit se cum dentibus in romanum.

(2) S. militem romanum. (3) E. Lemis. (4) E. et sic succisa parte.

natura enim fecerat istam terram inhabitabilem ratione venti, caloris, serpentum, et omnis sterilitatis, et reliquerat eam habitandam solis serpentibus, et apposuerat fortia claustra illi, scilicet ab una parte syrtes, ab altera torridam zonam ne aliquis accederet; sed nos venimus gratis ad pugnandum cum serpentibus, quanto melius fuisset pugnasse (1) cum viris in Thessalia! Sed Cato durus omnibus succurrebat, et quia non poterat præstare (2) vitam morientibus, præstabat, quod plus est, scilicet bene et fortiter mori; nam quilibet verecundabatur mori dolendo in præsentia Catonis. Non ergo mireris si Dantes verecundabatur paulo supra timere et conqueri de difficultate istius viæ coram Virgilio: non etiam mireris si tam multa dixi de ista arena, ut (3) videas quantam convenientiam arena habeat cum ista bulgia; nam arena est sterilis et nullum parit fructum, ita domus furum: secundo, quia in ista arena est magna copia serpentum qui dant varias et diversas mortes, ita et in ista bulgia. Et sicut in arena aliquis (4) serpens incedit recte, alius oblique, ita aliquis (5) incedit recte pedibus, alius trahit corpus per terram, et ita de multis quæ per te videre potes. — *Tra.* Hic autor specificat qui sunt (6) isti qui puniuntur inter istos serpentes, et qualiter, dicens: *genti nude ē spaventate;* in hoc tangit morem furum, qui ut plurimum sunt apti ad currendum, et sunt semper pauperes et pavidi; omnia enim timent usque ad catulum vel infantulum, imo timent murem, qui discurrit per domum; ideo dicit: *correvan tra questa cruda e tristissima copia,* idest, abundantiam serpentum, qui crudeles et tristes sunt contra homines quos persequuntur hic, et quod est peius sine aliquo remedio

(1) 116, pugnare.
(2) E. præservare.
(3) S. et ut videas.
(4) E. aliqualis.
(5) 116 e E. aliquis fur.
(6) S. sint.

vel refugio, ideo dicit: *senza sperar pertuso o elitropia,* sicut videmus sæpe de facto in mundo isto, quod fures currentes et fugientes a facie hominum quærunt angulum vel foramen ubi lateant nec reperire possunt, quia nesciunt tantum ingeniari quod non suspendantur laqueo vel aliter mactentur. Et hic nota quod heliotropia ([1]) est lapis viridis, smeragdo similis, respersus sanguineis guttis, qui secundum Albertum dicitur reddere hominem bonæ famæ et incolumem, et valet contra venena. * Ideo bene fur voluisset libenter invenire heliotropiam, ut fugeret infamiam, acquireret salutem, et vitaret venenum serpentis persequentis. Dicit etiam quod hic lapis unctus ([2]) herba sui nominis fallit visum * ([3]), et secundum hoc vult dicere autor, quod fures vellent ire invisibiles, et furari sine periculo vel scandalo, sed non possunt, sicut ego novi aliquos nobiles et divites, qui si fugiunt suspendium, non tamen infamiam et ignominiam hominum. Et tangit generalem pœnam furum dicens: et ipsi fures, *aven ligate le man dietro con serpi:* ita solent ligari fures quando ducuntur ad supplicium; *e quelle,* scilicet serpentes, *ficcavan la coda e 'l capo per le reni.* Debes imaginari, quod serpens ([4]) cum medio corpore ligabat ([5]) manus istorum post tergum et extendebat ([6]) caput sursum per renes versus caput hominis, caudam vero extendebat deorsum per renes versus culum, et supra et infra applicabat se spinæ hominis, ut melius teneret ([7]) eum firmum et ligatum; ideo dicit: *et eran ag-*

([1]) 116, helitropia, sicut aliqui volunt, est herba quæ valet contra venenum, et sic autor videtur dicere quod propter eorum currere non possunt evadere a morsu serpentum ut non inficiantur. Helitropia etiam est quædam petra quæ incantata sub certa constellatione reddit hominem invisibilem, et secundum hoc vult dicere autor quod fures. ([2]) S. junctus herba.

([3]) Nel Codice Estense mancano le parole comprese fra i due asterischi.

([4]) E. serpentes. ([5]) E. ligabant.

([6]) E. et extendebant manus sursum per renes versus culum, et supra et infra applicabant. ([7]) E. tenerent.

groppate di retro, scilicet circumvolutæ manibus ipsorum furum. Alia tamen litera dicit: *et eran dinanzi aggroppate:* et tunc dicam, quod serpens cum pedibus amplectebatur ventrem hominis, ut magis adhæreret sibi. Et hic nota quod aliqui exponunt, quod ista sit prima species furum, qui numquam recedunt a mala cogitatione et furtiva, et per consequens stant coniuncti continuo cum serpentibus quibus continuo cruciantur; quod non credo, quia hoc videbis in capitulo sequenti clare.

Et ecco. Ista est tertia pars generalis huius capituli, in qua autor tractat de prima specie furum, et speciali pœna eorum in uno fure famoso moderno. Ad cuius intelligentiam est prænotandum (1), quod aliqui homines sunt fures in mundo isto non ex natura (2) vel prava consuetudine, sed solummodo (3) ad tempus et raro; et aliqui semel tantum toto tempore vitæ suæ, scilicet quando aliqua res maxime cara offertur sibi cum commoditate et opportunitate temporis et loci. Ideo autor subtiliter fingit quod quidam percussus a serpente fuerit subito resolutus in cinerem, et ex cinere cito (4) renatus est et renovatus in pristinam formam humanam. Hæc autem pœna merito datur tali furi, qui invasus subito a serpente, idest, subita cupiditate furandi, corrumpitur et depravatur ad faciendum furtum, sed furto facto resurgit in figuram humanam, quia non persistit in illo actu, nec continuat furtum furto, et sic reficitur homo. Ad literam ergo dicit autor: *et ecco un serpente,* ibi in conspectu nostro, *s' avventò ad un,* idest, iniecit se in unum furem, et hic erat Vannes Fucii, *ch' era da nostra proda,* idest, juxta extremitatem bulgiæ, ubi nos descenderamus, quasi dicat breviter, qui erat nobis propinquus; et bene dicit, quia iste primo occurrit menti

(1) 116, primo notandum.
(2) 116, naturali.
(3) S. solum ad tempus.
(4) E. subito renatus est.

eius, quia fuit dignus nota infamiæ, et fuit vicinus suus [1] de civitate Pistorii, quæ distat a Florentia per viginta milliaria, *che 'l* [2] *trafisse là dove il collo s'annoda alle spalle,* idest, ubi guttur coniungitur tergo, quasi dicat: percussit eum in infima parte gutturis. Et describit subitam dissolutionem istius per unam comparationem de se claram, dicens: *nè* o *nè* i *si scrisse mai sì tosto;* hoc dicit quia istæ duæ vocales velociter et cito scribuntur; et bene dicit, quod [3] iste appetitus furandi subito invasit istum non præcogitatus [4], et subito effecit [5] furtum, *com' ei s' accese e arse;* hoc autem figurat quod furtiva concupiscentia subito accendit istum ad committendum furtum; et sic stimulus furandi pupugit eum in gutture, et totaliter privavit eum figura humana; unde dicit: *e convenne che divenisse tutto cener cascando,* sed furto facto cessavit ab ista cupiditate furandi, nec vacavit alteri furto; ideo refactus est statim. Ideo subiungit repentinam renovationem ipsius, dicens: *e la polver si raccolse per se stessa,* et ex prima materia coagulata, *ritornò di butto,* idest, subito, *in quel medesmo,* quia factus est idem homo qui prius erat, *poi che fu sì distrutto a terra.* Et hic nota quod autor ponet similem dissolutionem de Sabello in capitulo sequenti; sed Sabellus paulatim resolutus est per omnia membra, Vannes vero in instanti. Sabellus [6] etiam non renatus est, nec restauratus ad pœnam sicut iste. Illi etiam qui transiverunt per arenam Africæ solum steterunt duobus mensibus inter serpentes et alias pestes; isti vero perpetuo sunt mansuri hic. Illi etiam in fine invenerunt remedium psillorum [7], qui incantationibus fugabant serpentes et venenum exuge-

---

[1] E. suus, scilicet, de civitate. [2] 116, Dicit ergo: *che 'l trafisse.*
[3] S. e E. quia. [4] E. præcogitatum. [5] 116 e E. fecit.
[6] E. Sabellus etiam non est renovatus sive renatus, nec est restauratus.
[7] 116, psilarum.

bant de corporibus percussorum cum ore; hic vero nullum est remedium. Sic ergo bene patet, quod ista bulgia est pestilentior quam arena Africæ ut dicebatur supra. — *Così.* Hic autor manifestat istam subitam dissolutionem et successivam renovationem per unam comparationem nobilissimam. Ad cuius claram intelligentiam volo te prænotare, quod phœnix est avis Arabiæ in partibus orientis, quæ sola est avis in sua specie sine commixtione masculini sexus (1). Est autem phœnix magnitudinis aquilæ habens caput coronatum (2) ut pavo; habet etiam fauces cristatas, circa collum vero est purpurea aureo fulgure (3); caudam habet longam purpurei coloris, pennis quibusdam roseis inscriptam (4), formatis (5) quibusdam orbibus (6) in modum oculorum sicut cauda pavonis; et est ista varietas miræ pulcritudinis. Phœnix (7) cum sentit se ætate gravari constituit sibi nidum in alta et abscondita arbore super limpidum fontem sita, ex thure, myrrha, cinnamomo et aliis aromatibus prætiosis, et obicit se radiis ferventibus solis, et illos resplendentia suarum pennarum multiplicat, donec ignis elicitur, et sic se cum nido incendit (8) et incinerat; et altera die dicitur vermis in cineribus nasci, qui, alis assumptis tertia die, mutatur in avem pristinæ figuræ infra paucos dies, et tunc avolat (9). Dicunt etiam hoc olim accidisse, quod in Heliopoli civitate Ægypti, hæc avis super struem lignorum sacrificiorum (10) portans aromata se incendit, et ad visum sacerdotis (11) secundum prædictum modum, duabus generationibus vermis et avis formata est et avolavit (12). Et sic dicit Plato: *non sunt a nobis*

(1) E. sexus, et est magnitudinis.
(2) 116, cornutum velut pavo.
(3) 116, fulgore. — E. colore.
(4) 116, interscriptam.
(5) S. formatam.
(6) S. oribus.
(7) E. Phœnix hæc cum.
(8) E. inconditur, et in cinerem vertitur: alia vero die dicitur.
(9) S. volat.
(10) 116, sacrificatorum.
(11) E. sacerdotum.
(12) 116 e E. avolavit: et sicut dicit.

calumnianda quæ in libris sanctorum (1) *templorum conscripta referuntur*. Nunc ad literam; autor, quia res ista videtur valde mirabilis et incredibilis, dicit: *così,* idest, eo modo quo iste fur (2) fuit destructus et refectus, *si confessa per li gran savi,* sicut per Plinium, Solinum, et alios multos; tamen Albertus magnus philosophus dicit, quod hoc potius dicunt illi qui magis sequuntur mystica theologica, quam naturalia perscrutantur; tamen autor recte sequitur hic Ovidium XV Metamorphoseos sicut potes perscrutari, *che la Fenice muore,* morte nobili (3), ut melius reviviscat, *quando appressa al cinquecentesim' anno,* et sic vivit per quingentos annos. Alii tamen dicunt de pluribus millibus, sed nihil ad propositum. Et hic nota quod comparatio est propriissima quantum ad modum moriendi et renascendi; quia sicut phœnix ad calorem solis inceditur et resolvitur in cinerem, ita fur iste ad morsum serpentis incensus et resolutus est subito; et sicut phœnix ex eodem cinere * reviviscit, ita fur ex eodem cinere * (4) renatus est; non autem est propria si respicis ad nobilem naturam et pulcram figuram istius avis, quæ vivit per tot secula nobili cibo. Et descripta mirabili morte et resurrectione phœnicis, describit eius nobilem vitam, dicens: ipsa phœnix *non pasce erba, nè biado, in sua vita,* sicut faciunt communiter aliæ aves non rapaces, *ma sol,* idest, solummodo, *lagrime d' incenso e d' amomo,* idest, granula illius arboris aromaticæ, quæ emittit gummi (5) tamquam lacrymas, sicut multæ arbores faciunt apud nos, sicut pinus (6) et cerasus, *e nardo e mirra,* quæ similiter sunt duæ arbores odoriferæ, *son l' ultime fasce,* quia de lignis eorum facit sibi pyram in qua comburitur et velatur in cine-

(1) 116, sacrorum. (2) E. vir fuit. (3) S. notabili.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(5) S. granum. — E. grumum. (6) E. prunus.

ribus; et sic comparatio adhuc est propria, quia sicut phœnix ex propria natura se transmutat et regeneratur, ita fur sponte sua transfiguratur et renovatur quando voluntarie facit furtum, et dimittit furtum. — *E qual.* Hic autor describit habitum illius transformati per duplicem comparationem; et vult breviter dicere quod iste fur resurgens in vitam, stabat ita attonitus sicut percussus a dæmone vel cadens morbo caduco quando resurgit. Dicit ergo: *il peccator,* scilicet Vannes Fucii, *levato poscia,* idest, resuscitatus ex cinere, *era tal,* idest, ita terrefactus, *qual quei che cade,* scilicet subito ad terram, *e non sa come,* quia (1) non præviderat vel præcogitaverat istum casum, *per forza di dimon ch' a terra il tira,* quia dæmon aliquando habet potentiam super hominem, *o d'altra oppilation che lega l'uomo,* scilicet, epilepsia, quæ oppilat sensus, unde dicit: *che 'ntorno si mira,* quasi (2) alienatus mente, *quando si leva, tutto smarrito dalla grande angoscia,* idest, angustia et alteratione, *ch' elli à sofferta,* in illo infelici casu, *e sospira guardando,* quasi dicens: heu me miserum! Et hic nota (3) quantum utraque comparatio propriissime famularetur (4) huic proposito. Sicut enim cadens ad terram, vel vi dæmonis, vel naturalis infirmitatis dolet et miratur; ita fur qui cadit ad faciendum furtum, vel instigatione diabolica (5) impellente, vel infirmitate naturali inclinante, stat totus stupidus (6) et alteratus, quando fecit furtum magnum de re cara et prætiosa, quia (7) nescit quid agat, et quomodo abscondat aut asportet furtum maxime, quia improvisus (8) subito venit ad furtum quod non præcogitaverat (9), sicut statim audies de isto Vanne qui percussus a serpente, idest, a cupiditate furandi, accessit ad ecclesiam ad fu-

(1) S. idest, quia. (2) S. quasi dicat: alienatus. (3) S. vero nota.
(4) E. famuletur. — 116, famulatur. (5) 116 e E. diaboli.
(6) E. stupefactus. (7) E. qui nescit. (8) E. improvise. (9) E. cogitaverat.

randum sacra, ideo gratia prædictæ pœnæ autor admiranter exclamat (1): *O vendetta di Dio quant' èe severa,* idest, vere rigida et rigide justa, quia tam cito sequitur pœna ad culpam.

Lo duca il dimandò. Ista est quarta, et ultima pars generalis, in qua autor nunc manifestat nomen istius furis et furtum notabile causam damnationis eius. Et primo fingit, quod Virgilius, visa mirabili transformatione eius, petiverit (2) ab ipso quis esset; unde dicit: *Lo duca,* scilicet Virgilius, *il dimandò poi,* scilicet post reformationem (3) factam, *chi elli era:* et ponit responsionem illius immediate, dicens: *perch' ei rispose,* describens se a gente, *io piovvi di Toscana,* idest, cecidi in infernum, *poco tempo èe, in questa gola fera:* idest, in istam (4) bulgiam plenam horribilibus færis, scilicet serpentibus, quæ velut gula vorat et deglutit peccatores. Deinde describit se a vitio, dicens: *vita bestial mi piacque, e non umana,* quia ratio fuit totaliter extincta in eo, et bestialitas et inhumana crudelitas viguit in eo; ideo bene assimilat se indisciplinabili (5), dicens: *sì come a mul ch' io fui.* Et (6) nota, quod iste fuit vere mulus naturaliter et moraliter, quia fuit spurius, natus de spurio. Mulus enim nascitur ex damnato coitu, scilicet ex equa et asino; et plus sequitur asinum, quam equam, licet vocaverit se nepotem equi coram leone: est animal durum, aptum laboribus et verberibus, retrogradum, pertinax; et talis erat iste fur obstinatus. Mulus est sterilis, et talis erat iste omnibus infestus. Mulus est irrationabilis et incorrigibilis, de quo dicit propheta in Psalmis: *nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus.* Deinde describit se a nomine proprio dicens: *son Vanni Fucci*

---

(1) 116 e E. exclamat ad divinam vindictam, dicens: *O vendetta.*
(2) E. petivit. (3) E. reformationem de illo sic factam.
(4) E. in hanc bulgiam. (5) 116, bestiæ indisciplinabili. (6) 116, Et hic nota.

bestia, et non homo: deinde describit se a patria dicens: *e Pistoia mi fu degna tana,* idest, natus fui de civitate Pistorii, terra digna tali filio, quæ aliquando producit cives tam sceleratos. Et servat metaphoram; quia enim vocaverat se færam, ideo patriam suam vocat tanam, idest cavernam talium spirituum serpentinorum. — *Et io.* Nunc autor describit furtum causam damnationis istius furis; unde fingit se petisse (1) a Virgilio, quare hic erat positus, dicens: *et io al duca:* idest, ego Dantes, audito nomine istius quis erat, et unde, dixi Virgilio: *dilli che non mucci,* idest, non fugiat, et est vulgare quorumdam lombardorum; hoc dixit quia, ut dictum est supra, isti currunt per bulgiam, et (2) proprium est furum faciliter fugere; ideo antequam recederet autor volebat scire furtum memorabile, quare iste erat inter serpentes, et ita tractatus per serpentem. Ideo dicit: *e dimanda qual colpa,* idest, quod genus peccati, *il pinse qua giù,* idest, detrusit eum usque ad septimam bulgiam, quasi dicat, cum ipse fuerit sceleratus peccator, superbus, violentus, blasphemus, lusor, quare non est ipse potius damnatus in circulo violentorum, fulminatus (3) cum Capaneo, vel bulliens in sanguine cum Rainerio de Corneto, vel currens ante canes cum Lano senensi? Unde dicit: *ch' io il vidi uomo di sangue e di corrucci,* quasi dicat: loquor tibi de visu non de auditu; ipse fuit vir sanguinum et cruciatuum, quia tamquam sicarius homines capiebat, torquebat et cruciabat. — *E 'l peccator.* Hic autor ponit responsionem Vannis (4) ad quæsitum, dicens: *e 'l peccator che intese,* scilicet quod Dantes cognoscebat eum cum nominasset et manifestasset se, *non s' infinse,* quia non poterat amplius se celare, *e drizzò verso me l' animo e 'l volto,* quia animo irato

(1) E. petivisse.
(2) E. et quia proprium est furum.
(3) 116 e E. et fulminatus.
(4) E. istius Vannis.

et vultu (1) verecundanti, ideo dicit: *e si dipinse di trista vergogna,* quia ista verecundia furti summe contristavit eum. Et hic nota quod furtum est maioris infamiæ quam latrocinium, licet sit minoris culpæ; unde magis reddit homines infestos contra se. Ideo bene narrat Ælius Lampridius, quod Alexander justissimus imperator romanorum habebat maxime (2) odio fures, adeo quod sæpe quando adducebantur ad conspectum eius, ita excandebat in iram, qui cum digitis volebat eruere eis oculos; imo quod plus est aliquando ex ira contra fures visus est evomere coleram. Et ideo subdit autor: *poi disse:* scilicet ille Vannes fur, *più mi duol che tu m' hai colto,* idest, quod tu me deprehendisti, *nella miseria, dove tu mi vedi,* scilicet in vili furto, *che quando fui de l' altra vita tolto;* quasi dicat: non tantum dolui tempore mortis corporalis, quando anima fuit separata a corpore, quantum doleo quod inveneris me inter fures, quia voluissem potius inveniri inter mille sicarios. Et hic nota quod per hoc autor vult ostendere, quod iste immense doluerit quando dicit eum plus doluisse quam de morte; quia anima in morte summe dolet naturaliter loquendo, quia naturalis amor est inter animam et corpus. — *Io.* Hic fur explicat suum notabile furtum, propter quod est hic damnatus. Ad cuius rei intelligentiam volo te scire, quod iste Vannes, venenosus (3) serpens, fuit filius spurius domini Fucii de Lazaris de Pistorio, vir sceleratissimus et ad omne facinus audacissimus; et quia erat de nobili genere multos excessus sæpe faciebat impune: et quamvis bannitus sæpe propter multa maleficia enormia, nequiter et nefarie perpetrata, tamen aliquando de nocte stabat in civitate, et cum pravissimis conversabatur. Accidit autem semel tempore Carnisprivii, quod cum

---

(1) E. vultu turbato, ideo dicit. (2) 116, maximo. (3) S. furiosus serpens.

cœnasset cum quibusdam (1) non de sua conditione, qui fuerunt circa decem et octo numero, dixerunt isti inter se, quod volebant ire matutinatum ad procas eorum. Erat autem inter istos quidam (2) scilicet Vannes de la Nôna, famosus notarius pistoriensis. Accesserunt ergo omnes ad matutinandum ad domum procæ istius ser Vannis, quæ stabat prope episcopatum. Societate itaque pulsante (3) et cantante Vannes Fucii, cuius animus non pascebatur talibus solatiis, acceptis duobus sociis secrete ne cæteri perpenderent, accessit ad episcopalem ecclesiam, quæ vocatur sanctus Jacobus; et breviter, sacerdotibus (4), vel absentibus, quia iverant per tripudia, sicut est de more fieri tali nocte, vel fixe dormientibus gravatis nimio cibo, Vannes vi et fraude intravit sacristiam (5), et illam spoliavit pretiosissimis jocalibus: et revertentes (6) cum thesauro magno ad (7) socios propalaverunt furtum, qui territi sunt nimis. Tamen quia factum erat, portaverunt jocalia (8) ad domum illius notarii, imaginantes, quod nunquam esset suspicio de tali homine bonæ famæ, et quia propinquior erat loco. Mane autem facto, notificato furto Potestati per canonicos ecclesiæ (9), magnum murmur fuit in civitate de tam nobili thesauro. Potestas proclamatione facta cœpit facere diligentem inquisitionem; et diu duravit, quod nihil poterat explorari. Finaliter instillatum est auribus Potestatis, quod quidam juvenis nomine Rampinus, filius Francisci de Foresiis (10) nobilis viri de Pistorio, erat malæ con-

(1) 116, e E. quibusdam de sua. (2) E. quidam ser Nannes.
(3) E. sonante et cantante.
(4) E. sacerdotibus ibidem absentibus quia forte iverant.
(5) E. sacristiam dictæ ecclesiæ, et illam spoliavit prætiosis jocalibus.
(6) 116, revertens. (7) E. ad eius socios.
(8) E. jocalia ipsa ad domum illius ser Vannis notarii.
(9) E. ipsius ecclesiæ.
(10) 116, Feresiis, vel, secundum alios, filius cuiusdam Petri Johannis de Salesiis, nobilis viri.

ditionis et famæ, qui verisimiliter debebat rapuisse ista sacra. Rampinus continuo captus (1) et positus ad torturam, nihil manifestavit (2), tamquam inscius et insons facti. Parentes istius (3) conquerebantur in populo, amicis et omnibus, cum planctibus et precibus, ne juvenis innocens moreretur injuste. Potestas induratus contra istum, statuit sibi terminum trium dierum ad resignandum furtum, aliter suspenderetur. Unde parentes et amici deliberaverunt, quod nocte præcedente diem justitiæ invaderent ferro et igne palatium Potestatis (4): secunda die termini Vannes Fucii, qui erat extra in comitatu Florentiæ in Monte Carelli, misit pro patre Rampini, et narravit sibi totum factum. Ille reversus celeriter retulit rem Potestati. Potestas continuo fecit capi illum Vannem notarium primo (5) lunæ quadragesimæ, cum ivisset ad unum sermonem ad locum fratrum minorum; qui captus est cum magno murmure omnium, quia erat homo bonæ famæ. Maleficio (6) detecto, multi (7) conscii aufugerunt. Narravit ipse Vannes, quod sæpe cum fidis sociis tentaverat asportare dictum thesaurum; sed videbatur sibi semper videre familiam Potestatis, quæ perquirebat omnes. Scita itaque veritate et recuperato thesauro, Rampinus fuit liberatus et (8) notarius suspensus. Et nota, ne fallaris sub æquivoco, quod tres fuerunt Vannes in isto maleficio, scilicet Vannes Fucii, principalis autor furti, Vannes de la (9) Nôna retentor furti, et quidam tertius Vannes de Laminôna florentinus, socius furti. Nunc ad literam: dicit Vannes Fucii fur: *i' non posso negar,* quia si possem, libenter facerem propter verecundiam, *quel che tu chiedi,* scilicet, di-

(1) 116, captus est, et positus.
(2) S. manifestabat.
(3) 116, eius. — E. istius ob hoc conquerebantur.
(4) E. Potestatis; et in die.
(5) S. primo die quadragesimæ.
(6) E. maleficio post hoc detecto.
(7) E. multi huius conscii.
(8) E. et Vannes notarius.
(9) E. de la Nova.

cere qua culpa hic sum damnatus et cruciatus. Et ecce culpam : *io son messo tanto in giù,* scilicet in bulgia septima furum, ubi debuissem esse positus multo superius, scilicet in circulo violentorum, *perch' io fui ladro a la sagrestia de' belli arredi,* idest, quia fui furatus pulcra arnisia ([1]) ecclesiæ cathedralis de Pistorio. Et adverte quod per excellentiam dicit pulcra; quia forte in tota Italia non est alia sacristia ditior ista, cæteris paribus. Et quia Vannes accusavit se, ideo excusat alium, qui fuerat falso accusatus. Unde dicit : *e falsamente già fu apposto altrui,* scilicet Rampino prædicto. Et sic nota, quod infamia cito facit credi omnia mala de homine, quæ numquam cogitavit. Nota etiam, quod pravorum conversatio inducit hominem ad tam infelicem finem; nam notarius iste qui erat homo civilis et honoratus, contra velle suum factus est particeps furti, quod per se numquam somniasset, et infami morte peremtus est. — *Ma perchè di tal vista tu non godi.* Hic Vannes prædictus, qui invite detexerat autori suam verecundiam præteritam, ideo nunc in vindictam prænuntiat sibi iniuriam in brevi futuram. Et ad huius literæ intelligentiam oportet præscire, quod in MCCC, quo anno Dantes incœpit istud ([2]) opus egregium, civitas Pistorii erat in satis magno flore; et in ea tunc præcipue vigebat domus Cancellariorum, quorum familia erat numerosa valde, ita quod habebat ultra centum homines ex uno sanguine, et potens ultra omnes domos, nedum Pistorii, sed totius Tusciæ; in qua erat magnus numerus militum. Domus ergo ista ex lite nata inter eos, quæ habuit ortum ab uno pessimo, de quo dicetur infra capitulo XXXII, divisa fuit in duas partes, scilicet Albos et Nigros, et tota civitas divisa est cum illis. Florentini autem timentes

---

([1]) E. arnesia. ([2]) E. hoc opus.

præiudicium suæ terræ, immiscuerunt se huic discordiæ intestinæ, et extraxerunt de Pistorio utramque partem, et miserunt Florentiam ad confinia, tam cæci judices futurorum [1], quia statim ista contagio infecit eorum civitatem; in qua statim factæ sunt [2] istæ eædem partes, de quibus plene dictum est supra capitulo VI. Anno vero sequenti pars Alba Pistorii de mense maii cum favore et auxilio partis Albæ, quæ vigebat Florentiæ, pepulit partem Nigram, et destruxerunt [3] palatia et bona eorum. Nigri deinde venerunt contra Pistorium, duce Marcello marchione Malaspina; contra quos exiverunt Albi, et debellati sunt in campo, sicut autor videtur dicere [4] in litera. Alii tamen volunt dicere, quod autor respiciat ad duram [5] obsidionem et captionem Pistorii, quæ fuit post aliquot annos. Unde ulterius volo te scire quod in MCCCV cum pars Alba esset expulsa de Florentia, et quasi ubique de tota Tuscia, præterquam de civitate Pistorii, quæ tunc tenebatur per partem Albam, cum favore pisanorum, aretinorum, et etiam bononiensium, ubi [6] etiam vigebat pars Alba, florentini dubitantes, ne cresceret eorum potentia, vocaverunt in capitaneum Robertum ducem Calabriæ, filium Caroli II, qui postea fuit rex Robertus; et fecerunt exercitum super [7] Pistorium cum lucensibus et aliis sociis Tusciæ; et breviter, magno conatu cinxerunt eam vallo [8] et fosso, ita quod nullus poterat intrare neque exire; sed intus erat quidam dominus Tolosattus [9] de Ubertis cum trecentis equitibus et multis peditibus. Interim papa Clemens misit duos [10] ambasciatores vascones, mandans exercitui et duci, quod recederent ab obsidione. Robertus recessit dimisso exercitu, et

(1) E. eorum.
(2) E. sunt eædem.
(3) E. destruxit palatia eorum.
(4) S. velle dicere.
(5) E. unam obsidionem.
(6) E. ubi vigebat.
(7) E. contra Pistorium.
(8) S. magno vallo et fosso.
(9) E. Tolosanus.
(10) E. suos.

ivit Burdegalam. Florentini noluerunt parere: pugna erat continuo dura et crudelis, quia intus erant multi valentes armigeri; et quicumque egrediebatur, si erat vir, amputabatur sibi pes: si mulier, nasus; et retrudebatur (1) in civitatem per quemdam ser Landum de Eugubio, virum sceleratum et inhumanum. Pistorienses autem tam pertinaciter restiterunt, quod comederunt omnia horrenda visibus (2) humanis. Tandem deficientibus omnino victualibus, dediderunt (3) se, salvis personis, die decima aprilis, anno Domini MCCCVI. Florentini et lucenses fecerunt prosterni mœnia et steccata civitatis, et plures turres, et multa fortilicia dirui; et diviserunt comitatum Pistorii inter se; dominium vero civitatis remansit (4) florentinis; et tali modo destructa (5) et deiecta fuit arrogantia pistoriensium. Et eodem anno bononienses ad suasionem florentinorum facto tumultu expulerunt principes partis Albæ, et fecerunt ligam cum florentinis et lucensibus. Ad propositum ergo redeundo, Vannes Fucii, qui erat de parte Nigra de Pistorio, prænuntiat Danti, qui erat de parte Alba de Florentia, expulsionem primo partis Nigræ de utraque terra, deinde reversionem eiusdem partis Nigræ ad Florentiam et Pistorium cum victoria. Nunc ad literam redeundum est, quam sic ordina. Dicit Vannes: *apri gli orecchi al mio annuntio,* idest, meo pronostico, *et odi,* quia dicam rem displicituram tibi: *Pistoia,* patria mea, *in pria si dimagra di Neri,* idest, primo spoliatur (6) Nigris, *poi Firenze rinnova gente e modi.* Quia scilicet ibi etiam expellitur pars Nigra, quæ postea revertitur; et expellit Albam de Florentia, sicut clare scriptum est supra capitulo VI. Finaliter postea

(1) E. remittebantur in civitatem per quemdam fratrem Landonum de Eugubio.

(2) 116 e E. usibus humanis.

(3) 116 e E. reddiderunt.

(4) 116, permansit.

(5) E. deleta et destructa fuit.

(6) S. expoliatur. — E. spoliabitur.

Nigra [1] reintrat Florentiam, et expellit Albam, unde dicit: *Marte,* idest, infusio Martis, qui est Deus belli, *tragge vapor,* idest, ardorem bellicum, scilicet marchionem Marcellum prædictum, virum strenuum armorum, *di Val di Magra.* Hæc vallis appellatur hodie Lunisana a civitate Lunæ antiquissima, de qua dictum est alibi. In qua valle habitant [2] marchiones Malaspinæ antiquissimi, de quibus fit mentio et commendatio magna in capitulo IX Purgatorii. Macra autem est fluvius impetuosus, qui labitur per dictam vallem, ut dicetur ibi et alibi, *che,* idest, qui vapor, *èe di torbidi nuvoli involuto,* idest, turbationibus bellicis, *e con tempesta impetuosa et agra,* quia magno impetu irruet [3] contra Pistorium, et more tempestatis, illius gentem prosternet impetuose. Et ecce tempestatem belli: *sopra campo Picen fia combattuto,* idest, in agro pistoriensi pugna fiet. Et hic nota, quod Picenum [4] appellabatur olim illa regio Italiæ, quæ nunc appellatur Marchia Anconitana; et Picenum [5] appellatus est ager apud Pistorium, in quo olim fuit debellatus Catilina, ut patet apud Sallustium; et, ut fertur, ibi est hodie castellum, quod vocatur Picentium longe a Pistorio per tria milliaria. Ideo dicit: *ond' ei,* idest, ipse Mars, *spezzerà la nebbia,* scilicet nubem [6] prædictam, sicut fit tempore tempestatis quando franguntur nubes, *repente,* idest, subito, *sì c' ogni Bianco ne serà feruto,* quia Albi vincentur et debellabuntur primo in prælio, deinde in obsidione, ubi ita truncabuntur, ut dictum est. Et concludit Vannes, *e detto l' ho perchè doler ti debbia,* quia tu es Albus; et hoc dico, *perchè tu non godi di tal vista,* quia scilicet vidisti me in loco tam infami, *se mai serai di for da i lochi bui,* idest, si unquam eris extra

---

(1) S. e 116, pars Nigra. (2) S. habitant hodie. (3) 116, irruit.
(4) E. Picenus appellatur hodie illa regio.
(5) E. et Picenus appellatus est campus apud. (6) E. imbrem.

infernum, ubi sunt omnia loca generaliter obscura, et specialiter ista bulgia furum, ut jam dictum est supra. Hoc dicit quia imaginabatur Dantem reversurum ad mundum vivorum, quia videbat eum vivum et sine pœna inquirentem pœnas mortuorum in inferno. Et adverte quod iste Vannes de Lazaris de Pistorio recte facit sicut Farinata de Ubertis de Florentia, qui audita re displicente sibi a Dante prænuntiavit [1] sibi expulsionem eius futuram de [2] brevi; et hic et ibi [3] autor videtur divinare futura quia habet respectum ad visionem suam.

[1] E. prænuntiat. [2] E. in brevi. [3] S. et alibi.

CANTUS VIGESIMUS QUINTUS, *ubi tractatur de eisdem furonibus in eadem bulgia, et de modo pœnæ eorum sub titulo aliquorum civium florentinorum, quos nominat nominatim.*

Al fine de le sue parole il ladro. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de prima specie et pœna furum, nunc consequenter in isto capitulo XXV agit et tractat de duabus aliis speciebus et pœnis furum. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum (1) autor, in morando adhuc in dicta materia, describit obstinationem detestabilem nequissimi furis prædicti; et alium furem antiquum (2) pessimum eiusdem speciei primæ. In secunda tractat de secunda specie furum et (3) eorum pœna in quodam spiritu moderno, ibi : *Mentre che sì parlava.* In tertia tractat (4) de tertia specie furum in alio spiritu moderno, ostendens quomodo ille percussus a serpente se habebat cum eo, ibi : *Come 'l ramarro.* In quarta et ultima describit transformationem illius percussi in serpentem per omnia membra singularia, et e converso serpentis in hominem, ibi : *Insieme si risposero.* Ad primam redeundo dico, quod autor adhuc tangit aliquid de prima materia pertractata ostendens dispositionem illius scelerati furis moderni et alterius antiqui. Unde continuans se ad præcedentia dicit, quod cum ille fur renarrasset sibi culpam suam, causam suæ damnationis, et prænuntiasset expulsionem partis Albæ, quæ erat paritura sibi dolorem, ultimo convertit iram suam contra Deum; et

(1) E. quarum immorando.
(2) S. antiquissimum.
(3) E. et de eorum pœna.
(4) E. narrat.

videtur litera clara, unde dicit: *il ladro,* scilicet Vannes Fucius de Pistorio, *alzò le mani,* scilicet contra cœlum, *con ambedue le fiche,* et facie furiata, irose (1), *gridando: tolli Dio, ch' a te le squadro,* quasi dicat: facio tibi, et in despectum tuum. Sed quare autor fingit istum furem fecisse talem actum turpem? Certe ut melius ostendat naturam istius hominis diabolici qui (2), ultra hoc quod fuerat violentus latro et fraudulentus fur, erat superbissimus, iracundissimus, blasphemus, et suus mos antiquatus (3) erat, quod statim cum erat iratus quacumque de causa prorumpebat in blasphemiam Dei, sicut aliqui maledicti semper faciunt nihil Deum timentes. Hoc autem fecit et dixit: *al fine de le sue parole,* ex ira concepta, quia autor (4) detexerat furtum suum, de quo arserat verecundia; ideo exarserat in iram. Et ostensa obstinatione protervi, ostendit justam ultionem quæ statim secuta est, quæ summe placuit sibi. Unde dicit: *le serpi mi fur amiche,* quæ naturaliter sunt inimicæ homini, *da indi in qua,* quia ab illa hora in antea amavi eas. Per hoc autor (5) dat intelligi, quod vir sapiens interdum juste et sine reprehensione lætatur et delectatur quando videt hominem crudelem tamquam serpentem, et naturaliter inimicum hominis destruentem alium pravissimum (6) et pessimum, sicut sæpe contingit, quia hoc cedit (7) ad terrorem malorum et exhortationem bonorum; ideo in hoc diligit eum, quem prius odio habuerat: et ecce causam, quare postea serpentes fuerunt sibi amicæ, *perch' una gli s' avolse allora al collo,* et strinxit et obstruxit viam vocis (8) ne posset ulterius loqui; ideo dicit: *come dicesse: i' non vo' che più diche,* quia ni-

(1) E. jocose.
(2) 116, quia ultra hoc.
(3) E. antiquissimus.
(4) E. auctori dixerat furtum.
(5) E. autem autor dat intelligi.
(6) E. pravissimum, sicut.
(7) E. ceridit.
(8) S. gutturis vocis ne posset. — E. viam vocis suæ ut non posset.

mis dixisti, et sic [1] juste imposuit finem sibi, sicut accidit alteri non est diu, qui dum multum blasphemasset Deum, supervenit alius pravus, et cuspide lanceæ percussit punctam linguæ eius, et transfixit eum per guttur, ita quod numquam fecit amplius verbum, et continuo mortuus est; et dicit quod simul impositus est finis impio actui furis sicut impio dicto. Unde dicit: *et un' altra,* scilicet, bissa, advolvit se, *a le braccia,* velut diceret: nolo quod facias amplius [2] ficus, *e rilegollo,* idest, retro ligavit a tergo, *ribattendo se stessa sì dinanzi,* idest, tam stricte ante, *che non potea dar un crollo con esse,* scilicet, manibus ita ligatis. — *Ahi.* Hic autor, sumpta occasione ab isto viro tam damnabili, invehit contra Pistorium patriam eius [3], dicens: *ahi,* idest dolenter et pudenter refero, *Pistoia, Pistoia!* Dicit bis ad maiorem exagerationem, *chè,* idest, cur, *non stanzi,* idest, decernis et firmas, *d' incenerarti,* sicut vidi incinerari unum tuum civem, ut patuit in præcedenti capitulo de isto Vanne; sicut etiam fuit destructa pars tua in turribus et propugnaculis, sicut jam dictum est in fine capituli præcedentis, *sì che più non duri,* quia scilicet melius esset tibi annichilari, quam parere tales filios viperinos; et reddit causam dicens: *poi che 'n mal fare il seme tuo avanzi?* Et hic adverte quod multi exponunt istam literam sic, videlicet quod Pistorium excedit antiquos prædecessores suos pravissimos, quia dicunt quod Pistorium factum fuit ex coniuratis Catilinæ ex [4] reliquiis quæ remanserunt a conflictu, et inde dicunt [5] denominatum est Pistorium ab illa peste. Sed istud est penitus falsum, tum quia Pistorium erat diu ante istam pestem, et magis proprie potest denominari a *pistin*

---

(1) E. sic imponit.
(2) E. amplius ficas.
(3) E. illius.
(4) 116, et reliquis qui.
(5) E. ut dicunt.

græce, quod latine dicitur *fides,* unde Pistorium, idest fidelis civitas; tum quia (1) si Salustius, nobilis et veridicus historicus, qui floruit tempore illo, non mentitur, nullus coniuratorum evasit ab illo conflictu. Ideo dico, quod autor vult dicere: postquam tu Pistorium excedis in tuis civibus modernis malitiam tuorum antiquorum civium, et certe istud fere accidit omnibus urbibus mundi, imo toto orbi, quod moderni sunt peiores antiquis, sicut Titus Livius dicit de romanis in prohemio, et Dantes idem dicit de florentinis Paradisi capitulo XVI; et assignat causam justæ invectivæ factæ contra Pistorium, quia in tota civitate infernali non reperit alium spiritum tam superbum et contumacem contra Deum, sicut istum civem pistoriensem. Dicit ergo: ego *non vidi spirto tanto superbo in Dio,* idest, contra Deum, *per tutti i cerchi scuri dell'inferno:* unde ex omnibus elicit (2) unum superbiorem, cui possit istum comparare, dicens: *non quello,* scilicet Capaneum vidi tam superbum, *che cadde a Tebe giù dai muri,* quia fulminatus est a Jove de muris Thebarum cum tonaret insane verbis contra (3) eum, sicut plene declaratum est supra capitulo XIIII. Si ergo Capaneus fuit pertinacissimus contemptor deorum, ita quod fulminatus adhuc furebat, et Vannes erat superbior eo, bene sequitur quod nullus erat sibi par in superbia in toto inferno. Et sic nota quod autor in ista prima specie furum, punit (4) illos qui furantur solum ad tempus, oblata (5) sibi opportunitate temporis et loci, sicut iste Vannes. Nam de eo non narratur nisi istud furtum magnum vel malum sacrilegium, quod est furtum rerum sacrarum, et de loco sacro ablatarum; ideo bene punitur hic cum Caco, de quo statim dicetur, qui similiter fecit mirabile furtum Herculi, qui

(1) E. quia Salustius. (2) S. elegit. (3) 116, contra Deum.
(4) 116, ponit illos qui. — E. punit eos qui. (5) E. elata.

erat homo divinus ([1]), imo pro Deo habitus dum adhuc viveret. Ideo volens transire ad Cacum finit tractatum Vannis, dicens: *ei sen fuggì,* scilicet ille Vannes; nam proprium est furum fugere, ideo dicit quod fugit, non quod recessit, *ch' el non parlò più verbo,* scilicet contra Deum nec nobiscum. — *Et io.* Nunc autor describit alium antiquum furem famosum de eadem specie. Ad cuius cognitionem oportet præscire ([2]), quod omnes præcipui poetæ scribunt de isto maledicto Caco, et præsertim Virgilius pulcre et prolixe; tamen, omissis fabulis omnis poetæ, Titus Livius princeps historicorum perstringit hanc rem breviter et egregie libro primo ab origine urbis circa principium. Scribit enim quod Hercules dum reverteretur victor de Hispania post victoriam Gerionis, de quo plene dictum est supra capitulo XVII, ducebat secum multa et pulcra armenta, et cum transiens per Italiam pervenisset ad radices ([3]) montis Aventini, captus amœnitate loci, voluit parum requiescere ibi. Tunc temporis erat quidam famosus et formidolosus ([4]) latro nomine Cacus, habens speluncam suam in monte Aventino, qui erat infestus omnibus prætereuntibus, et multas et magnas prædas ducebat ad speluncam; sed quia nomen Herculis erat terribile et jam celebratum ubique, Cacus non ausus uti vi, fraudulenter, et de nocte furatus est aliquas ([5]) boves, quas ad celandum furtum traxit per caudas in speluncam. Mane ([6]) facto, cum Hercules revideret suum armentum, videns boves meliores deficere, cœpit undique quærere, nec aliquam ([7]) inveniebat, sed solum vestigia retroversa. Putans ergo locum ([8]) esse sibi infestum, indignanter cœpit recedere ([9])

([1]) E. divinus pro Deo habitus, immo et adoratus dum adhuc viveret.
([2]) 116, scire. ([3]) 116, radicem. ([4]) S. formidosus.
([5]) 116, aliquos boves, quos. ([6]) E. Mane autem facto. ([7]) 116, aliquem.
([8]) 116, locum sibi infestum. ([9]) E. incedere.

cum armento. Illo autem recedente, boves furtivæ cœperunt mugire intra cavernam ad desiderium aliarum [1] relictarum. Hercules subito cucurrit quo mugitus vocabat eum; et invento furto, Cacum frustra auxilium pastorum implorantem sua clava mactavit in antro. Nunc ad literam dicit autor: *et io vidi un centauro,* scilicet Cacum. Et hic nota quod multi mirantur hic, et dicunt, quod nullus poeta videtur vocare Cacum centaurum, nisi Dantes. Quibus respondeo: quod Virgilius octavo Eneidos appellat Cacum semihominem [2] et semiferam; ideo autor istum monstruosum [3] appellat centaurum, quia fuit violentus effusor sanguinis et æris spoliator, sicut centauri, de quibus plene dictum est alibi supra, et quia fuit velox et promptus ad prædam more centauri discurrentis cum furore. Ideo bene dicit: *pien di rabia,* quia fuit ferocissimum animal, *venir chiamando ov' èe, ov' èe l'acerbo?* vocabat [4] enim Vannem prædictum, qui erat acerbus et crudus tamquam socium suum simillimum sibi, vel forte persequebatur eum, quia, sicut videmus tota die, isti viri sanguinum sæpe jugulant unus alium [5].—*Maremma.* Hic autor describit insignia et ornamenta istius centauri, quia [6] habebat innumerabiles bissas [7] pro phaleris et unum draconem pestilentissimum jacentem in vertice eius, cuius afflatu moriebantur omnes occurrentes sibi. Ostendit autem multiplicitatem bissarum [8] per comparationem claram, dicens: *non credo che Maremma,* idest, contrata maritima Tusciæ, quæ est valde calida, quia respicit Africam et [9] meridiem, et habet magnam copiam bissarum, *n' abbia tante biscie quante elli avea su per la groppa,* quia erat pro parte

(1) 116, illarum. — E. aliorum relictorum.
(2) E. semihominem; ideo.
(3) E. monstrum.
(4) E. vocat enim Vannem prædictum acerbum, quia erat.
(5) 116, alterum.
(6) S. qui.
(7) E. biscias faleris.
(8) E. e 116, bestiarum.
(9) 116, in meridiem.

equus, *infin ove comincia nostra labia,* idest, usque ad faciem, quia habebat caput humanum, ita quod, a fine bestiæ usque ad principium hominis, totum corpus centauri erat plenum et coopertum multitudine variarum bissarum (1). Hoc autem figurat infinitas malitias et astutias eius. Et subdit quod habebat in tergo (2) unum draconem volatilem evomentem ignem, dicens: *un draco gli giacea,* idest, stabat extensus *con l' ali aperte,* ita quod multum occupabat de aere et inficiebat, *sopra le spalle dietro da la groppa,* quia latet in insidiis expectans quod aliquis transeat, et tunc aggreditur illum, unde dicit: *e quelli,* scilicet draco, *affoca qualunque s' intoppa,* ita quod nullus evadit quem fortuna duxit (3) ante eum. Et hic nota quod aliqui autores scribunt, quod sunt aliqui dracones volantes per aerem emittentes ignem per os, quod Albertus magnus non reputat possibile; sed dicit quod sunt quidam vapores igniti qui recte videntur volare, nunc ascendentes, nunc descendentes, ideo imperiti hoc videntes putaverunt esse dracones volantes. Sed quicquid sit, autor fingit hunc draconem volatilem (4) emittentem ignem, quia iste Cacus fuit publicus incendiarius immittens (5) ignem in domos, et necans omnes occurrentes sibi. Ideo bene Virgilius fingit quod Cacus natus est ex illo patre Vulcano, qui est deus ignis, et evomebat ignem et fumum per os. Ergo bene per draconem intellige eius venenosam rabiem mixtam cum malitia quam effundebat in omnes, et ardore iracundiæ suæ fulminare videbatur. — *Lo mio.* Hic autor manifestat istum centaurum, quem primo describit a violentia; secundo a fraudulentia; tertio ab eius morte amara. Dicit ergo specificans nomen eius: *Lo mio maestro,* sci-

(1) 116, bestiarum.
(2) E. in tergo eius unum.
(3) E. duxerit ante illum.
(4) E. volantem et emittentem.
(5) E. emittens.

licet Virgilius, qui primo descripserat plene istum Cacum, *disse: quest' èe Cacco,* et est nomen bene consonum sibi; nam *Cachos* græce, latine *malum,* et iste fuit malus, imo pessimus latronum, quod statim ostendit per eius opera prava, dicens: *che fece spesse volte laco di sangue;* unde Virgilius ibidem (1) dicit, quod spelunca eius erat remota, numquam accensa radiis solis, sed semper recenti sanguine humida; et ad superbum introitum speluncæ erant appensa capita putrida et pallida interfectorum ab ipso; ideo dicit: *sotto 'l sasso di monte Aventino,* qui est unus ex septem montibus Romæ, sic denominatus ab avibus quæ dederunt augurium Romulo, ad quem locum appulit Hercules regnante ibi rege Evandro. Et respondet Virgilius quæstioni tacitæ, quam Dantes videbatur sibi facturus. Sicut enim Dantes superius petiverat, quare Vannes vir sanguinum non erat positus in circulo violentorum inter centauros, ita nunc similiter Dantes poterat petere: si Cacus sæpe (2) fecit de sanguine lacum, cur ergo non est positus et punitus in valle sanguinis cum aliis violentis? Ideo Virgilius prævenit ipsum, et dicit: iste Cacus, *non va coi suoi fratelli,* idest cum aliis centauris, *per un camino,* scilicet per ripam circa sanguinem discurrendo, sicut illi faciunt; et ecce causam, *per lo furto frodulente;* et sic vide quod fraus addita (3) supra vim aggravat peccatum, sicut idem dictum est supra de Vanne Fucii. Cacus ergo usus est summa fraude quando traxit boves per caudam intra speluncam, ut vestigia retrograda indicarent potius recessum quam accessum ad locum; sicut a simili quidam tradunt de Catilina, qui fuit similiter violentus et fraudulentus, qui recedens furtive de monte fœsulano fecit ferrari equos suos retrograde, *ch' ei fece del grande*

(1) E. idem dicit, scilicet quod. (2) E. sæpissime.
(3) S. addita furto supra vim. — E. adiecta super vim.

armento che l' ebbe a vicino. Et hic nota quod multi mirantur et truffantur de isto facto, dicentes: quomodo Hercules tam magnanimus et magnificus de tam magna victoria referebat tam parvam prædam? Certe in Hispania natura videtur esse valde fortis in omnibus animalibus, unde ibi sunt pulcerrimi equi, muli, boves et canes. Hercules ergo (¹) portabat boves electissimos secum ab occidente in orientem, credo ego pro semente, vel quia sic mandaverat sibi Euristeus rex Thebarum; ideo autor dicit: *del grande armento,* quod fuit causa mortis Caci, unde dicit: *onde cessar le sue opere biece,* idest (²), socca, fatua, quia fraus sua nihil valuit contra virtutem Herculis, qui, ut scribit Virgilius, audita voce bovis mugientis in antro, ardens ira, accepta clava, volavit in apicem montis; et Cacus ista prima vice visus est timere, et timor addidit alas pedibus, et ingressus cavernam, cum Hercules tentaret irrumpere, emittebat ignem et fumum tamquam ex ore inferni. Sed Hercules ardore iræ suæ comprimens incendia eius jecit se in mediam caliginem, et amplexus ipsum in ipso furore Cacum vane furentem suffocavit; cuius corpus extractum de spelunca fuit, nec oculi hominum satiabantur videre oculos terribiles et pilosum pectus eius, nec Hercules satiabatur vindicta. Ideo dicit: *sotto la mazza d' Ercule, che forse gliene diè cento,* scilicet ictus et percussiones, *e non sentì le diece,* cum esset jam extinctus. Et in hoc notat morem irati, cuius ira sæpe vivit mortuo adversario, qui iniuriam fecerat. Et hic ultimo nota, quod (³), si verum scribit Rodericus archiepiscopus toletanus in sua chronica de gestis Hispaniæ, iste Cacus fuit hispanus, quem Hercules expulit inde ex altissimo monte, qui fugiens venit in Italiam, et sic non potuit evadere clavam Herculis.

(¹) E. vero ducebat boves.

(²) E. idest sine fama, quia fraus.

(³) E. quod, sicut scribit.

Mentre che sì parlava. Ista est secunda pars [1] in qua autor agit et tractat de secunda specie furum contraria primæ, quia semper furantur; unde fingit tres spiritus modernos florentinos supervenire, quorum unius mirabilem mutationem fingit in ista secunda specie furti. Et primo continuans dicta dicendis, dicit: *et ei,* scilicet, Cacus centaurus sacrilegus, *trascorse,* idest, celeriter transivit et recessit a visu nostro, quia erat dimidius equus, et stimulatus tot millibus serpentum, *mentre che sì parlava,* idest, interim dum Virgilius sic loquebatur de ipso Caco, *e tre spiriti venner sotto noi;* isti erant tres nobiles florentini, quorum unus vocatus est Angelus de Burneleschis [2]; alter Bosius de Donatis; tertius Pucius de Galligais [3], de quorum primo statim dicetur, et dicit: *de' quai nè io nè 'l duca mio s' accorse,* visu, sed voce cum fuerunt prope. Et per hoc autor notat actum furum, qui incedunt ad furtum ita lente, plane, leniter [4], molliter et latenter quod homo non perpendit, nisi quando [5] requiritur; ideo dicit: *se non quando gridar:* dicentes, *chi siete voi,* petebant a Virgilio et Dante qui essent, quos videbant [6] stare, non fugere, et sine pœna. Ideo Virgilius et Dantes capti novitate rei non responderunt illis, sed desierunt loqui, et cœperunt solummodo respicere ad ipsos quid acturi essent; unde dicit: *perchè nostra novella si ristette,* idest, dimisimus materiam Caci, de quo nuper [7] loquebamur, quia satis dictum erat de eo sub brevibus verbis, *et intendemo pur ad essi poi,* ut deveniremus ad cognitionem novorum furum, de quibus nondum aliquid videramus. — *Io non.* Hic autor tractaturus de istis, primo fingit se non novisse [8] eos prima facie, sed unus alium nominavit a

---

(1) E. pars generalis, in qua. (2) E. Brunaleschis. (3) E. de Galliganis.
(4) E. leviter. (5) E. tantum. (6) E. viderant.
(7) E. semper loquebantur. (8) S. se non vidisse.

casu. Dicit ergo: *io non li conoscea,* quia, ut dictum est, vadunt de nocte, et transfigurati ut non cognoscantur, *ma el seguette,* idest, postea accidit, *come suol seguitar,* idest, sicut aliquando solet accidere, *per alcun caso,* non data opera, sed fortuitu, *che l' un convenette nomare al-l'altro,* idest, quemdam alium ab istis tribus, et ideo oportuit nominare, quia deficiebat numero; erant enim inter omnes quinque de patria sua, et tres simul venerant, et alii duo restabant, quorum unus erat factus serpens, et remanserat, de quo unus trium prior petebat, *dicendo,* scilicet duobus sociis suis, *dove fia rimaso Cianfa.* Iste quartus socius erat de Donatis, quasi dicat ille petens: quid factum est de Cianfa? ivisset ne ad furtum faciendum? credo quod sic; et statim videbis quod ipse faciet alium serpentem. Hoc autem figurat quod quantumcumque subtiliter et occulte agant furta sua, sæpe unus detegit alium, etiam quando non perpendit et non vult. Et subdit quomodo apparaverit se ad considerandum istos, et reddiderit [1] Virgilium attentum ad speculationem suam subtilem, unde dicit: *perch' io mi posi il dito su dal mento al naso;* hoc signum solet homo facere, quando vult aliquid attente notare, *acciò che 'l duca stesse attento,* ad novam fictionem quam facere intendebam. Sed tu dices: quomodo et quare Dantes facit Virgilium attentum, cum potius soleat et debeat facere oppositum? Dicendum breviter quod autor tacite vult dicere Virgilio: attende si tu unquam fecisti talem fictionem; et sic vide qualiter Dantes devenerit in cognitionem istorum, quos prius non cognoscebat, quia scilicet audiens nominari Cianfam [2], intellexit quod isti erant sui florentini, ideo ita se firmavit ad respiciendum transformationes eorum. Et ideo facto Virgilio attento fa-

---

[1] S. reddidit. [2] 116, Ciamphum.

cit auditorem attentum valde artificiose; unde apostrophat ad lectorem, dicens: *o lettor, non serà meraviglia, se tu se' or lento a creder ciò ch' io dirò,* de transmutatione unius hominis, quia non videtur bene credibile, quod ex duobus animalibus tam variis, imo contrariis et naturaliter inimicis, scilicet serpente et homine, fiat unum corpus ita mixtum, quod unum non discernatur ab alio; et vere non mirabor si lente credas rem mirabilem, *chè io, che 'l vidi, appena mel consento.* Et in hoc vide, lector, quod autor extollit suam fictionem. Aliquando enim contingit homini magni ingenii, quod miratur de (1) se ipso de sua aliqua inventione (2) subtili, et dicit sibi ipsi: Ah Deus, quid fecisti! certe numquam scirem facere similem fictionem; et per hoc non vult aliud dicere (3) nisi, ergo stes bene attentus. — *Com' io.* Hic autor describit transformationem furum istius secundæ speciei. Ad cuius intelligentiam debes primo notare, quod aliqui sunt fures habituati, qui numquam recedunt a tali habitu; nam semper meditantur furtum, et ita operantur semper, quando et quantum possunt, ita quod si deficit (4) facultas, numquam tamen voluntas; et ideo autor punit istos cum serpentibus, cum quibus fingit eos incorporari et uniri, et a tali compositione numquam recedere, ad denotandum quod eorum cogitamen fraudulentum et corruptum ad furtum, est semper continuum et perpetuum usque ad mortem, ita quod sunt inemendabiles. Dicit ergo: *et un serpente,* iste erat Cianfa, qui factus serpens amplexus est angelum et traxit eum in suam naturam; ideo dicit: *si lancia con sei piè dinanzi a l' uno,* scilicet angelo prædicto, *e tutto s' appiglia a lui,* quia toto corpore aptavit se cum illo; et hoc fecit, *com' io tenea levate le ciglia in lor,* quasi dicat:

(1) E. in se ipso.
(2) S. fictione subtili. — E. inventione fictili.
(3) E. dicere in se: ergo stes.
(4) S. deficiet facultas, non tamen voluntas.

cum erexissem speculationem intellectualem ad considerationem eorum (1). Et ecce quomodo se totum implicuit illi, quia ille serpens habens sex pedes, *gli avvinse la pancia,* idest, ligavit corpulentiam et ventrem illi angelo, *coi piè di mezzo,* scilicet, duobus, *e prese le braccia con li anteriori,* scilicet, cum aliis duobus pedibus, quos extendit in longum per brachia, et immiscuit illis; *poi gli addentò,* idest, cum dentibus cepit, *l'una e l'altra guancia,* ut sic confirmaret faciem suam cum facie hominis, et de duobus faceret unum caput, *e distese li diretani,* idest, duos ultimos pedes deduxit, *a le cosce,* et coniunxit cum illis; et ad perfectiorem (2) unionem addit: *e miseli la coda tra ambedue,* idest, inter utramque cossam, *e la tese,* scilicet, versus caput, *dietro per le reni,* ut sic stringeret et ligaret ipsum (3) a tergo, sicut fecerat ab anteriori, ita quod cauda intraret spinam hominis inseparabiliter. — *Ellera.* Hic autor specificat istam unitissimam coniunctionem per unam comparationem claram; et dicit quod colligatio quam facit hedera circa arborem, licet videatur tenacissima, non (4) est similis isti. Dicit ergo: *Ellera non fue mai abbarbicata ad arbore,* idest, applicata circa arborem, *come l' orribil fera,* idest, serpens ille, qui horribilis visu, *avviticcò,* idest, ad modum vitis circumligavit, *le sue,* supple membra. Et hic nota quod bene dicit, quia licet hedera vel vitis adhæreat tenacissime (5) arbori, tamen potest ab ea divelli saltem per frustra; sed membra serpentis nullo modo potuissent disiungi ab homine; præterea hedera non amittit naturam vel formam suam, nec induit naturam vel formam arboris, nec arbor e converso; sed serpens et homo sic. Ideo subdit inseparabilem incorporationem serpentis et hominis per unam comparationem

(1) S. horum. (2) F. perfectionem unius addit. (3) S. eum.
(4) 116, non tamen similis. (5) E. tenaciter.

propriam, dicens: *poi,* membra utriusque corporis, *s' appiccâr,* scilicet, in simul, *come fosser stati di calda cera,* idest, tamquam si serpens et homo fuissent (1) de cera, sive materia cerea, facili ad aliam formam suscipiendam; ideo dicit: *e meschiar lor colore,* quia ex colore hominis et colore serpentis est factus quidam tertius color, sicut videmus de facto in duabus ceris diversorum colorum, scilicet albi et nigri, qui sunt duo colores immediati; aliqui (2) enim colores sunt mediati, ut vult philosophus; ideo dicit: *nè l' un nè l' altro già parea quel ch' era,* quia scilicet serpens non videbatur amplius serpens, nec homo homo; vel color serpentis non videbatur amplius color serpentis, nec color hominis, hominis. Et declarat istam mixtionem colorum per unam comparationem manifestam, dicens, quod talis erat color (3) tertius factus ex (4) duobus, scilicet serpentino nigro, et humano albo, qualis est fumus procedens ab ardore papyri. Dicit ergo: taliter novus color fiebat, *com' un color bruno,* scilicet semifuscus, *che non èe nero ancora,* idest, nondum est plene niger, *e 'l bianco more,* idest, desinit esse album, *procede inanzi da l' ardore suso per lo papiro,* scilicet, candelæ, vel intellige de carta bombicinea alba, quando comburitur; utraque enim est eadem comparatio, et papyrus habet ista diversa significata. Et hic nota bene quod sub ista pulcra figura autor vult dare intelligi, quod qui assuevit tali vitio raro vel numquam scit recedere, imo insanabiliter persistit in eo usque ad mortem. Ideo bene Aurelius Alexander romanorum imperator vir totus aureus virtute, sicut scribit Ælius Lampridius in vita eius, condigne punivit furem. Cum enim quidam nobilis solitus furari fuisset

(1) S. fuissent de cera, sive materia facili. — 116 e E. fuissent de carne, sive de materia cerea, facili. (2) 116 e E. reliqui enim. (3) 116 e E. ille color. (4) E. ex duobus serpentibus, scilicet nigro et humano albo.

admissus ad militiam suam, contemplatione quorumdam regum amicorum, et statim esset deprehensus in furto, a quo non poterat abstinere, quæsivit Alexander a regibus, quorum gratia promoverat illum, quod supplicium daretur furibus apud eos; et cum illi respondissent quod cruce punirentur, statim eum ex eorum sententia crucifixit. — *Li altri.* Hic autor ostendit, quomodo socii istius angeli condoluerint [1] de ista infelici transmutatione, dicens: *li altri dui,* scilicet Bosius et Pucius, *riguardavano,* scilicet istam horribilem transformationem, *e ciascuno gridava: omè,* idest, heu mihi! quasi diceret dolenter: quæ verecundia est ista? *Agnel come te muti,* quasi dicat: quam vituperosa est ista mutatio! Unde nota quod isti socii hic dolent de infamia; nam genus furum est juste omnibus odiosum, quia ultra id quod est pestilens est maxime vile; unde violentus est minus infamis quam fur; ideo violentus magis assimilatur leoni, fur vero vulpeculæ, ut dicit Tullius libro officiorum. Nullus ergo potest inclinari ad furtum, nisi ex summa animi vilitate; ideo bene præfatus Alexander juvenis egregius tantum odium habuit ad fures, quod si fur interdum præsentabatur conspectui eius, digito volebat eruere sibi oculum [2]; et ita indignabatur contra tales, quod si eos videbat, aliquo casu, accendebatur [3] tam amara ira, quod aliquando visus est evomere coleram toto vultu ardescente, ita ut nihil loqui posset; vere nobilis indignatio [4] generosi animi, et turpis vilitas furum, quæ viro forti et sublimi tam subito nauseam provocabat. — *Già.* Hic autor posita transformatione furis in generali, specificat formam transformationis in speciali, dicens: *li due capi,* scilicet, hominis et serpentis, *già eran divenuti un,* scilicet, caput, *quando due figure miste,* scilicet, serpen-

---

[1] S. e E. condoluerunt.
[2] E. oculum, ita quod indignabatur.
[3] S. ita accendebatur tam amara.
[4] E. indignatio animi.

tina et humana, quæ sunt tam diversæ (1) et contrariæ, confusæ simul, *n' apparver in una faccia,* quia de duabus faciebus erat facta una, *ov' eran due perduti,* scilicet in anima et in figura; et ultra hoc, *le braccia due fersi di quattro liste,* quia scilicet duo brachia hominis et duo pedes anteriores serpentis simul incorporata sunt, ita quod quatuor diversa lineamenta apparebant in eis; et quia a simili potes imaginari incorporationem cæterorum membrorum, ideo non curat discurrere per singula, quia esset inutilis expensa temporis; ideo breviter dicit: *le cosce con le gambe,* quæ similiter erant coniunctæ cum duobus pedibus serpentis posterioribus, et similiter faciebant quatuor lineamenta, *il ventre e 'l casso,* quasi dicat, reliquum corpus, *divenner membra che non fur mai viste,* et ideo non possent bene describi nec discerni; et ideo concludit: *ogni primaio aspetto,* idest, omnis prima forma et figura partium corporis, *era casso,* idest, non apparebat amplius, *ivi,* idest, in illo corpore mixto, *e l' imagine perversa,* idest, corrupta in utroque, *parea due,* scilicet serpens et homo, *e nessun,* quasi dicat: tamen neuter videbatur, quia non discernebatur unus ab altero, *e tal,* idest, ista imago talis, qualem descripsi ipsam, *sen giò con lento passo.* Per hoc figurat quod iste fur ita associatus (2) cum serpente vadit lente et leviter ad furta facienda; ideo divites habentes domos plenas, caveant sibi a tali fure inveterato, pratico et experto, qui didicit ire invisibilis. Ex prædictis ergo potes perpendere, si pudor et dolor poterat nasci de transformatione infami istius furis, potissime quia erat nobilis homo.

Come 'l ramarro. Ista est tertia pars generalis, in qua autor agit et tractat de tertia specie furum; et primo tangit materiam transformationis describendæ, proponens

(1) E. adversæ et. (2) S. sociatus.

quomodo quidam fur percussus est a quodam serpente. Ad indicandum autem subitum et improvisum insultum istius serpentis, præmittit comparationem alterius serpentis; et sententialiter dicit, quod unus parvus serpens velocissime et impetuose invasit alterum duorum sociorum, qui remanserant ibi intacti [1] et immutati, sicut serpens brevis dictus ramarrus tempore magni caloris velocissime transilit [2] viam in modum fulguris. Ordina sic literam: *un serpentello*, iste erat quintus socius, scilicet quidam Guercius de Cavalcantibus qui erat factus serpens, *acceso,* scilicet veneno cupiditatis furandi, *livido e nero come gran di pepe,* et est similitudo propria; piper enim est nigrum, calidum [3], et ita iste serpens est niger et calidus. Ad quod sciendum [4] quod quoddam est venenum calidum, quoddam frigidum, et id quod est calidum quasi comburendo interficit, et cito reddit locum morsus quasi adustum, et talis erat iste serpens, quia, ut videbis ex eius morsu egredietur [5] fumus; ergo causatus fuit ab igne. Frigidum autem interficit cor infrigidando: sed venenum calidum istius serpentis accendit cor istius hominis ad furandum, ita quod totaliter [6] convertit ipsum in serpentem pestilentem et venenosum, *venendo verso l' epe,* idest, versus corpulentias et pancias istorum duorum, *parea sì,* idest, ita videbatur fulgur, *come il ramarro.* Ramarrus est serpens communis in Italia, qui alibi dicitur *marro,* alibi *ragano* [7], Bononiæ vero dicitur *liguoro* [8], qui serpens secundum quosdam appellatur [9] stellio, a quo denominatur crimen stellionatus in jure civili, idest extraordinarium; ideo bene competit furi. Unde [10] volo te scire quod stellio et

---

(1) E. intacti et invicti, sicut. (2) E. transit. (3) 116, et calidum.
(4) E. sciendum est quod. (5) E. egreditur. (6) E. taliter.
(7) E. *ragno.* (8) E. *liguro.* (9) E. vocatur.
(10) E. Unde volo te scire quod stellio est piger.

lacerta sunt (1) similia quadrupedia, nisi quod stellio est piger et magis latus in dorso et cauda, quam lacerta, et est guttatus, quia habet terga picta inter lucentibus oculis in modum stellarum; sed lacerta est unius coloris tantum; ideo bene stellio figurat (2) tam multiplex crimen et diversorum colorum et est stellio maxime inimicus scorpioni, ita quod scorpio illo viso timet (3) eum. Ad propositum ergo serpens de quo loquitur hic autor, erat quadrupes, sicut dicitur (4) infra in litera, ideo bene hic assimilatur stellioni. Dicit ergo: *pare folgore,* quia more fulguris velox et ardens, *se attraversa la via cangiando siepe,* idest mutando locum quando transit de sepe ad sepem; ita a simili sæpe fur transvolat stratam de domo ad domum cum summa celeritate, *sotto la gran fersa,* idest sub magno calore sive magna calura, *dei dì caniculari.* Ad quod notandum quod Canis, secundum Albumasar in suo magno introductorio, est stella sive constellatio, quæ surgit de mense augusti cum fine Leonis et principio Virginis, a qua denominantur dies caniculares; quæ constellatio est de natura Martis, ideo est calidissima, ideo tunc serpentes maxime egrediuntur cavernas suas. — *E quella.* Hic autor descripta invasione serpentis quam fecit in hominem, describit vulnerationem sive percussionem quam fecit illi, dicens: *e trasfisse a l' un di lor,* scilicet Bosio qui erat unus duorum, *quella parte,* scilicet umbilicum, *onde prima èe preso nostro alimento.* Ad quod notandum (5) quod fœtus in utero mulieris nihil recipit per os, sed per umbilicum recipit sanguinem mestrualem, quo alitur, et illa vena videtur re-

---

(1) 116, sunt animalia quadrupedia.

(2) 116, figurat fraudem quæ est tam multiplex.

(3) E. timet eum: et sic, ut vides, stellio et lacerta sunt similia animalia quadrupedia, nisi quod stellio differt a lacerta in prædictis. Ad propositum. — 116, timet eum, ita fraus timet fraudem, et una vincit aliam. Ad propositum.

(4) S. dicetur.

(5) E. notificandum.

manere vana [1] et inutilis post nativitatem hominis; et tamen forte non est omnino frustra, quia videmus quod cum quis comederit nimium mellis [2] exit per umbilicum, superfluitates vero emittit per ventriculum qui appellatur secundina, quæ egreditur post partum. Nota ergo quod autor hoc ideo fingit, ut ostendat quod homo capit principium suæ corruptionis [3] ab ea parte ubi habuit principium suæ nutricationis. Alii autem lectores altius speculantes, subtilius exponunt istum passum et dicunt, quod per hoc autor caute tangit furem innatum, scilicet, qui est fur antequam nascatur, sive qui nascitur fur, sicut aliquis Saturninus; ideo bene fingit quod percutitur a serpente livido et nigro [4], scilicet a Saturno, qui est plumbei et lividi coloris. Videmus [5] enim oculanter aliquos qui ita naturaliter inclinantur ad furtum, quod nullo modo sciunt se abstinere, ut ipsi de se testantur, et potius volunt habere quinque solidos furto quam decem dono. Sed licet, lector [6], ista videatur subtilissima expositio, tamen non videtur mihi de mente autoris, quia, ut statim patebit in parte sequenti, homo mutatur totaliter in serpentem, et serpens mutatur totaliter in hominem, quia isti fures non sunt in continuo proposito furandi, sed aliquando cum electione, deliberatione et delectatione et societate, sicut est verisimiliter opinandum de isto hic percusso, scilicet domino Bosio de Donatis nobili milite, et aliis qui ponuntur [7] hic, omnibus nobilibus et de nobilibus familiis. Ideo quando facit [8] furtum ita provide, avisate, apensate, efficitur penitus serpens, et quando recedit et dimittit animum furandi revertitur perfecte in hominem; ideo istud genus furum est pessimum omnium pro tunc; dicit ergo: et

---

(1) E. vacua. (2) E, mollis. (3) S. corruptionis ubi habuit.
(4) 116, magno. (5) 116, Vidimus. (6) E. lectoribus.
(7) S. puniuntur. (8) E. fecit.

serpens dato vulnere homini, *poi cadde giuso,* scilicet a ventre hominis in terram, *disteso innanzi lui,* idest, coram homine qui erat assumpturus formam serpentinam ab eo. — *El trafitto.* Hic autor describit actum hominis percussi, dicens: *el trafitto,* scilicet vulneratus in ventre, *il mirò,* scilicet illum serpentem autorem vulneris, *ma nulla disse,* quia fur percussus cupiditate (1) furti ita alienatur mente, quod non sentit suam transmutationem cum tanta verecundia et pœna; ideo dicit: *anzi sbadigliava,* quasi dicat: imo hoc obstante (2) inhiabat ore aperto, furto (3) committendo, *coi piè fermati,* idest, cum affectione firmata et obstinata, quia, ut dictum est, isti sunt qui accedunt ad furtum consulto. Et declarat actum istius per comparationem claram et propriam, dicens: *pur come febbre o sonno l' assalisse:* nam affectio furti ex cupiditate lucri inflammabat (4) animum eius, sicut febris inflammat corpus, et sopiebat mentem, sicut somnus, ita quod perdebat usum rationis ad tempus. Et subdit mutuum respectum et actum hominis percussi et serpentis percutientis dicens: *elli,* scilicet homo, *riguardava el serpente,* quia volebat fieri similis illi, * *e quei,* scilicet et e converso serpens, *riguardava lui,* scilicet hominem, quia volebat fieri similis illi * (5), *e l' un,* scilicet homo, *fumava forte per la piaga,* quia scilicet emittebat spiritum suum in serpentem, *e l' altro,* scilicet serpens, *fumava per la bocca,* quia scilicet versa vice transfundebat (6) spiritum suum (7), *el fumo s' incontrava,* quia fumus exiens per plagam hominis intrabat in os serpentis; et fumus exiens per os serpentis intrabat plagam hominis, et ita permutabant spiritus inter se, quia

(1) 116, aviditate. (2) E. non obstante.
(3) E. furtum quod committebat, *coi.*
(4) E. inflammabat corpus et sopiebat.
(5) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(6) E. transmittebat. (7) S., 116 e E. suum in hominem, *el fumo.*

unus fiebat de (1) rationali irrationalis, alter de irrationali (2) rationalis; nam qui disponitur ad furtum præmeditandum, induit formam serpentis; et qui dimittit exuit. — *Taccia.* Nunc autor descripturus mutuam mirabilem transformationem et inauditam, ut reddat auditorem adhuc magis attentum (3) quam fecerat (4) supra, ad extollendam suam materiam, imponit silentium Lucano et Ovidio, ostendens quod transformationes quas fecerunt non possunt (5) æquiparari suæ. Ad intelligentiam transformationum Lucani est sciendum quod, sicut scribit Lucanus in VIIII, inter alios serpentes Africæ, quos reperit Cato cum suis cum transiret per arenam, est unus nomine seps, qui portat palmam omnium, quia scilicet tollit animam et corpus simul. Unde scribit ibi quod seps momordit quemdam militem Catonis nomine Sabellum in crure, et dum remansisset sibi affixus, ille cum manu violenter avulsit (6) et cum hasta affixit arenæ, et continuo plaga parvula cœpit dilatari, et cutis rumpi, et caro dissolvi, et pestis transire per omnia membra intus et extra, ita quod in brevi spatio totum corpus resolutum redactum est in modicum cinerem et pulverem. Deinde secuta est alia pestis contraria (7) isti; nam alius serpens nomine prister (8) percussit alium militem Catonis, cui nomen erat Nasidius, et statim eius facie inflata (9) cœpit (10) pellis extendi, et totum corpus inflari; et in tantum intumuit quod lorica violenter crepuit (11), quod corpus amisit omnem figuram humanam, et factum est velut veges magna; ex quo socii territi (12) dimiserunt ipsum adhuc crescentem insepultum, de quo aves vel

(1) 116, de rationabili.
(2) 116, de irrationabili.
(3) E. intentum.
(4) 116 e E. fecerit.
(5) S. possent.
(6) 116, evulsit.
(7) 116, contra istos.
(8) E. pestor.
(9) S. inflamata.
(10) E. cœpit totum corpus.
(11) E. crepuit et corpus.
(12) E. territi reliquerunt.

feræ non gustassent sine pœna. Et sic [1] nota quod autor videtur velle istas transformationes Lucani fuisse fictitias, quia sunt tam mirabiles; tamen multi et magni autores scribunt istas naturas serpentum tamquam veras: et dicunt aliqui quod pester [2] est de genere aspidum, qui semper vagatur ore aperto et fumante, a quo percussus magna corpulentia intumescit more hydropici, et ad tumorem sequitur putredo. Nunc ad literam dicit autor: *Lucano taccia omai,* quasi dicat: hucusque potuit loqui et gloriari de suis transformationibus mirabilibus, sed deinceps non poterit, quia venit qui excedit eum; *là dove tocca,* scilicet nono suæ Pharsaliæ, *del misero Sabello,* idest, misericordia [3] digno propter miserabilem mortem, quia factus est modicus cinis, *e di Nassidio,* cuius mors fuit horribilior quam Sabelli, et dicit: *et attenda ad udire ciò ch' or si scocca,* idest, novum genus transformationis, quod nunc emittitur ab arcu oris mei, quia in hoc poterit esse auditor meus. — *Taccia.* Hic Dantes imponit [4] silentium alio poetæ maiori, scilicet Ovidio, et tangit duas transformationes eius in suo maiori. Ad primæ intelligentiam est sciendum quod, sicut scribit ipse Ovidius IIII sui maioris, Cadmus conditor Thebarum in Græcia post multas infelicitates et calamitates suas, de quibus dicetur plene infra capitulo XXX, tandem fractus tantis malis exivit urbem suam, velut si fortuna locorum non sua premeret eum; et diu errando tandem pervenit in [5] Illirium, quæ provincia nunc dicitur Sclavonia, cum Hermione uxore sua, qui jam gravati adversis et senio, dum rememorant infortunium suæ domus et suos præteritos labores, et originem Thebarum infelicem, ita loquendo, Cadmus cœpit

(1) 116 e E. et hic nota. (2) E. pestor.
(3) 116, miserationi dignum. (4) 116, ponit.
(5) 116, in Illiricum in provincia quæ nunc dicitur.

extendi [1] in longum ventrem tamquam serpens, et sensit squamas crescere indurata [2] cute sua, et terga nigra variari viridibus guttis; et sic pronus cecidit ad terram in pectus suum, et crura copulata in unum cœperunt subtiliari in rotundam et acutam caudam. Et dum invitaret uxorem ad amplectendum se, antequam totus converteretur in serpentem, lingua cum qua loquebatur subito scissa est in duas partes, et volens quærelari cœpit sibilare. Uxor vero Hermion percutiens sibi pectus manu, exclamabat [3] et dolebat de ista horribili transmutatione, et rogabat fieri similis illi, ut sic semper esset in eadem sorte secum; et sic factum est, et ambo [4] serpentes per terram intraverunt secreta sylvæ oppositæ. Et concludit Ovidius quod ambo facti sunt serpentes placidi, nec fugiebant hominem quia meminerant suæ naturæ prioris. Veritas autem istius [5] fictionis est, quod Cadmus impatiens tot infelicitatum suarum cum Hermione uxore sua recessit de suo regno Thebarum, et finaliter petens Sclavoniam intravit solitudinem; ideo dicuntur facti serpentes, quia sylvestres facti more serpentum habitaverunt in sylvis longe ab omni consortio hominum, et eorum mors et finis ignorata [6] fuit. Et hic nota quod autor potius facit mentionem de ista transformatione [7], quia habet aliquam [8] similitudinem cum illa quam facturus est statim, si bene consideras hanc et illam. Ad intelligentiam secundæ fictionis est sciendum, quod, sicut scribit idem Ovidius in V maioris circa finem, Arethusa fuit quædam nympha de Arcadia regione Græciæ, una ex virginibus Dianæ pulcerrima; quæ cum semel reverteretur a venatione fatigata calore et labore

[1] E. extendere. [2] 116, in indurata cute. [3] E. clamabat.
[4] E. ambo facti serpentes. [5] E. huius.
[6] E. ignota fuit. [7] E. transmutatione.
[8] S. aliquam conformationem et similitudinem.

magno, pervenit ad fluvium Alpheum lucidum et lentum, et videns locum umbrosum salicibus et populis spoliavit se, et nuda cœpit se lavare et natare per aquam. Et ecce Alpheus deus illius fluminis veniens de sub undis cœpit vocare eam. Illa territa, quia non cognoscebat virum, statim aufugit; ille insecutus est eam ardentius: post (1) longam fugam Arethusa ex timore cœpit sudare, et subito resoluta est tota (2) in aquam, quæ intravit terram apertam miseratione Dianæ; et continuo Alpheus conversus in aquam propriam admiscuit se sibi, et sic ex duabus aquis facta est una. Veritas autem istius fictionis est ista, quod, secundum quod testantur fere omnes autores (3), Arethusa est fons famosus in Sicilia (4) apud civitatem Syracusarum, et Alpheus est fluvius in Græcia apud civitatem Elydem (5) et montem Olympum, cuius aqua dicitur pervenire in Siciliam et admisceri Arethusæ fonti, sicut manifestis indiciis apparet quod purgamenta deiecta in Alpheum aliquando inveniuntur in Arethusa. Et hic nota quod autor facit præcipue mentionem de Arethusa, quia mirabile videtur quod aqua veniat de Græcia in Siciliam sub mari, quod non admisceatur aquæ salsæ amaræ, sicut dicit Virgilius libro Bucolicorum. His breviter præmissis est redeundum ad literam. Autor imponit silentium Ovidio, dicens: *Ovidio taccia di Cadmo,* rege Thebarum, *e d'Aretusa,* fonte Syracusarum. Et vide quod hæc est maior audacia quam prima; quia Ovidius fuit optimus magister transformationum, quas quasi omnes collegit in unum in suo maiori, qui liber ob (6) id intitulatur Methamorphoseos, idest, liber transformationum. Et reddit causam quare Ovidius

(1) E. quæ post longam fugam ex timore.
(2) E. tota illa Arethusa in aquam, quæ miseratione Dianæ intravit terram divinitus ob hoc apertam, et continuo.
(3) S. poetæ.
(4) E. Cicilia.
(5) E. Eolidem.
(6) 116, ob hoc.

debeat modo tacere et non gloriari de suis transformationibus, dicens: *chè,* idest, quia, *io non l' invidio,* imo potius ipse potest invidere mihi, *se converte quello,* scilicet Cadmum, *in serpente,* cum uxore sua simul, *e quella,* scilicet Arethusam, *in fonte,* simul cum Alpheo amatore eius, *poetando,* idest, poetice fingendo; et ecce quare non invideo, *chè,* idest, quia, *non transmutò mai,* scilicet fictitie in omnibus transformationibus suis, *due nature,* scilicet diversarum specierum et formarum *a fronte a fronte,* idest proportionabiliter (1), ita quod quælibet pars corresponderet cuilibet parti, sicut ego facio, *sì c' ambedue le forme,* duarum naturarum, *fosser pronte a cambiar lor materie,* quasi dicat: ego non solum muto formas, sed etiam dispositionem materiæ; quia illam, quæ erat sub forma humana et disposita ad recipiendum humanas alterationes, ego converto in dispositionem ad alterationes serpentinas et e converso. Et hic nota quod sicut est difficile imaginare (2) materiam sine forma et e converso, cum una sine altera esse non possit; ita est difficile imaginari quod materia disposita ad formam unius speciei sit in illo iterum disposita ad formam alterius speciei. Nec mireris, lector, si Dantes præsumpsit imponere silentium (3) duobus magnis poetis, quia pro certo numquam facta fuit similis fictio, nec tam artificiosa transmutatio, sicut ipsemet testatur. Credo tamen quod hoc fecerit non tantum ad suam laudem, quantum ut redderet auditorem attentum ad rem novam, inauditam et inexcogitatam.

Insieme si risposero. Ista est quarta et ultima (4) pars, in qua autor nunc describit mutuam particularem transmutationem (5) membratim serpentis percutientis, et ho-

---

(1) E. proportionaliter.
(2) E. e 116, imaginari.
(3) E. silentium magnis.
(4) E. ultima pars generalis capituli.
(5) E. transfigurationem.

minis percussi. Et vere hic est opus maxima attentione, quia ista pars est intricatissima: primo ergo proponit ipsam [1] transformationem, dicens: serpens et homo, *si risposero insieme,* scilicet transmutando se, *a cotai norme,* idest, ad tales regulas quales dicentur statim; et incipit primo a fine, a parte viliori et extrema, ponens transmutationem caudæ in serpente et crurum in homine dicens: *che 'l serpente fesse la coda in forca,* idest, divisit in duas partes, quia, scilicet, de cauda fecit duo crura humana [2] cum cossis, *el feruto,* idest, homo percussus a serpente per oppositum, *ristrinse l' orme insieme,* idest, coniunxit sua crura simul faciens de illis caudam serpentinam [3]. Et tangit modum coniunctionis, dicens: *le gambe con le cosce s' appiccar seco stesse,* idest, ipsæmet sine opera alterius; et bene dicit, quia homo voluntarie efficitur [4] serpens, quando primo disponit gressum suum, qui designatur per vestigia ad furtum, *sì,* idest, tam fortiter, *ch' in poco,* idest, in brevi: *la giontura,* idest, coniunctio, *non facea segno alcun che si paresse,* quasi dicat: quod non videbantur amplius duo crura, imo una cauda longa et rotunda; et dicit quod e contra fiebat ex parte serpentis, quia scilicet, *la coda fessa,* scilicet, serpentis, *toglieva la figura,* idest, formam crurum humanorum, *che si perdea di là,* scilicet, ex parte hominis, qui de duobus cruribus faciebat unam caudam: et dicit quod simul pellis mutabatur ex parte utriusque; unde [5] dicit: *e la sua pelle,* idest, pellis serpentis, quæ naturaliter est dura, *si facea molle,* idest, humana, *e quella di là,* idest, pellis humana, quæ est naturaliter mollis, *si facea dura,* idest, serpentina, squamosa [6]. — *Io vidi.* Hic autor describit secundam transmutationem,

(1) 116, istam.

(2) E. humana, et cossas, *el.*

(3) E. serpentis.

(4) S. fit.

(5) E. et bene dicit.

(6) S. et squamosa.

scilicet, brachiorum ex parte hominis, et pedum anteriorum ex parte serpentis, quia cum pedibus et manibus committitur furtum. Ideo bene (1) post transmutationem unius, ponit transmutationem alterius; et vult dicere breviter, quod brachia hominis longa breviabantur (2), et pedes serpentis breves longabantur. Dicit ergo: *Io vidi le braccia intrar per l' ascelle,* quia retrahebantur per se ipsa intra corpus, ita quod fiebant brevia quantum erant duo pedes serpentis, et e converso, *e i duo piè della fiera,* idest, serpentis, *ch' eran corti vidi alongar tanto quanto accorciavan quelle,* idest, quantum breviabantur brachia hominis. — *Poscia.* Hic autor describit tertiam transmutationem, scilicet, pedum posteriorum serpentis et (3) membri virilis hominis. Dicit ergo: *poscia li piè di retro,* scilicet, serpentis, quia iste serpens habebat quatuor pedes tantum, *attorti insieme,* idest, coniuncti circulariter ut facerent formam rotundam, *diventaro lo membro che l' uom cela,* scilicet, veretrum in serpente, quod quidem membrum celatur ex verecundia; ideo autem homo erubescit de tali membro, quia numquam movetur nisi ad turpem actum. Non sic de manu et pede, quæ moventur ad honesta et turpia, ut dicit Augustinus de Civitate Dei: ideo bene natura provida posuit genitalia in parte occulta corporis, et quando homo incipit cognoscere, velat ipsa intra sylvam, et e contra; *e il misero,* scilicet, homo vere miser, qui tam miserabiliter amittebat formam humanam, *n' avea porti dui del suo,* non intelligas duo veretra, sed quod (4) ex uno veretro fecerat duos pedes serpentis, ita quod diviserat ipsum in duas partes æquales. Oportebat enim de necessitate, quod si deberet fieri totalis transmutatio, quod mutatio unius membri corresponderet proportionabili-

(1) E. bene posita transmutatione unius.
(2) 116, breviantur.
(3) E. ex membris virilibus.
(4) S. quia.

ter (1) mutationi alterius membri. — *Mentre.* Hic autor describit erectionem unius, et casum alterius cum mutatione colorum et pilorum simul. Dicit ergo: *l' un si levò,* scilicet serpens, qui fiebat homo, quia proprium est hominis ire rectum in (2) altum, et iste dimittebat furtum ad tempus, *l' altro,* scilicet homo, qui fiebat serpens, *cadde giuso,* quia proprium est serpentis trahere corpus per terram; et per hoc figurat, quod homo qui inclusit (3) se ad talem speciem furti committendam, vere cadit ab alta natura humana, et redigitur (4) in serpentem ad terram pronus, *mentre che 'l fumo vela l' uno e l' altro,* idest, tegit hominem et serpentem, *di color novo,* quia scilicet serpens iste qui erat niger, ut dictum est supra, induebat colorem hominis album; et e converso, homo qui erat albus induebat colorem serpentis nigrum, *e genera il pelo suso per l' una parte,* scilicet ex parte serpentis, qui fiebat homo et assumebat (5) pilum hominis, quia desinebat esse serpens, quia cessabat esse fur; ideo dicit: *e il dipela dall' altra,* scilicet ex parte hominis qui perdebat pilum. Et subdit quod non fiebat mutatio aliqua ex parte oculorum, sed ex parte oris utriusque ita, unde dicit: *non torcendo però,* idest, non mutando ob hoc, *le lucerne empie,* idest, oculos istorum impiorum. Unde nota quod autor non (6) facit hic mutationem oculorum, sicut cæterorum membrorum, quia, teste Plinio, serpens numquam respicit recte sed oblique, et fur habet de se oculos obliquos tam mentales quam corporales, ideo non expediebat quod conferret visum obliquum uni, alteri rectum. — *Sotto.* Hic autor tangit mutationem faciei utriusque, dicens: *sotto le quali,* idest, sub quibus lucernis oculorum, *ciascun,* scilicet, tam

(1) E. proportionaliter.
(2) E. in totum et.
(3) 116, inclinat.
(4) 116, reditur.
(5) E. assimilabat.
(6) E. non figurat hic.

serpens quam homo, *cambiava muso,* idest, mutabat os, et bene dicit: quia mutatio oris fiebat sub oculis, quia bucca naturaliter in animali est infra oculos, nisi esset monstrum. Et ecce modum istius transformationis (1), quia, *quel ch' era dritto,* scilicet, serpens qui fiebat homo, *il trasse,* idest, retro traxit ipsum musum, *vêr le tempie,* quia serpens qui habet os acutum, nunc faciebat de acuto planum, vel de subtili grossum; homo vero faciebat oppositum; et addit generationem auricularum in eo, dicens: *e l' orecchie uscir delle gote scempie,* quæ erant factæ magnæ et amplæ, *di troppa materia che in là venne,* scilicet, ad tempora, quia multum erat de materia in capite longo illius serpentis; ideo devenerant genæ hominis ita plenæ quod habiliter (2) fuerunt formatæ; inde aures (3) subtiles humanæ, quia serpens non habet aures extra, et quia fiebat nunc homo, ideo oportebat quod assumeret novam formam aurium. Et subdit formationem (4) nasi, dicens: *ciò che non corse indietro,* scilicet, ad formationem cerebri et auricularum, *e si ritenne,* idest, et quicquid retentum est nondum conversum de illa tanta materia, *fee naso a la faccia di quel soverchio,* idest, de residuo quod remanserat et (5) superabundabat a formatione dictarum partium. Et dicit: *e ingrossò le labbra,* scilicet, serpentis, quæ erant subtilia de se, *quanto convenne,* scilicet, ad grossitiem (6) labiorum hominis. Sed dices forsan, sicut audivi ab alio, certe oportebat quod (7) istud caput serpentis esset valde magnum, ex quo debebat fieri caput hominis cum cerebro, auribus, naso et labiis; sed certe serpens et homo erant eiusdem magnitudinis, licet diversæ figuræ, quia iste serpens (8) ani-

---

(1) S. transmutationis.
(2) E. habiliter fuerunt foratæ.
(3) 116, duæ aures.
(4) E. formam nasi.
(5) E. et similiter abundabat.
(6) E. grossitudinem.
(7) E. quod tale caput.
(8) S. serpens alias fuerat.

mal fuerat homo, et nunc iterum renovabatur in hominem. Erat enim Guercius de Cavalcantibus, et iste homo [1] fuerat serpens, et nunc iterum renovabatur ad formam serpentinam; erat enim Bosius de Donatis. Dicit ergo: *quel che giacea,* scilicet, Bosius qui fiebat serpens per oppositum, *caccia il muso inanzi,* idest, extendit in longum os ad modum serpentis, *e ritira l' orecchie per la testa,* idest, retraxit aures humanas, quas habebat extra, intra caput. Et declarat hoc per comparationem claram [2], dicens: *come la lumaccia le corna.* Et hic nota quod comparatio est valde propria, quia limax ideo sic vocatur, quia in limo [3] generatur et nutritur, et talis est fur qui sponte fit serpens et repit per terram; limax latet hyeme, vere exit, ita iste fur latet quamdiu est serpens, exit vero quando incipit fieri homo; limax animal timidum statim cum sentit aliquid retrahit se intra domum, ita et fur statim se occultat [4]. — *E la lingua.* Hic autor describit mutationem linguæ in utroque, dicens: *e la lingua ch' avea prima,* dum esset homo, *unita e presta a parlar, si fende,* scilicet in duas partes, quia serpens habet linguam scissam, et e contra, *e la forcuta,* idest, lingua serpentis bifurcata, *si richiude,* idest, fit unita, *ne l' altro,* scilicet in serpente. Et hic nota quod aliqui dicunt, quod serpens de rei veritate non habet linguam scissam, sed cum tanta celeritate movet illam, quod videtur duplex [5]; tamen Plinius et Albertus magnus dicunt quod sic, quamvis moraliter loquendo nullum animal est bilingue nisi solus homo, et concludit: *el fumo resta,* idest, cessat. Per hoc innuit quod completa erat transformatio, quia

---

(1) S. homo alias fuerat.

(2) E. clarissimam de se, sic dicens.

(3) E. limo enutritur.

(4) 116, occultat, limax habet duo cornua brevia, duo longa. — *E la lingua.*

(5) E. duplex lingua; tamen.

serpens transfuderat totum spiritum suum in hominem, et e converso, ita quod in virtute fumi utriusque fiebat (1) tota ista transformatio. Et hic nota quod per istam tam artificiosam transformationem (2) autor intelligit solummodo unam talem conclusionem, videlicet quod talis fur omnino transnaturatur (3) et efficitur serpens, et per consequens est pessimus omnium. Nam si Vannes Fucii (4) fuit resolutus, cito fuit renatus; si Angelus incorporatus extitit cum serpente, non tamen perdidit omnino naturam humanam, quam retinebat simul in eodem corpore, licet confuse et indistincte. Sed Bosius infelicius (5) cæteris mutabatur, quia omnino exuebat naturam humanam. Bosius ergo ex homine factus est serpens, et Guercius ex serpente factus est homo quando sponte dimisit propositum furandi. Isti ergo fures non fuerunt in continuo affectu furandi, sed ad tempus, aliis rebus interpositis. Dum ergo sunt fures assumunt formam serpentinam dimissa humana; et dum resumunt humanam dimittunt serpentinam, quia utuntur ratione, et sic sunt nunc serpentes, nunc homines. — *L' anima.* Hic autor describit morem proprium utriusque transformati (6), dicens: *l' anima,* scilicet rationalis Bosii, *ch' era divenuta fera,* idest, anima feralis (7) irrationalis serpentis, moraliter intellige, *sen fugio,* quia furum est fugere, *sufolando,* quia sibilus est proprius furum et serpentum, *per la valle,* idest, per bulgiam concavam (8) obscuram ad quam non penetrant radii solis, sicut dictum est supra de spelunca Caci, *e l' altro,* scilicet Guercius factus homo (9) ivit, *dietro a lui,* idest, post animam Bosii; nam animus est qui facit transmutationem (10) in isto, non ma-

(1) E. stabat.
(2) 116, transmutationem.
(3) 116, transmutatur.
(4) E. Fuccii resolutus.
(5) E. felicius.
(6) 116, transformationis.
(7) S. feralis irrationabilis.
(8) 116, cavam.
(9) 116, est homo, et ivit.
(10) E. transformationem.

nus vel pes, *parlando sputa,* quasi dicat: si potes sputa, sed non potes; quia spuere est actus hominis, tu autem non es amplius homo; et subdit: *poscia gli volse le novelle spalle,* idest, terga hominis quæ nuper assumpserat, et bene vertit sibi terga, quia factus homo, factus est inimicus serpentis [1], *e disse a l'altro,* quasi dicat: convertit se ad alium socium, scilicet Pucium, qui nondum erat mutatus, et dixit: *io vo' che Boso,* qui nuper factus est serpens, *corra carpon,* idest, *brancoloni* more bestiæ, *per questo calle,* idest, per istum tramitem furandi, *come fec' io,* quasi dicat: volo quod Bosius sit serpens sua vice, sicut ego fui, et currat cum brachiis, sicut ego feci. Et est modus [2] loquendi, quasi velit dicere: satis mali feci, satis diu fui fur, nunc relinquo Bosio artem furandi, qui [3] est animatus et dispositus hic, quia officium furandi incipit displicere mihi, quod non bene convenit nobili et militi. — *Così.* Nunc autor breviter epilogat [4] quæ dicta sunt, et concludit materiam istius fraudis furti, dicens: *così vid' io,* sicut jam scriptum est, *la settima zavorra,* idest, septimam bulgiam, quam autor vocat saburram, quæ est glarea, quæ ponitur in navibus ut non vacillent; et est conveniens metaphora, quia ista bulgia est recte una arena sabulosa, sterilis, plena serpentum, qualis est arena Africæ, sicut jam dictum est, vel forte hoc dicit, quia in ista bulgia ponit septem transformatos [5] et transformabiles, scilicet Vannem Fucii, Ciachum [6], Angelum, Cianfan [7], Bosium, Puccium, et Guercium, *mutare,* de una specie in aliam, *e transmutare,* idest, de duabus speciebus vicissim unam in alteram, et alteram in unam. Et subdit excusationem

---

(1) E. serpenti.
(2) E. quidam modus.
(3) 116, quia est.
(4) 116 e E. reepilogat.
(5) E. transformationes.
(6) E. Cachum.
(7) 116, Ciamphum.

sui (1), dicens: *la novità,* scilicet istius fictionis et inventionis numquam factæ per alium, *mi scusi qui,* idest, in hac parte, *se la penna aborra,* idest, si stylus oberrat, *fior,* idest, in aliquo modico. Et hic nota quod hic magnus poeta petit veniam de eo de quo meretur maximam laudem; unde facit recte sicut Sceva fortissimus miles Cæsaris qui, ut refert Julius Celsus, cum fecisset multas et magnas probitates contra anglicos in mari anglico, tandem reversus ad Cæsarem petivit veniam, ubi merebatur gloriam; ita Dantes, qui nunc fecerat mirabiles (2) inauditas fictiones, petit veniam ubi merebatur lauream coronam, sicut (3) triumphando de furibus. — *Et avvegna.* Hic autor quia (4) processerat satis confuse in isto tractatu, ideo ne aliquid remaneat obscurum, declarat duos ex dictis spiritibus florentinis, unum nominatim, alium per circuitionem verborum (5), dicens: *e quei,* scilicet fures prædicti, *non poter fuggirsi tanto chiusi,* quia quantumcumque fures conentur caute et occulte fugere, tamen non possunt interdum evadere quin videantur et cognoscantur, *ch' io non scorgesse ben,* idest, dignoscerem, *Puccio Sciancato:* iste non erat bene aptus ad fugiendum quando ibat cum aliis ad furandum, quia erat claudus, *avvegna che gli occhi miei fosser confusi,* tanta diversitate rerum, *e l' animo smagato,* idest, alteratus, *alquanto;* imo vere animus autoris (6) erat gravatus visione talium suorum civium nobilium in loco tam infami, ut ipsemet dicit in principio sequentis capituli; et specificat Pucium prædictum, dicens: *et era quel che sol non era mutato,* quia adhuc persistebat in forma humana, *de' tre compagni che venner prima,* quia, ut patuit

(1) E. suam.
(2) E. innumerabiles.
(3) E. sic.
(4) S. qui processerat.
(5) E. circumlocutionem verborum.
(6) E. e 116, autoris debebat esse nimis fatigatus, et præsertim animus autoris erat gravatus.

supra, tres socii apparuerunt simul primo autori, scilicet Angelus, Bosius, Pucius, quorum duo jam sunt mutati, scilicet Angelus, Bosius: restabat ergo Pucius solus, de cuius mutatione autor non intendit dicere, quia satis ostensa est triplex transformatio (1) in triplici specie (2) furum. Et ultimo specificat alium qui erat nuper renovatus in hominem, scilicet Guercium de Cavalcantibus. Iste miles vocatus est dominus Franciscus Guercius de Cavalcantibus de Florentia, qui fuit occisus ab hominibus de quadam villa comitatus Florentiæ, quæ vocatur Gaville, ex quo nata est magna guerra inter Cavalcantes et prædictos, et multi ex illis rusticis in vindictam interfecti fuerunt ab istis (3) nobilibus; ideo autor apostrophat ad ipsam villam, dicens: *l' altro,* scilicet Guercius, *era quello,* scilicet, fur, *che tu Gaville piagni,* idest, ploras, quia multas mortes tuorum vidisti pro (4) morte istius unius; propter quod habes materiam planctus. Et hic nota quod autor non nominaverat nisi unum de illis tribus, scilicet Bosium, quando dixit: *io vo' che Buoso corra:* ideo hic explicat alios (5) duos, ut eius tractatus remaneret (6) magis lucidus.

---

(1) S. transmutatio. (2) S. genere. (3) S. illis.
(4) E. per mortem istius. (5) E. istos duos. (6) E. remaneat.

CANTUS VIGESIMUS SEXTUS, *in quo tractat de octava bulgia, et de spiritibus entibus in flammis ignis, qui fuerunt mali consultores, sub titulo Ulyxes et sociorum, qui se perdiderunt in mari, et de modo perditionis eorum.*

G*odi Firenze poi che sei sì grande.* Postquam in duobus capitulis proxime præcedentibus autor noster tractavit et determinavit de pœna furum qui puniuntur in septima bulgia; nunc consequenter in præsenti XXVI capitulo agit et tractat de pœna alterius fraudis, quæ dicitur (1) astutia sive vafritia, quæ punitur in octava bulgia. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum increpat Florentiam, quæ producit tales filios. In secunda describit pœnam astutorum in generali, ibi: *Noi ci partimo.* In tertia describit duos spiritus antiquos famosos, quorum alter fuit astutissimus, a quo Virgilius rogatu (2) Dantis petit de eius morte memorabili, ibi: *Io stava.* In quarta et ultima ille spiritus astutissimus respondet ad quæsitum longa (3) narratione, ibi: *Lo magior corno.* Ad primum veniens dico, quod autor mordet (4) patriam suam quæ parit tales nobiles; et continuans istud capitulum ad præcedentes facit unam exclamationem cum (5) amara indignatione animi. Et antequam descendam ad literam exponendam volo primo te notare, quod autor utitur magna arte in præsenti capitulo, licet non cum tanta obscuritate cum quanta in capitulo præcedenti; facit enim in isto principio (6) tres figuras, scilicet apostropham, invectivam et ironiam. Apo-

(1) S. vocatur.
(2) E. rogator.
(3) S. per longam narrationem.
(4) E. monet.
(5) 116, cum magna.
(6) 116, præsenti capitulo tres.

stropham [1] quidem facit in quantum dirigit sermonem ad personam absentem, tamquam præsentem; invehit, quia exclamat in eam obiiciens sibi magnam culpam, et prænuncians pœnam; ironizat quia loquitur per contrarium et irrisive; quia [2] enim autor fecerat mentionem in capitulo præcedenti de quinque magnis [3] furibus nobilibus, ideo nunc, sumpta occasione, ex hoc iratus exclamat: *o Firenze godi;* dicit hoc in opprobrium, quasi dicat: non potes lætari, imo debes tristari et verecundari; *poi che se' sì grande;* est enim Florentia vere magna multipliciter [4], ambitu murorum, altitudine domorum, et multitudine habitatorum; ideo dicit: *che per mare e per terra batti l'ali,* idest, volas per mare et per terram. Hoc dicit, quia florentini discurrunt fere per totum mundum, mari et terra; et, quod est peius, *e per lo 'nferno il tuo nome si spande.* Et loquitur tam de inferno morali quam essentiali [5], quia in omni genere pravorum vitiorum, in omni genere suppliciorum, autor posuit [6] multos de gente sua, sicut [7] faciliter patet discurrenti per totum librum Inferni; tamen plures posuit de suis, quos melius noverat, quam de [8] alienis. Unde bene vidi [9] in aliis magnificis civitatibus aliquos nobiles simul sociatos ire ad furandum. Et assignat autor causam [10] invectivæ factæ, dicens: vere debes verecundari et tristari, quia ego, *trovai cinque cotali tuoi cittadini,* scilicet, tam nobiles [11] ratione nobilitatis, *tra li ladron,* idest, inter fures, qui sunt tam infames ratione vilitatis; et dicit: *onde mi vien vergogna,* ratione generali, quia compatriotæ sui erant; et ratione speciali, quia nobiles erant, et autor erat [12] nobilis, et hoc auget vituperium,

---

(1) E. Apostrophationem. (2) E. quia autor ipse noster fecerat.
(3) E. maioribus. (4) E. multiplicitate. (5) E. de essentiali.
(6) E. ponit. (7) E. quod faciliter. (8) E. de aliis.
(9) E. vidit de aliis magnis. (10) E. causam inventionis fictionis, dicens.
(11) S. notabiles. (12) E. etiam erat.

juxta sententiam Juvenalis: *Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.* Et si ego verecundor, tu non honoraris; unde dicit: *e tu non ne sali in grande onranza:* quasi dicat: imo ascendis in maiorem infamiam, quam ego. — *Ma se.* Hic autor ex præmissis arguit, quod male [1] deberet succedere Florentiæ; unde auguratur sibi infelicitatem de proximo eventuram, ostendens quod non erit diu impunita: vel reflectit se ad suam visionem principalem, in qua fingit se prævidisse quidquid scribit. Et vult breviter dicere, quod si eius visio non fuit vana, Florentia cito luet pœnas suorum scelerum propter [2] mala eventura, quæ optant sibi multi. Dicit ergo: *ma tu,* scilicet Florentia, *proverai,* vel secundum aliam literam, *sentirai di qua da picciol tempo;* hoc est dicere, in brevi; *di quel che Prato, non ch'altri, t'agogna.* Quasi dicat, de eo malo, quod vicini tui, subditi tibi, latrant contra te, imprecando tibi magna mala. Est enim Pratum nobile castrum [3] inter Florentiam et Pistorium, cuius habitatores male contentabantur de dominio florentinorum; et sicut est de more subiectorum [4], optabant illis destructionem vel depressionem. Et dicit: *non ch' altri,* idest, nedum extranei, et inimici [5] tui, sicut pisani, aretini, et alii multi. Et hic nota quod aliqui ignoranter dicunt, quod autor nescivit quid dixerit, quia ab isto tempore citra Florentia de die in diem semper fuit in magno flore, et multum extendit alas potentiæ suæ supra vicinos suos; ergo non in brevi evenerunt ea, quæ sui vicini et adversarii imprecantur [6] sibi. Ad quod potest responderi quod ista prænuntiatio jam erat verificata, quando autor ista scribebat; quia per ea tempora, qui-

---

(1) S. male debeat succedere.
(2) E. propter multa ventura, quæ.
(3) 116, castellum.
(4) E. subditorum.
(5) S. vicini.
(6) E. precarunt.

bus autor exulavit a patria, multa et magna mala evenerunt illi urbi, sicut bella civilia, incendia, spolia, et alia magna dispendia et scandala. Et ut videas quod de proximo ista mala (1) evenerint, volo te scire, quod in MCCCIII cardinalis de Prato prædictus, nomine Nichola, vir astutissimus et sagacissimus, parum diligens florentinos, missus (2) Florentiam a papa Benedicto XI qui successit (3) magnifico Bonifacio, volebat pacificare florentinos tunc discordes; sed non valens concordare eos, dixit: *Ex quo non vultis benedictionem, remanete cum* (4) *maledictione:* et excommunicavit civitatem. Anno sequenti, cum speraretur quod dictus (5) cardinalis poneret pacem inter cives, florentini (6), secundum eorum morem antiquum, kalendis maii fecerunt magnum festum; et unusquisque certatim conabatur facere nova spectacula. Inter alios illi de burgo sancti Floriani (7) fecerunt proclamari publice, quod quicumque vellet scire nova de alio mundo, deberet venire kalendis maii ad pontem Carrariæ; et in Arno flumine ordinaverunt solaria super barcis et naviculis. Et fecerunt quamdam simulatam repræsentationem inferni cum ignibus et aliis pœnis et suppliciis; et homines transfiguratos, et dæmonia horribilia et alios nudos sub specie animarum. Et videbantur dæmones iniicere (8) animas inter ista varia et crudelia tormenta cum maximis (9) clamoribus et horrendis stridoribus visu et auditu. Novitate cuius spectaculi totus populus concurrit (10) ad videndum. Unde pons Carrariæ, qui tunc erat de lignamine, onustus multitu-

(1) 116, ista magna mala evenerunt. — E. mala evenerant.
(2) 116, missus fuit. — E. missus est.
(3) 116, successerat magnifico. — E. successit magistro.
(4) E. in maledictione.
(5) E. dominus cardinalis.
(6) E. cives florentinos.
(7) E. Frediani.
(8) E. mittere.
(9) S. magnis stridoribus horrendis visu.
(10) E. cucurrit.

dine magna [1] nimis, cecidit in Arnum cum his, qui erant desuper. Ex quo multi mortui sunt et suffocati, et multi destructi de persona; ita quod ludus fictus conversus est in rem veram. Nam multi, qui spectabant infernum simulatum, iverunt ad infernum verum, et sciverunt nova de alio mundo, juxta [2] proclamationem banni; et facti sunt veri planctus et stridores morientium [3], percussorum, et eorum, qui stabant ad videndum, quia quilibet habebat, vel habere credebat ibi filium, fratrem, vel consanguineum, aut amicum. Et hoc fuit augurium alterius maioris damni de proximo eventuri [4] ipsi civitati. Nam eodem anno factum est bellum civile in Florentia inter Albos et Nigros. Et cum essent omnes sub armis, et Albi quasi essent victores, quia dominus Cursius de Donatis non impediebat se, tum quia erat podagricus [5], tum quia erat discors cum magnatibus de sua parte Nigra [6], permisit Deus, quod incendium corporale extingueret incendium animorum [7] et furorem civium. Nam flagrante rumore quidam de Abbatibus nomine Nerius, clericus, prior sancti Petri in Scharadio, vir sceleratus et dissolutus, immisit ignem artificialem primo in domos suorum consortium in horto sancti Michaelis; et fuit tam furiosus ignis, quod flante austro arserunt domos multarum clarissimarum familiarum de terra illa; et in summa tota melior pars civitatis arsit. Et fuerunt circa duo millia ducentæ domus. Damnum thesaurorum, mercantiarum, et cararum [8] suppellectilium fuit inæstimabile, et [9] illud, quod non cremabatur, capiebatur manibus prædonum, quia [10] continuo pugna-

---

(1) E. magna, cecidit. (2) E. Et juxta proclamationem banni facti sunt.
(3) E. mortuorum. (4) E. venturi.
(5) E. podagrosus, tum quia discors. (6) E. parte magna, non permisit.
(7) E. animorum in furore civium. (8) E. cæterarum.
(9) E. et id quod non urebatur.
(10) E. qui continuo pugnabant in multis.

batur in multis partibus civitatis. Ex quo multæ familiæ, progenies, et societates fuerunt desolatæ, et venerunt ad inopiam ex dicto incendio et præda; et hæc pestis accidit Florentiæ die decima junii. Et ex hoc Cavalcantes (1), qui erant tunc potentissimi, perdiderunt statum, et Gerardini, qui erant caporales illius sectæ, fuerunt banniti tamquam rebelles. Ex prædictis igitur satis patet, quomodo (2) magna mala cito venerunt super Florentiam, secundum (3) quod optaverat sibi ille de Prato; et sicut dicebam, autor potuit habere respectum ad ista et (4) alia mala, quæ illa civitas passa erat tempore suo. Et si habuit respectum ad futura, adhuc bene dixit, quia tempus, quod videtur longum quantum ad vulgares (5), est breve apud astrologos. Et autor loquitur multum prudenter et caute, quia dat tempus incertum, et quia loquitur additionaliter (6), dicens: *se presso al mattin del ver si sogna,* quasi dicat: si aliquid verum somnium fit circa mane in aurora diei, qua hora maxime solent fieri somnia vera, quasi dicat: si verum vidi in somnio meo, quod feci illucescente die, quod descripsi primo capitulo Inferni, ubi dixi: *Tempo era dal principio del mattino.* Et subdit autor, quod bene dixit: *per tempo,* quia Florentia bene meruit hoc, ideo optat sibi quod tempus acceleretur. Unde dicit: *e non seria per tempo se già fosse,* imo tardum, quasi dicat: jam debuisset esse, consideratis demeritis tuis, et ideo: *così foss' ei,* idest, utinam jam esset; nec oportet intelligere sicut communiter dicitur (7), quod autor optet hoc ex appetitu vindictæ, imo quia peccatum impunitum multiplicatur et augetur. Unde peccans impunitus est in-

(1) E. Cavalcantes, qui tunc erant caporales illius sectæ.
(2) E. quod magna.
(3) S. sicut optaverat. — E. secundum quod sibi optaverant illi de Prato.
(4) E. et ad alia mala, quæ ista civitas.
(5) E. vulgares, breve apparuit astrologis. Et.
(6) S., E. e 116, conditionaliter. (7) E. dicitur, scilicet quod.

felicior, quam si puniatur; et quia ad justitiam Dei spectat quod ad culpam sequatur pœna; quando (1) pœna differtur, ira (2) tardata venit acerbior; ideo dicit: *da che pur esser dee,* et ecce causam, *che più mi graverà com' più m' attempo.* — *Noi.* Hic autor describit eorum egressum de bulgia septima, et ingressum in octavam, dicens: *noi ci partimo,* scilicet de illa bulgia furum, *e il mio maestro,* scilicet Virgilius qui duxerat me deorsum ad fundum, *rimontò e trasse mee,* scilicet post se, *su per le scalee,* idest, per gradus illius ripæ (3) arduæ, quia ibi non erat alia scala. Ideo dicit: *che n'avea fatti borni,* idest, ablucinatos, *pria a scendere,* idest, a principio, quando (4) primo descendimus propter difficultatem viæ et obscuritatem, quod non est aliud dicere, nisi, nos reascendimus (5) sursum eo modo quo descenderamus infra, et redivimus ad primam viam rectam pontis. Et via istius pontis octavi erat etiam valde difficilis, quod ostendit per evidens signum, dicens, *lo piè non si spedia senza la mano,* quasi dicat: via erat ita impedita et intricata, quod pes non poterat transire sine auxilio manus, sicut sæpe accidit ascendentibus montem arduum, *proseguendo la selvagia via,* idest, per pontem octavum qui continuatur recte septimo præcedenti, quæ via erat vere silvestris, et solitaria, quia numquam alius iverat per istam viam. Nam Dantes primus fabricavit istos pontes et istas bulgias, et materia ista erat valde fortis; et tangit asperitatem viæ quæ non erat plana, cum dicit: *tra le schegge e tra i ronchi,* idest, inter saxa, *del scoglio,* idest, pontis. Et hic nota quod materia quam autor parat nunc describere, non est minus occulta quam materia præcedens, quia via

---

(1) S. et quando.
(2) 116, ira Dei tardata.
(3) E. ripæ altæ et arduæ.
(4) E. quando pontem descendimus.
(5) S. ascendimus sursum eo modo quo descendimus infra.

furum est occulta, sed via istorum astutorum est occultissima, et est contraria illi, quia fraus furum, ut jam totiens dictum est, procedit a magna vilitate animi; fraus vero astutorum procedit a magna subtilitate et acuitate ingenii: ideo fures sunt valde infames et ignominiosi; isti vero astuti sunt valde famosi et gloriosi quantum ad mundum, sicut statim patebit de Ulyxe. Ideo bene autor fingit, quod in introitu istius viæ oportuit ipsum facere de pede et manu, quia oportuit apponere [1] affectionem et operationem circa talem materiam describendam.

Allor mi dolsi. Ista est secunda pars generalis in qua autor describit pœnam istorum astutorum in generali; sed antequam manifestet istam pœnam præmittit magnam utilitatem quam consecutus est statim ex ipsa sola visione pœnæ prima facie. Unde ad intelligentiam istius literæ obscuræ debes notare quod multi fuerunt, et continuo sunt viri valentissimi excellentis ingenii apti nati a natura ad omne nobile opus, et tamen non exercent suam providentiam, solertiam et sagacitatem nisi circa [2] fraudes et malitias. Ideo autor qui cognoscebat in se ingenium mirabile, visa dolorosa pœna istorum ardentium velut in fornace, recordatus quod aliquando usus fuerat male opera ingenii sui, indoluit et proposuit sibi cavere de cætero a similibus astutiis. Dicit ergo: *allor mi dolse,* scilicet cum cœpissem ire per pontem [3] octavum, de quo statim vidi flammas igneas volantes per aerem intra quas circumdabantur [4] isti, *et ora,* idest, et nunc de præsenti, *mi ridoglio,* intra me ipsum dicens: Ah! sancte Deus, quantum donum recepi, et quam male meritus sum? certe numquam amplius ero

---

[1] 116, ponere affectionem et comparationem. [2] E. contra.
[3] E. pontem octavæ bulgiæ, de qua statim.
[4] 116, cruciabantur. — E. tractabantur isti.

ingratus beneficii recepti (1), *quand' io drizzo la mente,* idest, reflecto memoriam, *a ciò ch' io vidi,* idest, omnibus ignibus quos vidi in octava bulgia, et dicit: *e più affreno lo 'ngegno ch' io non soglio,* scilicet doctus exemplo istorum plus refræno ingenium quam sim solitus in juventute, *perchè non corra,* scilicet in aliquid factum, *che virtù nol guidi;* scilicet virtus prudentiæ, quæ docet hominem recte agere; unde homo pravus bene potest dici astutus, sagax, sed non prudens. Et assignat causam sui dicti, dicens: *sì ch' io stesso nol m' invidi,* idest, non invideam mihi ipsi, scilicet dolens de felicitate mea mihi gratis data; unde dicit: *se stella buona,* idest, bona influentia cœli, quia autor habuit cœlum benignum in nativitate sua, sicut ipse sæpe testatur in suo poemate, ut patet Purgatorii capitulo XXX, ubi dicit: *Non pur per opra de le rote magne,* et Paradisi capitulo XXII: *O gloriose stelle o lume pregno,* et dicit: *o miglior cosa,* scilicet divina bonitas, quæ dat stellæ quicquid habet bonæ infusionis, *m' ha dato el bene,* quasi dicat: si habeo subtile ingenium a natura vel a Deo, quales sunt communiter mercuriales, nollem privare me ipsum tali gratia. — *Quante.* Hic autor describit manifeste (2) pœnam istorum astutorum, qui commiserunt magna facinora mediante vafritia. Ad cuius descriptionis intelligentiam est prænotandum quod autor ingeniose dat pœnam consonam meritis istorum. Fingit enim quod isti astuti ingeniosi sunt inclusi, involuti et circumvelati (3) flammis igneis, intra quas calidissimo ardore cremantur multis rationibus; primo, quia isti fuerunt homines magni ingenii, et ingenium provenit a caliditate, unde homines calidi sunt magis ingeniosi; frigidi vero magis memoriosi. Aliqui tamen (4) habent utrumque bonum, sicut

(1) S. accepti.
(2) 116, et manifestat.
(3) S. circumvoluti.
(4) S. autem.

autor iste, unde caliditas idem est quod astutia; secundo (1): flamma naturaliter penetrat, comburit et consumit quicquid est sibi obvium, quod significat ardorem ingenii et caliditatem animi, quibus nihil potest obsistere (2) sicut nec igni. Unde prudentia Priami, fortitudo Hectoris, tota potentia Troiæ et regum amicorum, non potuerunt resistere astutiæ Ulyxis, ut statim dicetur; tertio (3): ignis naturaliter est acutus et continuo tendit ad altum; ita altum ingenium istorum semper tendit ad altum, et attentat magnalia, quale fuit ingenium Mitridatis, Jugurtæ, Marii, Catilinæ et (4) Johannis de Procida; quarto: isti cruciantur occulte, ita quod non apparent ad figurandum occultas vias et cauta consilia talium, quæ nullus potest interdum comprehendere, imo nec coniecturare, sicut dicetur capitulo sequenti de comite Guidone de Montefeltro, *gli accorgimenti e le coperte vie;* quinto: ignis de prope lædit et contristat, a longe vero lucet et lætificat; ita isti sæpe nocent suis vicinis, tamen placent et lucent extraneis, quia sunt famosi, et laudantur a longinquis, sicut patet in multis dominis Italiæ. Nunc ad literam autor specificat pœnam istorum per unam comparationem claram; et vult dicere uno verbo, quod vidit tam multas flammas ardentes in bulgia illa sub oculis suis, quot nocticulas lucentes videt (5) agricola in convalle subiecta oculis suis. Ordina sic literam et construe: *l'ottava bolgia,* quam nuper intraveram, *tutta risplendea di tante fiamme,* diversorum ignium ardentium et relucentium (6) a longe, *quante lucciole,* quæ sunt vermes volantes per aerem lucentes, quæ nascuntur de quercu putrida, *il villan ch' al poggio si riposa,* idest, qui adhæret monti de sero

---

(1) E. secundo, quia flamma.
(2) E. resistere sicut est ignis.
(3) E. tertio, quia ignis.
(4) E. et de Procida: quarto, quia isti.
(5) S. vidit.
(6) S. lucentium.

lassatus labore diurno, *vede giù per la vallea,* idest, per camporum planitiem infra se, *forse colà dove vendemmia e ara,* idest, in vinea et terra quam colit, *nel tempo,* scilicet, æstatis, *che colui che schiara il mondo,* scilicet, sol, qui illuminat mundum, *tien meno ascosa la faccia a noi,* quasi dicat de mense junii, quando sol est in cancro, quia tunc sunt longiores dies, et diutius sol apparet supra terram in nostro hemisperio. Et tangit horam temporis qua rusticus videt hoc, dicens: *come la mosca cede a la zenzara,* quasi dicat: de sero, quando muscæ recedunt et culices accedunt, ut sic semper homo sit stimulatus; muscæ enim de natura sui (1) non volant de nocte, et hinc est quod exercitus mutant campum de nocte ne muscæ sequantur eos. Musca enim vermis est notus omnibus cum duabus alis et octo pedibus, quæ (2) nascitur de putredine fimi et animalium (3), ideo in animalibus multiplicatur (4) et humorem (5) sugit. Culices vero maxime nascuntur ex humore, et juxta aquas abundant et sequuntur maxime spiritus humidos exalantes ex animalibus, et præcipue ab hominibus, et ideo de sero volant super capita hominum in locis humidis in æstate de sero. Et hic nota quantum hæc comparatio pulcra et propria faciat ad propositum: nam agricola qui colit terram extirpans malas herbas et spinas, ut inde colligat bonum fructum, bene figurat ipsum autorem, qui colit animam humanam extirpans vitia et inserens virtutes, ex quibus colligat fructum felicitatis. Et sicut rusticus, de quo loquitur, fatigatus labore diurno stat adhærens monti, ita autor fessus longo labore præcedentis materiæ, ut jam ostendit in capitulo præcedenti, stabat appodiatus ponti: et sicut rusticus videt magnam

---

(1) S. sua. (2) 116 e E. qui nascitur. (3) S. aliorum animalium.
(4) E. multiplicantur et humorem gignunt. (5) 116, humores sugit.

multitudinem luciolarum (1) lucentium per campaniam, ita nunc autor videbat magnam multitudinem animarum clararum volantium per bulgiam, quæ sunt leves et vagantes ad modum luciolarum (2). Et dicit: *sì com' io m' accorsi,* idest, sicut ego comprehendi, *tosto che fui dove il fondo parea,* idest, statim cum perveni ad culmen pontis octavi, de quo poteram libere respicere quicquid erat in fundo bulgiæ, ita quod non oportuit hic descendere ad fundum bulgiæ, sicut oportuit in bulgia præcedenti, quia illa bulgia erat obscura plena serpentibus atris, ista vero erat clara plena ignibus lucidis. — *E qual.* Hic autor describit motum illarum (3) animarum per unam nobilem comparationem, quæ, quia videtur obscura, ad illius claram (4) cognitionem oportet percurrere longam historiam. Est igitur sciendum pro evidentia quod de Elia et Eliseo tractatur multum diffuse tertio libro Regum versus finem, et libro quarto circa principium. Fuit ergo Elias propheta mirabilis (5) et singularis, quia solus fuit verus propheta diebus suis, et miracula multa et magna fecit, qui claruit tempore Achab regis Israhel in Samaria. Fuit et Elias vir magnæ (6) sanctitatis et autoritatis, pilosus corpore, indutus pellicia. Hic Elias tempore magnæ siccitatis quæ duravit per triennium, cum fames magna esset intra urbem, de mandato Domini exivit in solitudinem, ubi corvi soliciti paverunt cum pane et carnibus; deinde post triennium reversus de præcepto Domini venit ad Achab regem, qui videns eum dixit: nonne tu es ille qui conturbas Israhel? Cui Elias audacter respondit: non ego turbavi Israhel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini servientes idolis. Et petivit Elias ut,

(1) E. lucicolarum, ita nunc autor videt magnam. (2) E. lucicolarum.
(3) E. istarum animarum per unam rationabilem comparationem; quæ, quia.
(4) 116, ergo claram. (5) E. maximus mirabilis. (6) E. maximæ.

convocato [1] Israhele, convocaret quadringentos quinquaginta falsos prophetas in monte Carmeli; quo facto convenit cum illis ut bovem occisum ponerent super struem lignorum, et ipse similiter poneret alium bovem; et [2] cum illi prophetæ diù invocassent nomen Dei sui incidentes se cultellis et lanceolis [3] juxta morem eorum, non fuerunt exauditi. Deinde Elias oravit ad Dominum, et continuo descendit ignis Domini de cœlo qui voravit [4] carnem, ligna et omnia. Hoc facto Elias cum magno clamore et favore populi fecit capi omnes prophetas quadringentos quinquaginta, et illos tractos in torrentem Cison interfecit omnes, ita quod unus non evasit; deinde restituit pluviam tam diu expectatam et denegatam propter peccatum [5] idolatriæ. Tunc Jezabel regina uxor Achab [6], audita morte prophetarum, juravit quod faceret simile de Elia; propter quod Elias, cedens furori et minis reginæ iratæ, recessit longe in desertum, cui Dominus præcepit, ut inungeret [7] Eliseum in prophetam. Eliseus [8] de Abella inventus arare terram, tractus ab aratro per Eliam secutus est eum et ministrabat ei. Mortuo autem Achab in prælio regnavit Ochozias filius eius pro eo in Israhel duobus annis, et fecit malum coram Domino: post quem regnavit Moab, qui dum ægrotaret mittebat nuntios suos ut consulerent Belzebuch deum Acharon, si poterat evadere ab infirmitate sua. Elias autem ad præceptum angeli Domini ivit in occursum nuntiis, et arguens eos dixit [9]: nonne est Deus in Israhel? non descendet rex vester de lectulo, sed [10]

---

(1) 116, congregato Israhele congregaret 450 prophetas falsos.
(2) E. et tunc cum illi. (3) E. lanceis.
(4) E. devoravit carnem. (5) E. peccata.
(6) E. illius Achab. (7) S. ungeret.
(8) 116, Eliseus ergo inventus.
(9) E. dixit eis: numne Deus est in Israel, ut consulatis Deum Acharon? propterea non descendet. (10) S. sed morietur.

morte morietur. Quo audito rex accensus indignatione et ira misit unum ducem cum quinquaginta militibus, qui ascendens (1) in verticem montis, ubi sedebat Elias, dixit: homo Dei, rex præcepit (2) ut descendas. Cui Elias respondens, dixit: si homo Dei sum descendat ignis de cœlo et devoret te et tuos (3) quinquaginta; et statim factum est. Rex autem (4) misit alium cum aliis quinquaginta, qui eodem modo cum suis ab igne devoratus est. Iterum rex misit alium (5) principem cum aliis quinquaginta, qui flectens genua sua coram Elia, rogavit humiliter ut misereretur eius. Tunc Elias de mandato angeli descendit et venit ad Ochoziam (6) regem, et denuntiavit sibi mortem, et sic factum est; et regnavit Joram frater eius pro eo, non enim habebat filium. Eo tempore accidit quod cum Dominus vellet levare Eliam per turbinem, Elias voluit dimittere * Eliseum in itinere; sed Eliseus numquam voluit dimittere * (7) eum. Iverunt ergo ambo pariter, et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, et steterunt (8) e contra a longe. Cum ergo ambo pervenissent ad Jordanem, Elias accepit pallium suum, et cum illo involuto percussit aquas quæ divisæ sunt, et transiverunt ambo per siccum. Cum autem transissent, Elias dixit Eliseo: postula quid vis a me antequam tollar a te. Cui Eliseus dixit: rogo quod spiritus tuus propheticus duplicetur in me. Cum ergo sic irent, et eundo sermocinarentur, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et

---

(1) E. ascendens. verticem. (2) E. præcipit.

(3) 116, tuos quinquaginta milites, et statim. — E. et tuos; quod statim factum est: quo facto rex ipse iterum misit. (4) S. e 116, iterum.

(5) E. alium cum aliis quinquaginta, qui videntes Eliam, flectentes genua sua coram Elia, et dux ipse rogavit Eliam ut misereretur.

(6) E. Ochoziam regem, cui denuntiavit similiter mortem et sic mortuus est. Et regnavit post eum Joram frater eius, quia non habebat filium.

(7) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 116 e Estense.

(8) E. steterunt a longe.

ascendit Elias per turbinem in cœlum. Eliseus autem [1] videbat et clamabat: pater mi, pater mi, currus Israhel et auriga eius; et non vidit eum amplius, et scidit vestimenta pro dolore. Et levato pallio Eliæ quod ceciderat ei [2], percussit aquas bis, et divisis aquis, secunda vice Eliseus retransiit [3] Jordanem solus sicco pede, quem primo transiverat sociatus cum Elia. Eliseus ergo [4], remanens post Eliam cum spiritu duplicato, multa miracula fecit; deinde ascendit in Bethel, et cum ascenderet per viam, pueri parvi [5] egressi sunt de civitate, et illudebant ei [6] dicentes: ascende, calve: qui videns eos maledixit eos [7] in nomine Domini; et continuo duo ursi egressi de saltu laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Et ipse descendit deinde in montem Carmeli, et inde reversus est Samariam, et multa miracula fecit: tandem cum exercitus magnus regis Syriæ venisset et obsedisset montem Carmeli ad capiendum Eliseum, mons apparuit puero suo plenus equorum et curruum igneorum; et omnes de exercitu percussi sunt cæcitate, quos Eliseus duxit [8] intra Samariam, et aperti sunt oculi eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ; sed Eliseus noluit [9] quod offenderentur; imo fecit dari [10] eis comedere et bibere, qui libere relaxati rediverunt in patriam. Eliseus adhuc alia vice liberavit Samariam ab obsidione syriorum, et multa alia miracula fecit, quæ prætermitto causa [11] brevitatis. Imo, lector, non fecissem tot verba de istis duobus prophetis, nisi quia videntur habere aliqualem [12] conformitatem cum istis duobus poetis; nam isti duo poetæ solitarii

---

(1) E. autem videns clamabat, dicens: pater mi. (2) E. ei ascendenti.
(3) S. transiit. — E. transivit. — 116, retransivit.
(4) E. autem. (5) E. parati. (6) S. illi. (7) E. eis.
(8) E. duxit in terram Samariam. (9) E. non volebat quod.
(10) S. e E. dare eis ad comedendum et bibendum.
(11) E. gratia brevitatis. Igitur, lector. (12) S. e E. aliquam.

bene conveniunt cum istis duobus prophetis solitariis. Sicut enim isti (1) prophetæ multos viderunt ignes devorantes multos inimicos Dei; ita isti duo poetæ viderunt hic multos ignes devorantes et cruciantes multos peccatores damnatos. Et sicut Eliseus propheta magnus discipulus Eliæ prophetæ magni amavit eum ardenter, et secutus est semper in omnibus periculis et laboribus, usque quo fuit raptus a conspectu eius; ita Dantes poeta magnus amavit Virgilium poetam magnum, et semper secutus est eum usque quo Virgilius fuit ablatus ab oculis eius. Et sicut propheta cum propheta ambulavit diu per planum et montem multa miracula faciens; ita Virgilius cum Dante per sylvam Inferni et montem Purgatorii multa miracula faciens. Et sicut Elias recedens ab Eliseo reliquit sibi spiritum prophetiæ duplicatum; ita Virgilius recedens a Dante reliquit sibi spiritum poesiæ duplicatum, sicut patet clare intuenti librum istum Inferni, de quo Inferno Virgilius pauca dixit, et confuse; et sicut patet in libro Purgatorii, de quo Purgatorio Virgilius nihil dixit. Et sicut Eliseus dolebat et conquerebatur de recessu Eliæ patris et magistri sui; ita Dantes multum doluit et conquestus est de recessu Virgilii, sicut patet clare circa finem Purgatorii. His summatim (2) collectis, nunc est ad literam descendendum (3), quam ordina sic: *ciascuna,* supple flamma, *se move tal per la gola del fosso,* scilicet octavæ bulgiæ, quæ tamquam gula deglutit istos, *che nessuna mostra il furto,* idest, animam ibi stantem absconditam more furti. Certe illi de bulgia præcedenti vorantur a serpentibus, quia furati sunt gallinas et alia vilia, sed isti vorantur ab ignibus, quia involaverunt magnas civitates et nobiles terras, sicut statim dicetur de Ulyxe, qui furtive cepit

(1) 116 e E. isti duo prophetæ. (2) S. e E. summarie. (3) S. redeundum.

Troiam cum equo simulato. Ideo dicit: *et ogni fiamma invola un peccatore,* idest, tegit et celat unum ([1]) astutum, ita quod involatur sicut involavit, *qual il carro d'Elia,* idest, qualem, *vide colui,* scilicet Eliseus, *che si vengiò,* idest, vindicavit illusionem sibi factam a pueris, *con gli orsi,* qui devoraverunt pueros ([2]) *al dipartire,* scilicet, quando recessit ab eo. Unde dicit: *quando i cavalli levorsi erti al cielo,* idest, quando equi ignei trahentes currum cœperunt surgere versus cœlum, adeo, *che nol potea seguir con gli occhi sì che vedesse altro che la fiamma sola,* a simili leviter et velociter, *sì come nuvoletta salir in su.* Et hic nota quod comparatio est consona facto; quia sicut Eliseus non videbat nisi simpliciter flammam, Eliam vero velatum illa flamma minime videbat; ita Dantes alter Eliseus, nam fuit de Eliseis, ut alibi dictum est et dicetur, videbat hic flammas simpliciter volantes, sed non animas velatas intra flammas. Et hæc dicta sint de comparatione ista.

Io stava. Ista est tertia pars generalis in qua autor describit duos antiquos famosissimos spiritus, quorum alter fuit astutissimus. Et primo præostendit ([3]) suam attentionem, dicens: *Io stava surto,* idest, levatus, *a veder sotto 'l ponte,* scilicet, animas prætereuntes, *sì,* idest in tantum, *che serei caduto giù,* idest, in fundum vallis, *senza esser urto,* quasi dicat: quamvis non fuissem impulsus ab aliquo, faciliter decidissem. *Urtare* enim proprium est equorum, quando se invicem percutiunt obviantes, *s'io non avessi preso un ronchion,* idest unum saxum pontis. Et hic nota, quod per hoc autor notat magnam attentionem et abstractionem suam circa speculationem istorum duorum, quorum alter fuit maximus vulponus

---

([1]) S. unum peccatorem astutum, idest, quod involat. — E. unum peccatorem astutum, in quam involatur.

([2]) E. pueros illos, *al dipartire.* ([3]) S. e E. ostendit.

antiquus; sive stabat inde (1) attentus ad inspectionem ignium (2) in generali quia mirabatur quid sibi vellent isti ignes, et ignorabat quid lateret in eis. Et hoc declarat litera sequens quæ dicit: *el duca che mi vide tanto atteso,* idest, tam attentum, *disse: li spiriti son dentro da' fuochi,* quasi dicat: animæ rationales (3) hominum sunt inclusæ in ignibus, vel singuli ignes continent intra se singulas animas; unde dicit: *ciascun,* scilicet spiritus, *se fascia,* idest, tegitur et velatur, *di quel ch' elli eè inceso,* in eo igne quo incenditur et crematur. — *Maestro.* Hic autor non contentus generali manifestatione Virgilii, petit certiorari (4) in speciali de uno igne eminentiore cæteris, qui gemino cornu tendebat in altum; quem ignem antiquum autor explicat (5) per altam comparationem alterius ignis antiquioris summe memorabilis. Ad cuius cognitionem oportet breviter succingere (6) longum thema, quod diffusius et proprius narrabitur Purgatorii capitulo.... Est ergo sciendum quod, sicut scribit Statius in suo Thebaidos, et Seneca in suis tragœdiis, Eteocles et Polynices fuerunt fratres et filii Œdipi regis Thebarum qui genuerat eos ex Jocasta matre sua, quam per errorem duxerat in uxorem, et errore recognito excæcaverat se ipsum pro dolore et pudore, et vivebat sub terra in continuo planctu et mœrore nolens amplius videre cœlum. Isti ergo filii, patre cæcato (7), cæcati cupiditate regnandi, miserunt sortem super regnum, et convenerunt ut alter (8) eorum regeret per annum, altero exulante. Sors ergo primo venit super Polynicem, qui recedens a patria Thebarum accessit ad civitatem Argorum, et factus est gener regis Adrasti. Elapso anno

---

(1) E. ita.
(2) 116, igneam.
(3) 116 e E. rationabiles.
(4) E. certificari.
(5) E. exemplificat per alteram.
(6) E. subiungere.
(7) 116, obcæcato.
(8) 116, quod alter.

cum Eteocles denegaret ([1]) reddere regnum fratri suo Polynici, rex Adrastus socer, cum aliis septem regibus inclusive venerunt in obsidionem Thebarum, et ibi omnes variis casibus perempti sunt præter antiquum Adrastum, sicut Capaneus fulminatus, Amphiaraus absortus, Tydeus vulnere extinctus, Parthenopæus sagiptatus, Ipomedon suffocatus. Unde ultimo Polynices VI rex provocavit fratrem suum Eteoclem ad singulare certamen, frustra revocante Adrasto. Eteocles vero impulsus exprobrationibus Creontis, qui usurpavit dominium post mortem ipsius Eteoclis, exivit armatus extra civitatem contra fratrem et ambo sub oculis et lacrymis civium spectantium concurrerunt ([2]); nam senes dolebant se tam diu vixisse; matronæ vero plorantes prohibebant parvulos suos videre tam crudele duellum ([3]). Illi in primo concursu cum magno furore præcipitati sunt ab equis in terram, ubi uterque ardens odio, cupiebat sanguinem fratris, non curans effundere suum. Sed Polynices exul fortiori ira, quia fovebat justiorem causam, impressit ensem alte in pectus fratris exprobrans simul illi perfidiam proditionis. Eteocles autem sponte permisit se cadere, et in medio ultimæ mortis usus est fraude contra fratrem simulans se mortuum; et frater credens se vicisse levavit manus ad cœlum, et optabat eripere sibi arma. Eteocles autem qui reservabat vitam in iram, postquam sensit illum vivum inclinari super se, erexit gladium occulte, et lætus infixit in cor fratris. Tunc Polynices cœpit clamare: vivis ne adhuc, et adhuc vivit ira tua, perfide proditor? Veni mecum ad infernum, illic ([4]) etiam repetam pacta; nec plura dixit, et cecidit super fratrem, et ipse gravis oppressit illum totis armis. Deinde cum Creon crudelis tyrannus, occupato regno Thebarum, vetuisset corpora

---

([1]) E. negaret. ([2]) E. corruerunt. ([3]) E. bellum.
([4]) E. illuc etiam repetam peracta; nec.

interfectorum sepeliri, Argia filia regis Adrasti et uxor Polynicis, urgente amore viri, venit inter tot pericula ad campum hostilem adhuc sanguineum sola, nihil timens; et tandem sagaciter, invento corpore viri, fecit justam querelam cum amarissimo planctu. Et ecce ex alia parte veniebat (1) Antigone miseranda soror istorum fratrum, quæ furtive recedens de civitate veniebat cum igne ut cremaret corpora eorum. Ergo istæ duæ fœminæ quæ venerant ad idem officium (2) pietatis concorditer assumentes corpus Polynicis portaverunt ad Ismenum fluvium ibi propinquum discoloratum (3) sanguine hominum; quo loco viderunt modicum ignem, quod restabat a corpore Eteoclis quod jam cremaverat alius quidam. Et gavisæ in planctu traxerunt ligna adhuc accensa ad corpus Polynicis, et continuo cum ignis primo tetigit membra fratris tremuerunt (4) ligna, et novus frater expulsus fuit a fratre, et factæ sunt duæ (5) flammæ resplendentes, et uterque ignis minaciter (6) elongatus est alter ab altero. Tunc Antigone virgo territa clamavit: nos suscitavimus iras mortuas, quia iste est alter frater: vivunt odia, vivunt iniqua odia, nec bello extincta sunt. His præconsideratis, nunc est ad literam redeundum. Dicit ergo: *rispos' io, o maestro mio, io son più certo per udirti,* quasi dicat: non displicet mihi audisse (7) a te quod intra flammas latent spiritus, quia ex hoc sum factus certior, tamen bene imaginabar quod sic esset; ideo dicit: *ma già m'era aviso che così fosse,* et ideo præsupponens hoc pro vero volebam petere de uno igne habente duo capita in eodem corpore. Ideo dicit: *e già volea dirti chi è in quel foco che vien sì diviso di sopra,* scilicet in summitate, quia habet duas punctas; et declarat istum

(1) E. præveniebat.
(2) E. effectum.
(3) E. discolaturum sanguinem.
(4) 116 e E. cremaverunt.
(5) E. secundæ.
(6) E. vivaciter.
(7) S. audivisse.

ignem bifurcatum per comparationem, dicens: *che par sorgere dalla pira,* idest, de rogo funerali, sive strue lignorum, *dove,* idest, in qua pira, *Eteocle fu miso,* idest, impositus cremandus, *col fratello,* scilicet, Polynice. Et hic nota, quod (1) comparatio bene potest applicari proposito, quia sicut duo reges græci Eteocles et Polynices, quorum alter fuit fortis, alter fraudulentus, cremati sunt uno igne, qui divisus est in duos apices; ita isti duo reges græci, Diomedes et Ulyxes, quorum primus fuit fortissimus, secundus (2) vero astutissimus, hic cremantur eodem igne, qui similiter divisus est in duas flammas; sed primi fuerunt divisi et discordes animo; isti vero concordes et uniti (3) animo. — *Risposemi.* Hic autor ponit responsum (4) certum Virgilii ad suum speciale quæsitum, qui specificat quod duo alti spiritus simul puniuntur (5) in illo igne alto, unde dicit: *risposemi,* scilicet, ille Virgilius mihi Danti: *Ulisse e Diomede si martira,* idest, simul cruciantur, *là dentro,* idest, intra illum ignem sic divisum in duas partes. Unde nota quod autor eleganter fingit quod isti duo sociati simul fecerunt multa memoranda, quæ alter sine altero facere non potuisset; nam in rebus bellicis manus debet esse juncta (6) consilio, idest, fortitudo prudentiæ. De fortitudine Diomedis multa (7) notanda scribit Homerus in Iliade; de prudentia Ulyxis scribit idem Homerus mirabilia, imo incredibilia in Odyssea; ideo bene addit, quod sicut fuerunt socii unanimes ad magna facinora in vita, ita sunt socii ad luendum pœnas (8) post mortem. Unde dicit: *e così vanno insieme a la vendetta,* idest, ad pœnam, quæ est ultio malorum nunc de præsenti, *come a l' ira,* idest, sicut

(1) S. quantum comparatio.
(2) 116, alter vero.
(3) E. unito.
(4) 116, responsionem certam.
(5) E. ponuntur.
(6) E. conjuncta.
(7) S. multa memoranda scribit. — E. multa vera scribit.
(8) 116 e E. pœnam.

ibant olim irati contra Troiam ad faciendam vindictam de atroci (1) iniuria quam græci receperant (2) a Paride in raptu Helenæ. — *E dentro.* Hic Virgilius breviter transcurrit aliqua facinora quæ isti duo perpetraverunt, mediante magna astutia Ulyxis; et primo quomodo insidiose intraverunt Troiam tempore noctis cum fallaci equo. Unde Homerus XI (3) Odysseæ inducit Ulyxem narrantem Achilli quomodo Pyrrhus filius suus intravit Troiam intrepidus in equo simul secum. Dicit ergo: *e l' aguato del caval;* de isto equo mirabili dicetur plene infra capitulo XXX, ubi require, *che fee la porta,* idest, viam per quam iste equus fuit introductus in Troiam, qua capta vel incensa a græcis, Eneas inclytus princeps recessit, et tandem pervenit in Italiam, ex cuius sanguine per longam genealogiam descendit genus romanorum; ideo bene dicit: *onde el gentil seme de' romani uscì.* Genus enim (4) romanorum fuit vere nobile ratione virtutis, dignitatis et potentiæ, quando prudentia, exercitatione et fide totum humanum genus sibi potuit subiugare: *si geme,* idest, ploratur et punitur, *dentro da la lor fiamma,* idest, inter utramque flammam horum duorum in uno igne. Et hic nota quod Homerus fingit V Iliados quod ignis invictus ardebat in clypeo et galea Diomedis (5); per quod videtur innuere quod hoc præfigurabat (6) ardorem animi et lucem gloriæ futuræ Diomedis, sicut et Virgilius fingit quod ignis eluxit de capite Ascanii filii Eneæ, et sicut Livius scribit de Tullio Servio sexto rege romanorum, et de Lucio Martio juvene romano bellatore victoriosissimo in Hispania. Deinde autor tangit secundum actum (7) magnæ astutiæ Ulyxis, videlicet quomodo Ulyxes et Diomedes

(1) S. de atrocissima iniuria. — E. de iniuria.
(2) 116 e E. receperunt.
(3) E. sexto.
(4) E. vero.
(5) 116 e E. Diomedis bellicosi, per quod.
(6) 116, figurabat.
(7) E. actum astutiæ.

sagaciter invenerunt Achillem, sine quo Troia (1) capi non poterat, quem mater transfiguratum sub specie virginis commiserat curæ et custodiæ Lycomedis regis nutriendum inter filias eius, quarum primogenita oppressa ab Achille concepit (2) Pyrrhum ex eo. Dicit ergo: *l'arte,* scilicet, solertia ingeniosa, *perchè Deidamia,* uxor Achillis, *morta,* quasi dicat: adhuc post mortem, *ancor si duol d'Achille,* quasi dicat: doluit vivens, et etiam (3) dolet mortua, quod Achilles fuit subtractus ab ea, et, ipsa relicta prægnante, desolata (4), fuit tractus ad Troiam, ubi interfectus fuit a Paride, *piangevisi entro,* idest, punitur in dicta flamma. Hanc pulcram historiam si vis scire, quære Purgatori capitulo VIIII, ubi prolixe narrabitur. Et ultimo Virgilius tangit tertium genus astutiæ qua usus est Ulyxes simul cum Diomede, quia (5) scilicet rapuit Palladium, sine quo Troia dicebatur esse invincibilis. Ad quod sciendum quod Ilus (6) fuit quartus rex Troiæ post Dardanum, cuius tempore dicitur cecidisse de cœlo una imago super arcem Palladis, qua reperta, troiani miserunt ad Apollinem delphicum pro responso; et responsum est quod, quamdiu duraret illæsa ista imago, Troia semper esset inexpugnabilis: ideo cum summa diligentia diu custodita fuit apud sacerdotem Palladis. Ulyxes, hoc scito, simul cum Diomede furtive ingressus arcem tempore noctis rapuit Palladium, custodibus arcis truncatis. Aliqui tamen volunt quod corruperit pecunia sacerdotem custodem templi, et sic obtinuerit (7) Palladium. Dicit ergo: *e pene vi si porta,* scilicet intra eamdem flammam, *del Palladio,* idest, de simulacro Palladis fatali Troiæ. Fuit etiam (8) Palladius quidam autor romanus qui tractavit de agricultura: et

(1) 116, Troiam capere.
(2) E. concepit puerum ex eo.
(3) 116, et adhuc dolet.
(4) E. desolatus.
(5) S. Diomede, scilicet quod rapuit.
(6) E. Julus.
(7) E. obtinuerunt.
(8) 116, enim.

hic oritur dubitatio, quomodo Palladium ergo pervenit ad manus Eneæ si Ulyxes et Diomedes habuerunt ipsum? De hoc multi multa dicunt; sed, ut scribit Plinius, Eneas postquam pervenit (1) in Italiam ad civitatem Laurenti, ubi tunc regnabat rex Latinus, recepit Palladium a Diomede. Constat enim apud omnes autores quod Diomedes post excidium Troiæ venit in Italiam; unde Virgilius scribit, quod Turnus imploravit auxilium a Diomede contra Eneam, nec obtinuit. Nota etiam quod autor merito fingit Virgilium ista narrare, quia Virgilius ista describit, quem autor nititur imitari. Nota etiam quod excidium Thebarum (2) fuit parum ante excidium Troiæ (3). Nam Tydeus fortissimus pater fortissimi Diomedis fuit in bello thebano, et (4) Capaneus fuit in bello thebano, cuius filius Stelenus fuit in bello troiano cum Diomede, Ulyxe et aliis regibus græcorum, qui militaverunt sub Agamemnone imperatore exercitus. Unde Homerus libro IV Iliados introducit Agamemnonem, qui dicit contra Ulyxem: Et tu vulpine ficte dolis malis. — *Sei.* Nunc autor ostendit, quomodo ipse factus avidus loquendi cum istis magnis spiritibus rogaverit (5) Virgilium quod daret sibi spatium loquendi cum eis; unde adiurat eum importunitate precum dicens: *diss' io: o maestro,* scilicet, Virgili, *assai ten priego,* et quia parum videbatur dixisse dicendo satis, repetit: *e ripriego,* idest, et iterum precor, *che 'l priego vaglia mille,* scilicet preces, quasi dicat: et rogo quod unica precatio sit tam efficax et tam potens apud te, quod valeat tantum quantum si facerem mille preces, *che non mi facci niego,* idest, negationem, *del attendere,* idest, de expectare. Unde vide quod autor rogat Virgilium, ut dignetur expectare tantum quod loquatur cum istis, quia si Virgilius processisset in via sua, autor non

(1) 116, venit. (2) E. thebanorum. (3) S. troianum.
(4) E. et captus fuit. (5) 116, rogavit.

potuisset loqui cum illis spiritibus, quia cito transissent volando per aerem; ideo petit, quod expectet, *finchè la fiamma cornuta,* idest, quæ habet duo cornua acuta, *vegna qua,* scilicet versus nos, quia flamma veniebat versus medium pontis ubi erant. Et ut ostendat ardentem affectionem suam, dicit: *vedi che me piego ver lei,* idest, inclino me versus illam flammam, *del disio,* idest, ex vehementi desiderio, quasi dicat: magis vado versus flammam cum animo, quam flamma ignis ita velox veniat versus me. Nec mireris si autor ostendit tantam aviditatem audiendi istos, quia jam audisti quales homines fuerint; et hoc dico: *s' ei posson parlar dentro da quelle faville,* idest, intra illas duas flammas lucentes. Hoc pro tanto dicit, quia non bene apparebat quomodo vel unde isti inclusi intra flammam possent emittere vocem ad extra. Et subdit responsionem Virgilii qui approbat petitionem eius, vel offert se locuturum illis pro eo; unde dicit: *et elli a me,* idest, et ille Virgilius respondit mihi: *la tua parola èe degna di molta lode,* quasi dicat: tua petitio est valde laudabilis, quia pulcrum est tali viro scire et inquirere inclyta gesta tantorum heroum (1), *et io però l' accetto,* quia volo, quod habeas quod tantum optas; sed oportet uti cautela, quia facilius et (2) felicius obtinebis mediante mea lingua quod petis, quam si per te immediate peteres, ideo dicit: *ma fa che la tua lingua si sostegna,* quasi dicat: habe patientiam, tace et ausculta, *e lassa parlar a me ch' i' ò concetto ciò che tu vuoi,* et sic habebis quicquid vis petere et scire ab istis; et reddit rationem dicens: *perch' ei serebber schivi forse del tuo detto,* quasi dicat: quia forte indignarentur loqui tecum, *perchè fur greci.* Sed hic merito quæritur quare isti græci fuissent indignati loqui Danti, cum tamen Virgilius man-

---

(1) S. virorum. (2) E. et utilius obtinebis.

tuanus ita esset latinus et italicus, sicut Dantes florentinus? Dicendum breviter, quod licet Virgilius esset latinus, tamen optime novit linguam græcam, et summopere conatus est imitari vestigia græcorum, sicut clare ostendit Macrobius in libro Saturnalium, et quia Virgilius multa scripsit de gestis græcorum et potissime Ulyxis et Diomedis, ideo verisimiliter isti erant responsuri sibi sine indignatione. — *Poi.* Hic autor ponit orationem Virgilii ad dictos spiritus, et primo continuans dicta dicendis, dicit: *audivi il mio duca,* scilicet Virgilium, *parlar in questa forma,* scilicet quæ sequitur, *poi che la fiamma fu venuta quivi,* idest, ad eum locum, *dove parve a lui loco e tempo,* scilicet loquendi, scilicet quando vidit flammam appropinquatam satis. Et ecce formam loquendi, quia Virgilius requirit eos et adiurat per merita sua in illos (1), dicens: *o voi che siete dui dentro ad un foco,* quasi dicat: o (2) spiritus unanimes qui estis socii in eadem pœna, *non vi movete,* idest, state firmi, *s'io meritai,* si, pro quia, *di voi mentre ch' io vissi,* scilicet, in vita temporali, donec anima (3) fuit coniuncta corpori; et repetit: *s' io meritai di voi assai o poco,* et loquitur verecunde cum tamen multum meruerit: *quando scrissi gli alti versi,* idest, carmina heroica in alto stylo tragico in libro Eneidorum, *nel mondo,* scilicet, viventium, *ma l' un di voi,* scilicet, Ulyxes, *dica dove gissi a morir per lui,* idest, ad quem locum itum fuit ab ipso ad moriendum peregre. Et sic vide quod Virgilius simpliciter alloquitur (4) Ulyxem, quia Diomedes non peregrinatus fuit cum Ulyxe, imo venit in Italiam in regionem Apuliæ, licet Diomedes potuisset narrare peregrinationem Ulyxis. Et hic nota quod Virgilius loquitur tam fidenter istis quasi imperans eis, quia isti erant sibi obligati; et ex hoc familiarius lo-

---

(1) E. in istos.
(2) E. o pusillanimes qui.
(3) 116, anima mea fuit.
(4) E. loquitur Ulyxi.

quitur cum talibus. Virgilius enim secutus Homerum, multa scripsit de istis, et dedit eis apud latinos perpetuo famam et gloriam; et sic est verum quod autor devenerit in cognitionem istorum mediante Virgilio.

Lo maggior corno. Ista est quarta et ultima pars generalis (1), in qua autor plene describit qualiter Ulyxes ad petitionem Virgilii narrat pulcre peregrinationem et mortem suam. Et primo præparat flammam Ulyxis ad loquendum, dicens: *lo maggior corno,* idest, puncta, *de la fiamma antica,* scilicet Ulyxis, qui erat maior Diomede non corpore, sed mente, sed tempore, sed fama, sed prudentia et eloquentia, licet essent (2) semper simul ad omnia magna gerenda, *cominciò a crollarsi mormorando,* quia lingua latens, interius primo movebatur sed non videbatur, et faciebat unum confusum sonum a simili, *pur come quella,* scilicet flamma, *cui vento affatica:* sicut enim videmus de facto, flamma ignis quæ agitatur a vento facit unum confusum sonum, ita flamma ista, quæ nunc quatiebatur a spiritu vocis conceptæ interius: sicut a vento; ideo similitudo est pulcra et propria. Ideo dicit: *indi,* idest, deinde illa (3) flamma *menando la cima,* idest, punctam acutam conformem punctæ linguæ, *quà e là come fosse la lingua che parlasse, gittò voce di fuor,* secundum formam subscriptam. Et primo Ulyxes vult ostendere ardorem animi sui quem habuit de videndo mundum vel situs urbium et mores hominum; unde tangit causam suæ peregrinationis ostendens, quod ea quæ solent naturaliter retinere hominem vel reducere ad patriam, non potuerunt ipsum revocare domum. Ordina (4) sic literam: *e disse:* scilicet ille Ulyxes: *nè dolcezza di figlio,* scilicet Telemachi (5), nam amor filiorum

(1) E. generalis capituli in qua.
(2) E. esset semper similis ad.
(3) E. alia.
(4) E. Ordina nunc sic.
(5) E. Telemachi filii sui, quia amor.

est dulcissimus, *nè la piéta del vecchio padre,* qui vocatus est Laertes, *nè 'l debito amore,* idest amor honestus coniugalis, *lo qual dovea far lieta Penelope,* quia debebam (1) reverti ad eam, quia fuit pulcerrima, pudicissima et (2) mei amantissima, sicut scribit Homerus, Virgilius et multi, quamvis fuerit (3) multum infestata a multis et magnis procis; omnia ista, *non vincer potero dentro a me l' ardore,* idest, ardentem appetitum animi, *ch' io ebbi a divenire esperto del mondo,* ut statim dicet, *e de' vitii umani e del valore,* idest, vitiorum et virtutum hominum. Et hic nota quod Ulyxes vult dicere uno verbo: fui tam alti cordis, quod vici omnia (4) illa quæ solent vincere et retinere domi hominem. Et sumit argumentum ab ætate in patre et filio, et a sexu in uxore; nam pater erat senex et filius puer, et uxor fœmina, ideo non erant potentes ad obviandum volentibus inferre violentiam. Et primo tetigit amorem filialem fortissimum omnium, quia per filium homo conservatur in esse; secundo, amorem paternum, quia a patre homo recipit (5) esse; tertio, amorem uxorium (6), quia uxor est socia ad generationem filiorum et ad comitationem laborum. Et dicit (7): hoc dico fuit, *quando mi diparti' da Circe.* Ad huius (8) literæ intelligentiam debes scire, quod, sicut scribit Homerus in Odyssea multum diffuse, Ulyxes peregrinans per mundum pervenit in Italiam ad quamdam insulam, in qua erat famosissima et formosissima (9) maga incantatrix, quæ suis veneficiis et poculis magice transformabat homines in diversa monstra færarum; unde et socii Ulyxis prævenientes dominum suum fuerunt mu-

---

(1) E. debebat.
(2) E. et mater amantissima.
(3) E. fuerit infestata a multis et a magnis.
(4) E. omnia ista vitia quæ.
(5) S. recepit.
(6) 116, uxorum. — E. uxoris.
(7) E. Et dicit: hic Diomedes fuit. — S. Et dicit: hoc quod dico fuit.
(8) E. cuius.
(9) E. formosissima incantatrix, quæ suis veneficiis et poculis magicis.

tati ab ea in diversas formas animalium. Sed prudens Ulyxes postea superveniens non est mutatus in aliquo, imo impetravit ab ea reformationem sociorum; et stetit cum (1) Circe ad tempus, et genuit ex ea filium nomine Telegonum, qui postea interfecit ipsum per errorem, ut dicetur in fine capituli. De ista Circe et eius maleficiis dicetur Purgatorii capitulo XIV. Et ideo dicit Ulyxes, *quando mi diparti' da Circe;* et adverte quod Ulyxes non cœpit narrare a principio suæ peregrinationis; prius enim steterat cum alia magna maga in Græcia pluribus annis, quæ vocata est Calypso. Et dicit: *che sottrasse me,* scilicet a peregrinatione mea, *più d' un anno,* et tangit locum habitationis (2) Circes per alium locum vicinum magis notum cum dicit: *là presso a Gaietta.* Unde nota, quod Circæus est mons Italiæ propinquus Caiettæ, in cuius summitate dicitur olim fuisse nobile castellum (3), et erat illa terra insula non divisa mari, sed paludibus, et vocata est primo Eta; tandem Linus defluens ex montibus albanis, repletis paludibus, fecit montem continuum terræ. Nota etiam quod Caietta est pulcra civitas in Apulia sic denominata a Caietta nutrice Eneæ ibi mortua et sepulta, sicut scribit Virgilius, Plinius et alii multi. Et ideo dicit Ulyxes: *prima che Enea la nomasse sì,* quia ista terra nondum erat ibi ante eventum (4) Eneæ, sed ædificata ab eo sic denominata fuit a muliere prædicta. Eneas enim erravit, secundum fictionem Virgilii, septem annis. Ulyxes vero, secundum Homerum, decem annis. — *Ma.* Hic Virgilius specificat peregrinationem suam, et dicit: vere nulla vincula potuerunt me coercere, *ma misi me per l' alto mare aperto,* ut essem expeditior, *sol con un legno,* idest, solum cum

(1) E. cum ipsa Circe venefica ad tempus.
(2) 116, peregrinationis. — E. habitationis Circis.
(3) E. castrum. (4) E. adventum.

una navi, non cum magna classe, *e con quella compagna picciola,* sed electa et fida, *da la qual non fui deserto*, idest, numquam fui derelictus usque ad mortem; et manifestat iter suum per litora maris. Ad quod est notandum, quod tota aqua maris Mediterranei quod (1) currit per terram intrat ipsam terram inter Hispaniam et Africam, et multa spatia terrarum percurrit faciens diversa brachia, ut plenius dicetur Paradisi capitulo VIIII. Dicit ergo: *l'un lito e l'altro vidi fin la Spagna,* ex (2) qua parte est Italia, Gallia et in extremo Hispania, *fin nel Marocco,* quia ex alia parte opposita est Africa, in cuius fine est Mauritania sive Maroccus, *e l'isola di Sardi,* quasi dicat: vidi Sardiniam quæ est (3) inter utrumque litus, et (4) Siciliam quæ est divisa ab Italia angusto mari. Ibi enim fuit Ulyxes in magno periculo in pharo messanensi, et perdidit navim suam, ut scribit Homerus in Odyssea, et alias multas insulas vidit, unde dicit: *e l'altre,* idest, et vidi alias insulas, *che quel mare bagna intorno.* — *Io.* Hic Ulyxes accedit ad narrandum mortem suam, et ostendit quomodo pervenerant ad finem occidentis. Unde dicit: *io e i compagni eravam vecchi e tardi,* steterant enim per viginti annos, decem in bello troiano et decem in peregrinatione, *quando venimmo a quella foce stretta,* idest (5), in confino Hispaniæ et Africæ, ubi est angustum ostium maris, per quod intrat tota aqua, ut dictum est: ibi enim est mons Abila in Mauritania, celsitudine levatus in sydera, oppositus monti Calpe, qui est in Hispania, quos ambos quidam dixerunt (6) esse columnas Herculis, sicut Pomponius Mella. Ideo dicit: *dove Ercule signò li soi riguardi,* idest, posuit suas co-

(1) 116, quæ currit.
(2) 116, in qua parte est Italia, Galitia, et in extremo Hispania.
(3) 116 e E. est insula inter.
(4) 116, et etiam Ciciliam.
(5) E. idest viam, confinibus Hispaniæ.
(6) E. dixerant.

lumnas in signum, *acciò che l' uom non si metta più oltre,* idest, non præsumat ulterius navigare; et quia Ulyxes voluit esse animosior Hercule transiens terminos eius, bene pœnituit eum. Et nota quod Hercules etiam dicitur posuisse columnas in ultimis litoribus orientis, quæ propter distantiam loci ignorantur, ubi istæ propter vicinitatem loci sunt nobis notissimæ. De istis columnis dicetur alibi Paradisi capitulo XXVII. Et subdit: *da la man destra mi lasciai Sibilia,* scilicet, ex nostra parte Europæ in Hispania. Sibilia enim est maxima civitas in Hispania, de qua alibi dictum est et dicetur, quæ distat a mari forte per quinquaginta milliaria, *da l' altra,* scilicet, a (1) sinistra ex parte Africæ, *già m' avea lasciato Setta.* Est enim Setta civitas Barbariæ in alio litore (2) opposito; sed nota hic quod homo veniens ab Oceano occidentali in (3) nostrum mare Mediterraneum habet Sibiliam a sinistris et Settam a dextris; sed Ulyxes ibat ab isto mari in Oceanum, ideo habebat e converso. — *O frati.* Hic Ulyxes interserit (4) narrationem sive persuasionem quam fecit sociis intraturus mare Oceanum ex mari Leonis. Et primo captat benevolentiam vocans eos humaniter (5) fratres, unde dicit: *o frati,* et a fortitudine cum dicit: *che siete giunti a l' occidente,* quasi dicat: qui patienter et perseveranter venistis ad finem occidentis, *per cento milia perigli,* idest, per infinita pericula. Deinde tangit suam petitionem, quam fecit sociis; et considera bene literam quæ est valde (6) intricata, et a multis male ordinata. Construe ergo sic: *non vogliate negar la esperienza a questa tanto picciola vigilia,* idest, isti modicæ vitæ brevi, *ch' èe del rimanente,* idest, quod restat de residuo, *de' vostri sensi,* idest, vestræ vitæ,

(1) S. e E. ex sinistra parte.
(2) E. litore ei opposito.
(3) S. in nostro mari Mediterraneo.
(4) E. inserit.
(5) E. humiliter.
(6) E. valde bene intricata.

quasi dicat: si hucusque expendistis per tot annos vitam in bellis et laboribus maximis pro honore, laude et gloria, non velitis recusare [1] parvulum laborem, per quem consequimini præmium vestræ quietis cito. Ita dicebat Eneas sociis suis cum esset in magna tempestate: *O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.* Et sic vide quod captatio benevolentiæ non solum fit per exordium, sed etiam per cæteras partes orationis. Est enim velut sanguis diffusus per omnia membra vivificans totum corpus orationis. Et dicit: *diretro al sol, del mondo senza gente,* idest, ad aliud hemisperium inferius, ad quod sol accedit quando recedit a nobis; vel secundum alium textum, *diretro al suol,* idest, ad solum, ubi de rei veritate nulla [2] gens habitat, ut dicetur primo capitulo Purgatorii. Deinde facit confirmationem, dicens: *considerate la nostra semenza,* idest, nobilitatem excelsæ naturæ humanæ, quia: *non foste fatti come bruti a viver,* idest, non solum ut viveretis simpliciter, sicut bruta, sed ut faceretis aliquid [3] præclarum in vita cum ratione vobis data, per quod viveritis etiam post mortem gloriose. Unde dicit: *ma per seguir virtute e conoscenza,* quæ facit viam ad felicitatem. Et concludit effectum mirabile istius pulcerrimæ persuasionis, dicens: *fec' io,* scilicet ego Ulyxes, *li miei compagni sì acuti al camino,* idest, tam accensos et promptos ad arduum iter, quod numquam alius fecerat, *con questa orazion picciola,* quæ brevis [4] verbis est magna sententia, *ch' a pena li avrei ritenuti poscia,* idest, vix retraxissem eos ab isto proposito; sed certe credo quod optime fecisset oppositum. Nam debes notare quod Ulyxes fuit eloquentissimus, sicut sæpissime patet apud Homerum per totam Odysseam, et apud Ovidium XIII majoris, ubi diserte descri-

---

(1) E. excusari per illum laborem.
(2) E. magna gens.
(3) E. aliquod præclarum opus ratione.
(4) E. brevibus verbis.

bit [1] contentionem armorum Achillis inter Aiacem et Ulyxem, ubi Ulyxes astutissimus cum eloquentia sua vicit causam fortissimi Aiacis, ita quod arma fuerunt adjudicata sibi. Ergo [2] bene autor hic fingit efficaciam eloquentiæ Ulyxis, qui breviori sermone persuasit sociis quibus dissuadebat metus futurorum periculorum, quæ considerabant cum tolerantia præteritorum malorum. — *E volta.* Hic Virgilius ostendit quomodo sociis sic incitatis ipse intraverit Oceanum, et cœperit navigare versus alium polum. Unde dicit: *e facemmo ali de' remi al folle volo,* idest, temerariæ navigationi, quia [3] male cessit nobis; et est pulcerrima metaphora, quia navis est avis lignea, quæ volat cum remis et velis tamquam avis; et vult dicere breviter: et dedimus de remis in aquam, *volta nostra poppa,* quia scilicet vertimus proram versus meridiem, et puppim versus septemtrionem, *nel matino,* idest in hora matutinali, scilicet de mane tempestive. Unde dicit: *sempre acquistando da lato mancino,* idest, semper eundo a sinistris versus Austrum. Et subdit quod jam tantum iverant quod videbant alium polum. Ad cuius rei intelligentiam [4] est dignum considerare [5] quod duo sunt poli sive puncti, super quibus volvitur continuo cœlum; quorum unus appellatur [6] Arcticus, idest, septemtrionalis in quo sunt stellæ perpetuæ apparitionis, nam est elevatus supra nos: alius vocatur Antarcticus, idest, contrarius Arctico, scilicet meridionalis, in quo sunt stellæ perpetuæ occultationis, quia est tantum bassus, quantum noster est altus; unde non habemus speram rectam sed obliquam. Modo dicit

---

(1) 116, scribit.

(2) E. Ergo autor hic fingit efficacem eloquentiam Ulyxis, qui brevi sermone persuasit sociis suis, quibus dissuadebat metus futurorum malorum periculorumque, quæ.

(3) E. quia avis alas cessit nobis.

(4) S. evidentiam.

(5) E. conscire.

(6) E. vocatur.

Ulyxes, et (1) tantum jam navigaverant et declinaverant ad meridiem, quod apparebant eis stellæ alterius poli. Dicit ergo: *la notte,* idest, pars opposita nobis, *vedea già tutte le stelle,* non (2) quia nox videat, sed ipsi videbant in nocte illa, *de l' altro polo,* scilicet, meridionalis, et videbant *el nostro,* scilicet, septemtrionalem, ad quem navigant omnes de nostra terra habitabili, *tanto basso che non sorgea fuor del marin solo,* idest, extra superficiem maris, sicut æquor aliquando dicitur planities terræ; et sic vide quod ex nulla parte videtur uterque polus, quia si unus apparet in continenti, alter absconditur, licet aliqui dicant se vidisse utrumque polum, quod non meretur fidem. — *Cinque.* Hic Ulyxes narrat quomodo primo viderint terram post longam navigationem, et vult breviter dicere, quod cum navigassent quinque mensibus viderunt a longe unum montem altum, obscurum (3). Et ad intelligentiam huius literæ debes notare quod luna quæ recipit lumen a sole, semper est media illuminata, quia luna est corpus solidum, ita quod lux non penetrat; modo cum luna est coniuncta soli, sol illuminat ipsam a parte superiori versus cœlum, vel obscurum est versus terram; quando vero luna recedit a coniunctione, sol incipit illuminare eam lateraliter, et illud latus videmus crescere de die in diem, donec est opposita soli, et tunc videmus totum rotundum, quod respicit versus terram; et sic vide quomodo in quinque mensibus quinquies ostenditur et quinquies occultatur. Dicit ergo: *il lume era racceso cinque volte,* scilicet a sole, *di sotto da la luna, e casso tante,* idest et lumen erat privatum totidem vicibus, *poi ch' entrati eravam nel-l' alto passo,* scilicet in magnum et profundum Oceanum, *quando n' apparve una montagna bruna per la distanza,*

(1) E. e 116, quod tantum. (2) E. non quod nox videret, sed ipsi.
(3) S. et obscurum.

quasi dicat: quæ propter longinquitatem videbatur obscura, cum tamen non esset in se. Et hic nota quod hic erat mons Purgatorii et Paradisi terrestris, qui dicitur esse sub æquinoctiali, qui pertingit usque ad globum lunarem; unde dicit: *e parvemi alta tanto, quanto veduta non avea alcuna,* quia nulla visio poterat attingere ad summum eius. — *Noi.* Hic Ulyxes concludit modum suæ mortis, dicens: *noi ci allegrammo,* sicut est de more, quod terra primo visa præstat lætitiam marinariis, qui diu navigaverunt; sed ista lætitia conversa est cito in tristitiam, quia putavimus ire ad portum (1) salutis, et ivimus ad interitum mortis; unde dicit: *e tosto tornò in pianto;* et ecce quare, *chè,* idest, quia, *un turbo,* idest, circumvolutio ventorum, *nacque da la nuova terra,* scilicet, a montanea prædicta, quæ de novo apparuerat nobis, *e percosse il primo canto del legno,* scilicet proram navis, *e il fee girar tre volte con tutte l' acque,* quia turbo volvit aquam in gyrum, et per consequens navim, et fecit: *levar la poppa in suso a la quarta,* scilicet vice, *e la prora ire in giù,* idest, mergi sub aquam (2), *com' altrui piacque,* scilicet, deo, fato vel fortunæ, *infin che 'l mar fu richiuso sopra noi;* ita quod omnes absorti fuimus ab aqua. Est autem hic ultimo toto animo advertendum, quod illud quod autor hic scribit (3) de morte Ulyxis non habet verum neque secundum historicam veritatem, neque secundum poeticam fictionem Homeri vel alterius poetæ. Dixerunt ergo aliqui et famosi quod Dantes non vidit Homerum et quod expresse erravit; nam, ut tradit Dites græcus et Dares phrygius in troiana historia, Ulyxes fuit interfectus a Telegono filio suo naturali, quem, ut dictum est genuerat ex Circe. Iste siquidem Telegonus quærens patrem Ulyxem, laboriosa inquisi-

---

(1) E. portum, et ivimus. (2) E. sub aqua. (3) E. describit.

tione pervenit ad unum castellum in quo Ulyxes stabat cum continua et magna custodia, quia præsciverat quod erat interficiendus a filio. Cum ergo Telegonus ad portam [1] affectuose quæreret de Ulyxe, unus ex custodibus rigide [2] respondens percussus fuit ab eo, et continuo orto clamore, Ulyxes excitatus subito cucurrit [3] quo fata trahebant illum, et irruit cum furore in istum quem audiverat tam temerarium. Telegonus vero, heu nimium providus, prævenit illum, et lethaliter vulneravit; ex quo vulnere postea mortuus est Ulyxes. Verumtamen quicquid dicatur, nulla persuasione possum adduci ad credendum, quod autor ignoraverit illud quod sciunt etiam pueri [4] et ignari; ideo dico, quod hoc potius autor de industria finxit, et licuit sibi fingere de novo, sicut aliis poetis propter aliquod [5] propositum ostendendum. Videtur enim ex fictione ista velle concludere quod vir magnanimus, animosus, qualis fuit Ulyxes, non parcit vitæ, periculo vel labori, ut possit habere experientiam rerum, et potius eligit vivere gloriose per paucum tempus quam diu ignominiose. Et ista conclusio valde bene potest elici ex verbis Ulyxis, ubi dixit supra, quod postposuit omnia cara sicut filium quem tunc habebat unicum, uxorem, patriam, parentes, sicut fecit Marcus Regulus clarissimus [6] dux romanus.

---

(1) E. ad portam castri affectuose.
(2) S. rigide respondit, et percussus fuit.
(3) 116, occurrit. (4) E. pueri; et ideo. (5) E. alium propositum.
(6) S. maximus dux romanus. — E. maximus dux romanorum.

CANTUS VIGESIMUS SEPTIMUS, *in quo tractat de octava bulgia et de prædictis spiritibus in flammis ignis, qui fuerunt mali consultores sub titulo comitis Guidonis de Montefeltro, qui multa dixit eis de suis negotiis, ac de papa Bonifacio.*

Già era dritta in su la fiamma e cheta. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de pœna astutorum, qui usi sunt astutia in factis propriis; nunc consequenter in isto capitulo XXVII agit et tractat de pœna astutorum, qui usi sunt astutia et pro se et pro aliis (1), illis fraudulenter consulendo, qui puniuntur (2) simul in eadem bulgia octava, et eadem pœna flammarum. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in prima quarum autor introducit alium spiritum modernum famosissimum, qui petit de statu provinciæ Romandiolæ. In secunda autor respondet ad (3) quæsitum describens statum illius provinciæ suo tempore, ibi: *Io era in giuso.* In tertia dictus spiritus recenset formam suæ vitæ, modum suæ conversionis, et causam suæ damnationis, ibi: *Poscia che 'l foco.* Ad primum veniens dico quod autor introducit alium spiritum modernum astutissimum, et primo continuat se ad præcedentia, dicens: *la fiamma,* scilicet, Ulyxis, *già era dritta in su;* et hic nota quod autor loquitur naturaliter et proprie, quia flamma de (4) se semper naturaliter tendit sursum, hic autem movebatur horsum et illorsum secundum motum linguæ interioris; sed facto fine sermoni continuo flamma redi-

(1) 116, aliis, fraudulenter consulendo.
(2) E. purgantur.
(3) E. ad quæsita.
(4) E. per se semper.

vit ad suum motum connaturalem, ideo dicit: *e cheta per non dir più,* idest, ut non loqueretur amplius, quia Ulyxes fecerat finem sermoni in sua infelici morte; ideo bene dicit: *e già sen gía,* idest, recedebat, *da noi con la licenzia del dolce poeta,* scilicet data sibi a Virgilio per verba dulciter allicientia, quæ scribuntur paulo infra, ubi dicit: *issa ten va più non t'adizzo.* Et nota quod autor vult ex hoc innuere, quod secundum judicium suæ rationis jam satis dixerat de Ulyxe * antiquo quantum materia patitur huius tractatus; ideo restabat dicere de alio spiritu novo qui poterat collocari post Ulyxem * (1); ideo introducit statim illum spiritum dicens: *quando un'altra,* scilicet flamma, in qua erat comes Guido de Montefeltro, *che venia dietro a lei,* scilicet, quantum ad speculationem meam, quasi dicat tacite, post Ulyxem non occurrebat menti meæ alia (2) anima sagacior et astutior, de qua magis placeret mihi facere mentionem vel memoriam quam de anima ista, de qua statim dicturus sum; ideo dicit: *ne fece volger gli occhi,* scilicet, intellectuales, *a la sua cima,* et ecce causam, *per un confuso suon che fuor n'uscia.* Hoc ideo fingit, quia spiritus primo modicum laborabat antequam posset emittere vocem inclusam intra flammam; sicut simili modo dictum est supra, quia vox Ulyxis murmurabat primo confuse; quod statim apertius declaratur in litera sequenti. — *Come.* Nunc autor describit huius soni confusionem per unam comparationem summe notabilem (3). Ad cuius intelligentiam oportet primo scire historiam, quæ tangitur per Tullium libro Tusculanarum, et per (4) Valerium libro de Memorabilibus. Fuit ergo olim in Sicilia quidam tyrannus sævissimus nomine Phalaris, qui dominabatur in

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.
(2) S. aliqua anima.
(3) E. nobilem.
(4) E. et per Aristotelem libro de Mineralibus. Fuit ergo.

civitate agrigentina, qui inhumane excogitabat nova genera pœnarum, quibus homines crudeliter cruciaret. Quidam ergo faber artifex ingeniosus nomine Perillus, putans promereri gratiam et favorem tyranni, conflavit unum bovem de ære, in cuius latere fecit portulam, et eum dono dedit Phalari, dicens: ecce donum dignum te: adinveni enim novum genus pœnæ; cum enim habueris (1) aliquem reum maiestatis damnandum, facies (2) immitti in bovem, quo incluso, facies (3) subici ignem sub ventrem bovis; sic cum inclusus, dolore tactus, clamabit, non videbitur vox humana, sed feralis; et sic minus moveberis (4) ad misericordiam. Respondens autem Phalaris, dixit: vere istud est egregium et acceptabile munus, sed tu primus inventor operis experieris primo; et continuo fecit illum mitti (5) in bovem et crudeliter necari. Sic ergo Phalaris fefellit spem vanam Perilli, cui reddidit mercedem condignam. Nunc ordina sic literam: *le parole grame,* idest, tristia verba illius spiritus qui ardebat in igne, *se convertian nel foco,* idest, intra flammam prædictam, *in suo linguaggio,* quia scilicet loquebatur italice, sed nondum intelligebatur, *per non aver via nè forame dal principio,* quia non habebat aperturam vel scissuram in puncta, quia isti astuti loquuntur cum magna arte et ingeniose, *così come il bo' cicilian,* quia factus (6) in Sicilia, et a magistro siculo, et in gratiam tyranni siculi, *che mughiò prima,* quia mugire est proprium bovum, *col pianto di colui,* scilicet Perilli prædicti, *che l' avea temperato con sua lima,* idest opera artificiosa. Et facit autor unam parenthesim, dicens: *e ciò fu dritto,* imo dignum, et justum. Tyrannus enim iniustissimus istum

(1) E. habetis. (2) E. facietis mitti.
(3) E. facietis subici ignem sub ventre.
(4) E. movebimini ad misericordiam. Dominus vero Phalaris dixit.
(5) 116, immitti in bovem et. — E. mitti in bovem illum, et.
(6) S. factus est.

justissime punivit, et ita ipse justissime mactatus fuit lapidibus in foro, dum suam crudelitatem publice exerceret contra justissimum philosophum, sicut jam supra scriptum est capitulo IV; *mughiava con la voce dell' afflitto,* scilicet hominis, qui interius cruciabatur, scilicet Perilli, perimens illum, et sic æquissimum est, *necis artifices arte perire sua;* et ecce quomodo, *sì chel parea pur trafitto dal dolore,* licet non appareret causa doloris; ideo dicit: *con tutto chel fosse di rame,* idest, de materia metalli inanimata. Et hoc nota quantum comparatio ista pulcerrima propriissime correspondeat proposito; nam sicut inclusus in bove siculo cruciabatur per ignem occulte, ita quod non apparebat; ita iste spiritus inclusus in flamma italica: et sicut vox illius non erat intelligibilis; ita (1) vox istius non erat intellecta: et sicut vox videbatur exire de bove æreo ardente, quod erat mirabile (2); ita ex flamma ignis ardentis videbatur nunc exire vox cum dolore, quod erat mirabile: et sicut ille artifex vir magni ingenii fuit usus arte sua in (3) malum; ita et iste. Nam sicut Perillus astutissimus docuit Phalarim astutissimum (4) punire inimicos suos per novum modum; ita iste comes astutissimus docuit Bonifacium astutissimum, qui fuit magnus tyrannus inter sacerdotes, exterminare inimicos suos per novum consilium. Nota etiam quod Sicilia fuit quasi semper officina tyrannorum; ibi enim fuerunt olim Agatocles et Hieronymus tyranni syracusani, et duo Dionysii, pater et filius syracusanus, et iste Phalaris agrigentinus. Sed in eadem civitate duo viri maxime contrarii floruisse leguntur, scilicet Galias (5) agrigentinus, pater omnis humanitatis et liberalitatis, et Phalaris autor omnis inhumanitatis et crudelitatis. —

(1) E. ita nec istius erat intellecta. (2) E. materiale. (3) E. in malis.
(4) E. instructissimum punire inimicos et amicos suos.
(5) 116, Gillias. — E. Giliax.

Ma. Hic autor describit formam sermonis illius spiritus jam præparati ad loquendum, dicens: *ma udimmo dire, poscia ch' ebber colto lor viaggio,* idest, postquam illa verba ceperunt iter rectum (1), *su per la punta,* scilicet, flammæ illius acutæ, *dandoli quel guizzo,* idest, motum velocem, *che la lingua avea dato in lor passaggio,* idest, in transitu ipsorum verborum; unde adverte quod secundum motum linguæ interioris movebatur puncta flammæ exterioris, ita quod motus flammæ apparentis proportionabiliter conformabatur motui linguæ latentis. Et ecce formam orationis, quia comes alloquitur Virgilium, quem audiverat modo loquentem, dicens: *O tu,* scilicet, Virgili, *a cui io drizzo la voce,* idest, sermonem, *e che parlavi mo lombardo,* scilicet, cum Ulyxe, *dicendo:* illi Ulyxi, quando licentiasti eum, *issa ten va,* idest, modo recede, *più non t' adizzo,* idest, amplius non allicio te vel incito ad dicendum; quod non est aliud dicere nisi, o Virgili mantuane, ita quod per idioma dat intelligi hominem, sicut a simili si dicerem uni bononiensi: o tu qui dicis *sipa,* darem intelligi per vulgare hominem esse bononiensem, et sic tacite captat benevolentiam quasi dicens: o Virgili, gloria lombardorum et latini eloquii, non dedigneris loqui cum uno latino, ex quo satis videris locutus cum uno græco. Et (2) iterum exordium facit, dicens: *non t' incresca ristarti a parlar meco,* et dicit: *perch' io sia giunto alquanto tardo.* Hoc potest intelligi simpliciter quod ipse non venisset statim post recessum Ulyxis, sed aliquantulum tardasset. Potest etiam intelligi subtilius; credo enim forte quod (3) comes velit dicere caute: quamvis non floruerim (4) illo tempore felici, quo tu Virgilius, et alii magni poetæ qui dederunt per-

(1) E. certum.
(2) E. Et interim exordium fecit.
(3) 116 e E. quod iste comes.
(4) S. fuerim.

petuam famam viris illustribus, tamen [1] bene merui aliqualem famam, vel meæ res gestæ bene possent digne describi; et sic captat benevolentiam a persona sua, cum ostendit se dignum descriptione poetica; unde non dubito quod fama Ulyxis est maior, quia magni poetæ scripserunt de eo, sicut Homerus græce et Virgilius latine. Ideo narrat Tullius in oratione quam fecit pro Archia poeta, quod dum olim Alexander magnus pervenisset ad sepulcrum Achillis, clamavit: o felicem adolescentem, qui talem præconem tuarum laudum invenisti, scilicet Homerum; quasi voluerit dicere: utinam alter Homerus viveret tempore meo qui describeret gesta mea, et daret mihi semper famam, sicut fecit Achilli. Et ita ad propositum nunc vult dicere iste comes; sed certe bene reperit bonam [2] tubam, et digniorem se, scilicet pennam Dantis. Et hic adverte, lector, quod quasi [3] autor necessario fecit istam fictionem, quia tota die invenio homines dicentes: ad quid Dantes fecit mentionem de [4] tali viro vel facto moderno? ipse debuisset potius dixisse de illis magnificis antiquis; vel nesciunt quid dicant in multis, quia autores sæpe personam vel rem vilissimam in suis stylis magnificant et extollunt. Certe non dubito, quod rex Latinus, Turnus vel [5] Megentius, de quibus Virgilius facit tot præconia, ut de cæteris minoribus taceam, non valuerunt tantum in rebus mundi, quantum iste comes Guido, Malatesta, Maghinardus, et alii multi in Romandiola, de quibus statim dicetur in isto capitulo. Et probat, quod Virgilium non debet tædere remanere ad [6] loquendum secum, ostendens suam ardentem affectionem, quam habet ad loquendum cum

---

(1) E. tamen meremini aliqualem famam, et meæ.
(2) S. bonam famam, tubam, et meliorem se.
(3) E. quasi veritus fecit.
(4) E. de tam vili viro et de illis magnis antiquis?
(5) E. et.
(6) E. ad locum istum secum.

illo, dicens: *Vedi che non rincresce a me et ardo.* Et hic nota, quod istud non habet locum loquendo de inferno essentiali, quia nunquam potest ibi esse alleviatio [1] pœnæ, sed debet intelligi moraliter; aliquando enim contingit, quod quis non videtur quasi sentire pœnam suam, quando loquitur cum viro eloquentissimo, cuius eloquii suavitas facit ipsum oblivisci doloris, sicut vidi de facto, quod aliquando [2] aliquis infirmans facit sibi portari Dantem, cum ardet [3] calore febrili, ad aliqualem delectationem. — *Se tu.* Hic comes prædictus facit suam petitionem patenter petens de statu Romandiolæ, unde dicit: *Dimmi, se i romagnoli han pace o guerra;* et adverte quod statim oritur dubium circa istam petitionem, cum iste comes fuerit dominus Urbini et prædecessores et successores sui usque ad tempora moderna, quare petit de statu Romandiolæ, cum haberet dominium in Marchia anconitana? Dicendum breviter, quod dictus comes, et totum genus eius [4], fuit de Romandiola, scilicet de Montefeltro, ut ipse statim dicet. Præterea ipse fecit magnalia sua in Romandiola, de quorum præcipuis dicetur hic. Et dicit: *se tu sie' pur mo caduto in questo mondo cieco,* idest in istum infernum, et specialiter in istam bulgiam octavam quæ est maxime cæca; quia isti licet sint in flammis lucentibus, tamen nihil vident; et ita de rei veritate, moraliter loquendo, in mundo isto isti qui reputantur ita subtiles et oculati, in fine reperiuntur rudiores et cæciores aliis; *di quella dolce terra latina,* idest de Romandiola, quæ inter alias provincias Italiæ est maxime amœna et omnium bonorum fertilis, *onde reco,* idest de qua terra reporto, *tutta mia colpa,* quia ibi exercui magnas calliditates, qui-

---

(1) E. alienatio. (2) E. aliquando infirmans fecit.
(3) E. arderet calore febris ad aliqualem recreationem. — *Se tu.*
(4) E. genus suum.

petuam famam viris illustribus, tamen (1) bene merui aliqualem famam, vel meæ res gestæ bene possent digne describi; et sic captat benevolentiam a persona sua, cum ostendit se dignum descriptione poetica; unde non dubito quod fama Ulyxis est maior, quia magni poetæ scripserunt de eo, sicut Homerus græce et Virgilius latine. Ideo narrat Tullius in oratione quam fecit pro Archia poeta, quod dum olim Alexander magnus pervenisset ad sepulcrum Achillis, clamavit: o felicem adolescentem, qui talem præconem tuarum laudum invenisti, scilicet Homerum; quasi voluerit dicere: utinam alter Homerus viveret tempore meo qui describeret gesta mea, et daret mihi semper famam, sicut fecit Achilli. Et ita ad propositum nunc vult dicere iste comes; sed certe bene reperit bonam (2) tubam, et digniorem se, scilicet pennam Dantis. Et hic adverte, lector, quod quasi (3) autor necessario fecit istam fictionem, quia tota die invenio homines dicentes: ad quid Dantes fecit mentionem de (4) tali viro vel facto moderno? ipse debuisset potius dixisse de illis magnificis antiquis; vel nesciunt quid dicant in multis, quia autores sæpe personam vel rem vilissimam in suis stylis magnificant et extollunt. Certe non dubito, quod rex Latinus, Turnus vel (5) Megentius, de quibus Virgilius facit tot præconia, ut de cæteris minoribus taceam, non valuerunt tantum in rebus mundi, quantum iste comes Guido, Malatesta, Maghinardus, et alii multi in Romandiola, de quibus statim dicetur in isto capitulo. Et probat, quod Virgilium non debet tædere remanere ad (6) loquendum secum, ostendens suam ardentem affectionem, quam habet ad loquendum cum

(1) E. tamen meremini aliqualem famam, et meæ.
(2) S. bonam famam, tubam, et meliorem se.
(3) E. quasi veritus fecit.
(4) E. de tam vili viro et de illis magnis antiqui[s]
(5) E. et.
(6) E. ad locum istum secum.

illo, dicens: *Vedi che non rincresce a me et ardo.* Et hic nota, quod istud non habet locum loquendo de inferno essentiali, quia nunquam potest ibi esse alleviatio (1) pœnæ, sed debet intelligi moraliter; aliquando enim contingit, quod quis non videtur quasi sentire pœnam suam, quando loquitur cum viro eloquentissimo, cuius eloquii suavitas facit ipsum oblivisci doloris, sicut vidi de facto, quod aliquando (2) aliquis infirmans facit sibi portari Dantem, cum ardet (3) calore febrili, ad aliqualem delectationem. — *Se tu.* Hic comes prædictus facit suam petitionem patenter petens de statu Romandiolæ, unde dicit: *Dimmi, se i romagnoli han pace o guerra;* et adverte quod statim oritur dubium circa istam petitionem, cum iste comes fuerit dominus Urbini et prædecessores et successores sui usque ad tempora moderna, quare petit de statu Romandiolæ, cum haberet dominium in Marchia anconitana? Dicendum breviter, quod dictus comes, et totum genus eius (4), fuit de Romandiola, scilicet de Montefeltro, ut ipse statim dicet. Præterea ipse fecit magnalia sua in Romandiola, de quorum præcipuis dicetur hic. Et dicit: *se tu sie' pur mo caduto in questo mondo cieco,* idest in istum infernum, et specialiter in istam bulgiam octavam quæ est maxime cæca; quia isti licet sint in flammis lucentibus, tamen nihil vident; et ita de rei veritate, moraliter loquendo, in mundo isto isti qui reputantur ita subtiles et acu[illegible] in fine reperiuntur rudiores et cæciores aliis; *di* [illegible] *dolce terra latina,* idest de Romandiola, quæ inter provincias Italiæ est maxime amœna et omnium [illegible] um [illegible] *onde reco,* idest de qua terra reporto, [illegible] ibi exercui magnas calliditates, qui-

[illegible] E. aliquando infirmans dicit. [illegible] s ad aliquale [illegible] — Se tu.

petuam famam viris illustribus, tamen (1) bene merui aliqualem famam, vel meæ res gestæ bene possent digne describi; et sic captat benevolentiam a persona sua, cum ostendit se dignum descriptione poetica; unde non dubito quod fama Ulyxis est maior, quia magni poetæ scripserunt de eo, sicut Homerus græce et Virgilius latine. Ideo narrat Tullius in oratione quam fecit pro Archia poeta, quod dum olim Alexander magnus pervenisset ad sepulcrum Achillis, clamavit: o felicem adolescentem, qui talem præconem tuarum laudum invenisti, scilicet Homerum; quasi voluerit dicere: utinam alter Homerus viveret tempore meo qui describeret gesta mea, et daret mihi semper famam, sicut fecit Achilli. Et ita ad propositum nunc vult dicere iste comes; sed certe bene reperit bonam (2) tubam, et digniorem se, scilicet pennam Dantis. Et hic adverte, lector, quod quasi (3) autor necessario fecit istam fictionem, quia tota die invenio homines dicentes: ad quid Dantes fecit mentionem de (4) tali viro vel facto moderno? ipse debuisset potius dixisse de illis magnificis antiquis; vel nesciunt quid dicant in multis, quia autores sæpe personam vel rem vilissimam in suis stylis magnificant et extollunt. Certe non dubito, quod rex Latinus, Turnus vel (5) Megentius, de quibus Virgilius facit tot præconia, ut de cæteris minoribus taceam, non valuerunt tantum in rebus mundi, quantum iste comes Guido, Malatesta, Maghinardus, et alii multi in Romandiola, de quibus statim dicetur in isto capitulo. Et probat, quod Virgilium non debet tædere remanere ad (6) loquendum secum, ostendens suam ardentem affectionem, quam habet ad loquendum cum

(1) E. tamen meremini aliqualem famam, et meæ.
(2) S. bonam famam, tubam, et meliorem se.
(3) E. quasi veritus fecit.
(4) E. de tam vili viro et de illis magnis antiquis?
(5) E. et.
(6) E. ad locum istum secum.

illo, dicens: *Vedi che non rincresce a me et ardo.* Et hic nota, quod istud non habet locum loquendo de inferno essentiali, quia nunquam potest ibi esse alleviatio (1) pœnæ, sed debet intelligi moraliter; aliquando enim contingit, quod quis non videtur quasi sentire pœnam suam, quando loquitur cum viro eloquentissimo, cuius eloquii suavitas facit ipsum oblivisci doloris, sicut vidi de facto, quod aliquando (2) aliquis infirmans facit sibi portari Dantem, cum ardet (3) calore febrili, ad aliqualem delectationem. — *Se tu.* Hic comes prædictus facit suam petitionem patenter petens de statu Romandiolæ, unde dicit: *Dimmi, se i romagnoli han pace o guerra;* et adverte quod statim oritur dubium circa istam petitionem, cum iste comes fuerit dominus Urbini et prædecessores et successores sui usque ad tempora moderna, quare petit de statu Romandiolæ, cum haberet dominium in Marchia anconitana? Dicendum breviter, quod dictus comes, et totum genus eius (4), fuit de Romandiola, scilicet de Montefeltro, ut ipse statim dicet. Præterea ipse fecit magnalia sua in Romandiola, de quorum præcipuis dicetur hic. Et dicit: *se tu sie' pur mo caduto in questo mondo cieco,* idest in istum infernum, et specialiter in istam bulgiam octavam quæ est maxime cæca; quia isti licet sint in flammis lucentibus, tamen nihil vident; et ita de rei veritate, moraliter loquendo, in mundo isto isti qui reputantur ita subtiles et oculati, in fine reperiuntur rudiores et cæciores aliis; *di quella dolce terra latina,* idest de Romandiola, quæ inter [illegible]s provincias Italiæ est maxime amœna et omnium [illegible]um fertilis, *onde reco,* idest de qua terra reporto, [illegible]*mia colpa,* [illegible]ia ibi exercui magnas calliditates, qui-

[illegible]
(2) E. aliquando infirmans facit.
[illegible]is ad aliqualem recreationem. — Se tu.

una navi, non cum magna classe, *e con quella compagna picciola,* sed electa et fida, *da la qual non fui deserto,* idest, numquam fui derelictus usque ad mortem; et manifestat iter suum per litora maris. Ad quod est notandum, quod tota aqua maris Mediterranei quod (1) currit per terram intrat ipsam terram inter Hispaniam et Africam, et multa spatia terrarum percurrit faciens diversa brachia, ut plenius dicetur Paradisi capitulo VIIII. Dicit ergo: *l' un lito e l' altro vidi fin la Spagna,* ex (2) qua parte est Italia, Gallia et in extremo Hispania, *fin nel Marocco,* quia ex alia parte opposita est Africa, in cuius fine est Mauritania sive Maroccus, *e l' isola di Sardi,* quasi dicat: vidi Sardiniam quæ est (3) inter utrumque litus, et (4) Siciliam quæ est divisa ab Italia angusto mari. Ibi enim fuit Ulyxes in magno periculo in pharo messanensi, et perdidit navim suam, ut scribit Homerus in Odyssea, et alias multas insulas vidit, unde dicit: *e l' altre,* idest, et vidi alias insulas, *che quel mare bagna intorno.* — *Io.* Hic Ulyxes accedit ad narrandum mortem suam, et ostendit quomodo pervenerant ad finem occidentis. Unde dicit: *io e i compagni eravam vecchi e tardi,* steterant enim per viginti annos, decem in bello troiano et decem in peregrinatione, *quando venimmo a quella foce stretta,* idest (5), in confino Hispaniæ et Africæ, ubi est angustum ostium maris, per quod intrat tota aqua, ut dictum est: ibi enim est mons Abila in Mauritania, celsitudine levatus in sydera, oppositus monti Calpe, qui est in Hispania, quos ambos quidam dixerunt (6) esse columnas Herculis, sicut Pomponius Mella. Ideo dicit: *dove Ercule signò li soi riguardi,* idest, posuit suas co-

(1) 116, quæ currit.
(2) 116, in qua parte est Italia, Galitia, et in extremo Hispania.
(3) 116 e E. est insula inter.
(4) 116, et etiam Ciciliam.
(5) E. idest viam, confinibus Hispaniæ.
(6) E. dixerant.

lumnas in signum, *acciò che l' uom non si metta più oltre,* idest, non præsumat ulterius navigare; et quia Ulyxes voluit esse animosior Hercule transiens terminos eius, bene pœnituit eum. Et nota quod Hercules etiam dicitur posuisse columnas in ultimis litoribus orientis, quæ propter distantiam loci ignorantur, ubi istæ propter vicinitatem loci sunt nobis notissimæ. De istis columnis dicetur alibi Paradisi capitulo XXVII. Et subdit: *da la man destra mi lasciai Sibilia,* scilicet, ex nostra parte Europæ in Hispania. Sibilia enim est maxima civitas in Hispania, de qua alibi dictum est et dicetur, quæ distat a mari forte per quinquaginta milliaria, *da l' altra,* scilicet, a (1) sinistra ex parte Africæ, *già m' avea lasciato Setta.* Est enim Setta civitas Barbariæ in alio litore (2) opposito; sed nota hic quod homo veniens ab Oceano occidentali in (3) nostrum mare Mediterraneum habet Sibiliam a sinistris et Settam a dextris; sed Ulyxes ibat ab isto mari in Oceanum, ideo habebat e converso. — *O frati.* Hic Ulyxes interserit (4) narrationem sive persuasionem quam fecit sociis intraturus mare Oceanum ex mari Leonis. Et primo captat benevolentiam vocans eos humaniter (5) fratres, unde dicit: *o frati,* et a fortitudine cum dicit: *che siete giunti a l' occidente,* quasi dicat: qui patienter et perseveranter venistis ad finem occidentis, *per cento milia perigli,* idest, per infinita pericula. Deinde tangit suam petitionem, quam fecit sociis; et considera bene literam quæ est valde (6) intricata, et a multis male ordinata. Construe ergo sic: *non vogliate negar la esperienza a questa tanto picciola vigilia,* idest, isti modicæ vitæ brevi, *ch' èe del rimanente,* idest, quod restat de residuo, *de' vostri sensi,* idest, vestræ vitæ,

---

(1) S. e E. ex sinistra parte.
(2) E. litore ei opposito.
(3) S. in nostro mari Mediterraneo.
(4) E. inserit.
(5) E. humiliter.
(6) E. valde bene intricata.

quasi dicat: si hucusque expendistis per tot annos vitam in bellis et laboribus maximis pro honore, laude et gloria, non velitis recusare (1) parvulum laborem, per quem consequimini præmium vestræ quietis cito. Ita dicebat Eneas sociis suis cum esset in magna tempestate: *O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.* Et sic vide quod captatio benevolentiæ non solum fit per exordium, sed etiam per cæteras partes orationis. Est enim velut sanguis diffusus per omnia membra vivificans totum corpus orationis. Et dicit: *diretro al sol, del mondo senza gente,* idest, ad aliud hemisperium inferius, ad quod sol accedit quando recedit a nobis; vel secundum alium textum, *diretro al suol,* idest, ad solum, ubi de rei veritate nulla (2) gens habitat, ut dicetur primo capitulo Purgatorii. Deinde facit confirmationem, dicens: *considerate la nostra semenza,* idest, nobilitatem excelsæ naturæ humanæ, quia: *non foste fatti come bruti a viver,* idest, non solum ut viveretis simpliciter, sicut bruta, sed ut faceretis aliquid (3) præclarum in vita cum ratione vobis data, per quod viveritis etiam post mortem gloriose. Unde dicit: *ma per seguir virtute e conoscenza,* quæ facit viam ad felicitatem. Et concludit effectum mirabile istius pulcerrimæ persuasionis, dicens: *fec' io,* scilicet ego Ulyxes, *li miei compagni sì acuti al camino,* idest, tam accensos et promptos ad arduum iter, quod numquam alius fecerat, *con questa orazion picciola,* quæ brevis (4) verbis est magna sententia, *ch' a pena li avrei ritenuti poscia,* idest, vix retraxissem eos ab isto proposito; sed certe credo quod optime fecisset oppositum. Nam debes notare quod Ulyxes fuit eloquentissimus, sicut sæpissime patet apud Homerum per totam Odysseam, et apud Ovidium XIII majoris, ubi diserte descri-

(1) E. excusari per illum laborem.
(2) E. magna gens.
(3) E. aliquod præclarum opus ratione.
(4) E. brevibus verbis.

bit (1) contentionem armorum Achillis inter Aiacem et Ulyxem, ubi Ulyxes astutissimus cum eloquentia sua vicit causam fortissimi Aiacis, ita quod arma fuerunt adjudicata sibi. Ergo (2) bene autor hic fingit efficaciam eloquentiæ Ulyxis, qui breviori sermone persuasit sociis quibus dissuadebat metus futurorum periculorum, quæ considerabant cum tolerantia præteritorum malorum. — *E volta.* Hic Virgilius ostendit quomodo sociis sic incitatis ipse intraverit Oceanum, et cœperit navigare versus alium polum. Unde dicit: *e facemmo ali de' remi al folle volo,* idest, temerariæ navigationi, quia (3) male cessit nobis; et est pulcerrima metaphora, quia navis est avis lignea, quæ volat cum remis et velis tamquam avis; et vult dicere breviter: et dedimus de remis in aquam, *volta nostra poppa,* quia scilicet vertimus proram versus meridiem, et puppim versus septemtrionem, *nel matino,* idest in hora matutinali, scilicet de mane tempestive. Unde dicit: *sempre acquistando da lato mancino,* idest, semper eundo a sinistris versus Austrum. Et subdit quod jam tantum iverant quod videbant alium polum. Ad cuius rei intelligentiam (4) est dignum considerare (5) quod duo sunt poli sive puncti, super quibus volvitur continuo cœlum; quorum unus appellatur (6) Arcticus, idest, septemtrionalis in quo sunt stellæ perpetuæ apparitionis, nam est elevatus supra nos: alius vocatur Antarcticus, idest, contrarius Arctico, scilicet meridionalis, in quo sunt stellæ perpetuæ occultationis, quia est tantum bassus, quantum noster est altus; unde non habemus speram rectam sed obliquam. Modo dicit

(1) 116, scribit.

(2) E. Ergo autor hic fingit efficacem eloquentiam Ulyxis, qui brevi sermone persuasit sociis suis, quibus dissuadebat metus futurorum malorum periculorumque, quæ.

(3) E. quia avis alas cessit nobis.

(4) S. evidentiam.

(5) E. conscire.

(6) E. vocatur.

Ulyxes, et (1) tantum jam navigaverant et declinaverant ad meridiem, quod apparebant eis stellæ alterius poli. Dicit ergo: *la notte,* idest, pars opposita nobis, *vedea già tutte le stelle,* non (2) quia nox videat, sed ipsi videbant in nocte illa, *de l' altro polo,* scilicet, meridionalis, et videbant *el nostro,* scilicet, septemtrionalem, ad quem navigant omnes de nostra terra habitabili, *tanto basso che non sorgea fuor del marin solo,* idest, extra superficiem maris, sicut æquor aliquando dicitur planities terræ; et sic vide quod ex nulla parte videtur uterque polus, quia si unus apparet in continenti, alter absconditur, licet aliqui dicant se vidisse utrumque polum, quod non meretur fidem. — *Cinque.* Hic Ulyxes narrat quomodo primo viderint terram post longam navigationem, et vult breviter dicere, quod cum navigassent quinque mensibus viderunt a longe unum montem altum, obscurum (3). Et ad intelligentiam huius literæ debes notare quod luna quæ recipit lumen a sole, semper est media illuminata, quia luna est corpus solidum, ita quod lux non penetrat; modo cum luna est coniuncta soli, sol illuminat ipsam a parte superiori versus cœlum, vel obscurum est versus terram; quando vero luna recedit a coniunctione, sol incipit illuminare eam lateraliter, et illud latus videmus crescere de die in diem, donec est opposita soli, et tunc videmus totum rotundum, quod respicit versus terram; et sic vide quomodo in quinque mensibus quinquies ostenditur et quinquies occultatur. Dicit ergo: *il lume era racceso cinque volte,* scilicet a sole, *di sotto da la luna, e casso tante,* idest et lumen erat privatum totidem vicibus, *poi ch' entrati eravam nell' alto passo,* scilicet in magnum et profundum Oceanum, *quando n' apparve una montagna bruna per la distanza,*

(1) E. e 116, quod tantum. (2) E. non quod nox videret, sed ipsi.
(3) S. et obscurum.

quasi dicat: quæ propter longinquitatem videbatur obscura, cum tamen non esset in se. Et hic nota quod hic erat mons Purgatorii et Paradisi terrestris, qui dicitur esse sub æquinoctiali, qui pertingit usque ad globum lunarem; unde dicit: *e parvemi alta tanto, quanto veduta non avea alcuna,* quia nulla visio poterat attingere ad summum eius. — *Noi.* Hic Ulyxes concludit modum suæ mortis, dicens: *noi ci allegrammo,* sicut est de more, quod terra primo visa præstat lætitiam marinariis, qui diu navigaverunt; sed ista lætitia conversa est cito in tristitiam, quia putavimus ire ad portum (1) salutis, et ivimus ad interitum mortis; unde dicit: *e tosto tornò in pianto;* et ecce quare, *chè,* idest, quia, *un turbo,* idest, circumvolutio ventorum, *nacque da la nuova terra,* scilicet, a montanea prædicta, quæ de novo apparuerat nobis, *e percosse il primo canto del legno*, scilicet proram navis, *e il fee girar tre volte con tutte l' acque,* quia turbo volvit aquam in gyrum, et per consequens navim, et fecit: *levar la poppa in suso a la quarta,* scilicet vice, *e la prora ire in giù,* idest, mergi sub aquam (2), *com' altrui piacque,* scilicet, deo, fato vel fortunæ, *infin che 'l mar fu richiuso sopra noi;* ita quod omnes absorti fuimus ab aqua. Est autem hic ultimo toto animo advertendum, quod illud quod autor hic scribit (3) de morte Ulyxis non habet verum neque secundum historicam veritatem, neque secundum poeticam fictionem Homeri vel alterius poetæ. Dixerunt ergo aliqui et famosi quod Dantes non vidit Homerum et quod expresse erravit; nam, ut tradit Dites græcus et Dares phrygius in troiana historia, Ulyxes fuit interfectus a Telegono filio suo naturali, quem, ut dictum est genuerat ex Circe. Iste siquidem Telegonus quærens patrem Ulyxem, laboriosa inquisi-

(1) E. portum, et ivimus. (2) E. sub aqua. (3) E. describit.

tione pervenit ad unum castellum in quo Ulyxes stabat cum continua et magna custodia, quia præsciverat quod erat interficiendus a filio. Cum ergo Telegonus ad portam [1] affectuose quæreret de Ulyxe, unus ex custodibus rigide [2] respondens percussus fuit ab eo, et continuo orto clamore, Ulyxes excitatus subito cucurrit [3] quo fata trahebant illum, et irruit cum furore in istum quem audiverat tam temerarium. Telegonus vero, heu nimium providus, prævenit illum, et lethaliter vulneravit; ex quo vulnere postea mortuus est Ulyxes. Verumtamen quicquid dicatur, nulla persuasione possum adduci ad credendum, quod autor ignoraverit illud quod sciunt etiam pueri [4] et ignari; ideo dico, quod hoc potius autor de industria finxit, et licuit sibi fingere de novo, sicut aliis poetis propter aliquod [5] propositum ostendendum. Videtur enim ex fictione ista velle concludere quod vir magnanimus, animosus, qualis fuit Ulyxes, non parcit vitæ, periculo vel labori, ut possit habere experientiam rerum, et potius eligit vivere gloriose per paucum tempus quam diu ignominiose. Et ista conclusio valde bene potest elici ex verbis Ulyxis, ubi dixit supra, quod postposuit omnia cara sicut filium quem tunc habebat unicum, uxorem, patriam, parentes, sicut fecit Marcus Regulus clarissimus [6] dux romanus.

---

(1) E. ad portam castri affectuose.
(2) S. rigide respondit, et percussus fuit.
(3) 116, occurrit. (4) E. pueri; et ideo. (5) E. alium propositum.
(6) S. maximus dux romanus. — E. maximus dux romanorum.

CANTUS VIGESIMUS SEPTIMUS, *in quo tractat de octava bulgia et de prædictis spiritibus in flammis ignis, qui fuerunt mali consultores sub titulo comitis Guidonis de Montefeltro, qui multa dixit eis de suis negotiis, ac de papa Bonifacio.*

Già era dritta in su la fiamma e cheta. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de pœna astutorum, qui usi sunt astutia in factis propriis; nunc consequenter in isto capitulo XXVII agit et tractat de pœna astutorum, qui usi sunt astutia et pro se et pro aliis [1], illis fraudulenter consulendo, qui puniuntur [2] simul in eadem bulgia octava, et eadem pœna flammarum. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in prima quarum autor introducit alium spiritum modernum famosissimum, qui petit de statu provinciæ Romandiolæ. In secunda autor respondet ad [3] quæsitum describens statum illius provinciæ suo tempore, ibi: *Io era in giuso.* In tertia dictus spiritus recenset formam suæ vitæ, modum suæ conversionis, et causam suæ damnationis, ibi: *Poscia che 'l foco.* Ad primum veniens dico quod autor introducit alium spiritum modernum astutissimum, et primo continuat se ad præcedentia, dicens: *la fiamma,* scilicet, Ulyxis, *già era dritta in su;* et hic nota quod autor loquitur naturaliter et proprie, quia flamma de [4] se semper naturaliter tendit sursum, hic autem movebatur horsum et illorsum secundum motum linguæ interioris; sed facto fine sermoni continuo flamma redi-

---

(1) 116, aliis, fraudulenter consulendo.
(2) E. purgantur.
(3) E. ad quæsita.
(4) E. per se semper.

vit ad suum motum connaturalem, ideo dicit: *e cheta per non dir più,* idest, ut non loqueretur amplius, quia Ulyxes fecerat finem sermoni in sua infelici morte; ideo bene dicit: *e già sen gía,* idest, recedebat, *da noi con la licenzia del dolce poeta,* scilicet data sibi a Virgilio per verba dulciter allicientia, quæ scribuntur paulo infra, ubi dicit: *issa ten va più non t'adizzo.* Et nota quod autor vult ex hoc innuere, quod secundum judicium suæ rationis jam satis dixerat de Ulyxe * antiquo quantum materia patitur huius tractatus; ideo restabat dicere de alio spiritu novo qui poterat collocari post Ulyxem * (1); ideo introducit statim illum spiritum dicens: *quando un' altra,* scilicet flamma, in qua erat comes Guido de Montefeltro, *che venia dietro a lei,* scilicet, quantum ad speculationem meam, quasi dicat tacite, post Ulyxem non occurrebat menti meæ alia (2) anima sagacior et astutior, de qua magis placeret mihi facere mentionem vel memoriam quam de anima ista, de qua statim dicturus sum; ideo dicit: *ne fece volger gli occhi,* scilicet, intellectuales, *a la sua cima,* et ecce causam, *per un confuso suon che fuor n' uscia.* Hoc ideo fingit, quia spiritus primo modicum laborabat antequam posset emittere vocem inclusam intra flammam; sicut simili modo dictum est supra, quia vox Ulyxis murmurabat primo confuse; quod statim apertius declaratur in litera sequenti. — *Come.* Nunc autor describit huius soni confusionem per unam comparationem summe notabilem (3). Ad cuius intelligentiam oportet primo scire historiam, quæ tangitur per Tullium libro Tusculanarum, et per (4) Valerium libro de Memorabilibus. Fuit ergo olim in Sicilia quidam tyrannus sævissimus nomine Phalaris, qui dominabatur in

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.
(2) S. aliqua anima. (3) E. nobilem.
(4) E. et per Aristotelem libro de Mineralibus. Fuit ergo.

civitate agrigentina, qui inhumane excogitabat nova genera pœnarum, quibus homines crudeliter cruciaret. Quidam ergo faber artifex ingeniosus nomine Perillus, putans promereri gratiam et favorem tyranni, conflavit unum bovem de ære, in cuius latere fecit portulam, et eum dono dedit Phalari, dicens: ecce donum dignum te: adinveni enim novum genus pœnæ; cum enim habueris ([1]) aliquem reum maiestatis damnandum, facies ([2]) immitti in bovem, quo incluso, facies ([3]) subici ignem sub ventrem bovis; sic cum inclusus, dolore tactus, clamabit, non videbitur vox humana, sed feralis; et sic minus moveberis ([4]) ad misericordiam. Respondens autem Phalaris, dixit: vere istud est egregium et acceptabile munus, sed tu primus inventor operis experieris primo; et continuo fecit illum mitti ([5]) in bovem et crudeliter necari. Sic ergo Phalaris fefellit spem vanam Perilli, cui reddidit mercedem condignam. Nunc ordina sic literam: *le parole grame,* idest, tristia verba illius spiritus qui ardebat in igne, *se convertian nel foco,* idest, intra flammam prædictam, *in suo linguaggio,* quia scilicet loquebatur italice, sed nondum intelligebatur, *per non aver via nè forame dal principio,* quia non habebat aperturam vel scissuram in puncta, quia isti astuti loquuntur cum magna arte et ingeniose, *così come il bo' cicilian,* quia factus ([6]) in Sicilia, et a magistro siculo, et in gratiam tyranni siculi, *che mughiò prima,* quia mugire est proprium bovum, *col pianto di colui,* scilicet Perilli prædicti, *che l' avea temperato con sua lima,* idest opera artificiosa. Et facit autor unam parenthesim, dicens: *e ciò fu dritto,* imo dignum, et justum. Tyrannus enim iniustissimus istum

---

([1]) E. habetis. ([2]) E. facietis mitti.
([3]) E. facietis subici ignem sub ventre.
([4]) E. movebimini ad misericordiam. Dominus vero Phalaris dixit.
([5]) 116, immitti in bovem et. — E. mitti in bovem illum, et.
([6]) S. factus est.

justissime punivit, et ita ipse justissime mactatus fuit lapidibus in foro, dum suam crudelitatem publice exerceret contra justissimum philosophum, sicut jam supra scriptum est capitulo IV; *mughiava con la voce dell' afflitto,* scilicet hominis, qui interius cruciabatur, scilicet Perilli, perimens illum, et sic æquissimum est, *necis artifices arte perire sua;* et ecce quomodo, *sì chel parea pur trafitto dal dolore,* licet non appareret causa doloris; ideo dicit: *con tutto chel fosse di rame,* idest, de materia metalli inanimata. Et hoc nota quantum comparatio ista pulcerrima propriissime correspondeat proposito; nam sicut inclusus in bove siculo cruciabatur per ignem occulte, ita quod non apparebat; ita iste spiritus inclusus in flamma italica: et sicut vox illius non erat intelligibilis; ita (1) vox istius non erat intellecta: et sicut vox videbatur exire de bove æreo ardente, quod erat mirabile (2); ita ex flamma ignis ardentis videbatur nunc exire vox cum dolore, quod erat mirabile: et sicut ille artifex vir magni ingenii fuit usus arte sua in (3) malum; ita et iste. Nam sicut Perillus astutissimus docuit Phalarim astutissimum (4) punire inimicos suos per novum modum; ita iste comes astutissimus docuit Bonifacium astutissimum, qui fuit magnus tyrannus inter sacerdotes, exterminare inimicos suos per novum consilium. Nota etiam quod Sicilia fuit quasi semper officina tyrannorum; ibi enim fuerunt olim Agatocles et Hieronymus tyranni syracusani, et duo Dionysii, pater et filius syracusanus, et iste Phalaris agrigentinus. Sed in eadem civitate duo viri maxime contrarii floruisse leguntur, scilicet Galias (5) agrigentinus, pater omnis humanitatis et liberalitatis, et Phalaris autor omnis inhumanitatis et crudelitatis. —

(1) E. ita nec istius erat intellecta. (2) E. materiale. (3) E. in malis.
(4) E. instructissimum punire inimicos et amicos suos.
(5) 116, Gillias. — E. Giliax.

Ma. Hic autor describit formam sermonis illius spiritus jam præparati ad loquendum, dicens: *ma udimmo dire, poscia ch' ebber colto lor viaggio,* idest, postquam illa verba ceperunt iter rectum (1), *su per la punta,* scilicet, flammæ illius acutæ, *dandoli quel guizzo,* idest, motum velocem, *che la lingua avea dato in lor passaggio,* idest, in transitu ipsorum verborum; unde adverte quod secundum motum linguæ interioris movebatur puncta flammæ exterioris, ita quod motus flammæ apparentis proportionabiliter conformabatur motui linguæ latentis. Et ecce formam orationis, quia comes alloquitur Virgilium, quem audiverat modo loquentem, dicens: *O tu,* scilicet, Virgili, *a cui io drizzo la voce,* idest, sermonem, *e che parlavi mo lombardo,* scilicet, cum Ulyxe, *dicendo:* illi Ulyxi, quando licentiasti eum, *issa ten va,* idest, modo recede, *più non t' adizzo,* idest, amplius non allicio te vel incito ad dicendum; quod non est aliud dicere nisi, o Virgili mantuane, ita quod per idioma dat intelligi hominem, sicut a simili si dicerem uni bononiensi: o tu qui dicis *sipa,* darem intelligi per vulgare hominem esse bononiensem, et sic tacite captat benevolentiam quasi dicens: o Virgili, gloria lombardorum et latini eloquii, non dedigneris loqui cum uno latino, ex quo satis videris locutus cum uno græco. Et (2) iterum exordium facit, dicens: *non t' incresca ristarti a parlar meco,* et dicit: *perch' io sia giunto alquanto tardo.* Hoc potest intelligi simpliciter quod ipse non venisset statim post recessum Ulyxis, sed aliquantulum tardasset. Potest etiam intelligi subtilius; credo enim forte quod (3) comes velit dicere caute: quamvis non floruerim (4) illo tempore felici, quo tu Virgilius, et alii magni poetæ qui dederunt per-

---

(1) E. certum.
(2) E. Et interim exordium fecit.
(3) 116 e E. quod iste comes.
(4) S. fuerim.

petuam famam viris illustribus, tamen [1] bene merui aliqualem famam, vel meæ res gestæ bene possent digne describi; et sic captat benevolentiam a persona sua, cum ostendit se dignum descriptione poetica; unde non dubito quod fama Ulyxis est maior, quia magni poetæ scripserunt de eo, sicut Homerus græce et Virgilius latine. Ideo narrat Tullius in oratione quam fecit pro Archia poeta, quod dum olim Alexander magnus pervenisset ad sepulcrum Achillis, clamavit: o felicem adolescentem, qui talem præconem tuarum laudum invenisti, scilicet Homerum; quasi voluerit dicere: utinam alter Homerus viveret tempore meo qui describeret gesta mea, et daret mihi semper famam, sicut fecit Achilli. Et ita ad propositum nunc vult dicere iste comes; sed certe bene reperit bonam [2] tubam, et digniorem se, scilicet pennam Dantis. Et hic adverte, lector, quod quasi [3] autor necessario fecit istam fictionem, quia tota die invenio homines dicentes: ad quid Dantes fecit mentionem de [4] tali viro vel facto moderno? ipse debuisset potius dixisse de illis magnificis antiquis; vel nesciunt quid dicant in multis, quia autores sæpe personam vel rem vilissimam in suis stylis magnificant et extollunt. Certe non dubito, quod rex Latinus, Turnus vel [5] Megentius, de quibus Virgilius facit tot præconia, ut de cæteris minoribus taceam, non valuerunt tantum in rebus mundi, quantum iste comes Guido, Malatesta, Maghinardus, et alii multi in Romandiola, de quibus statim dicetur in isto capitulo. Et probat, quod Virgilium non debet tædere remanere ad [6] loquendum secum, ostendens suam ardentem affectionem, quam habet ad loquendum cum

---

[1] E. tamen meremini aliqualem famam, et meæ.
[2] S. bonam famam, tubam, et meliorem se.
[3] E. quasi veritus fecit.
[4] E. de tam vili viro et de illis magnis antiquis?
[5] E. et.
[6] E. ad locum istum secum.

illo, dicens: *Vedi che non rincresce a me et ardo.* Et hic nota, quod istud non habet locum loquendo de inferno essentiali, quia nunquam potest ibi esse alleviatio (1) pœnæ, sed debet intelligi moraliter; aliquando enim contingit, quod quis non videtur quasi sentire pœnam suam, quando loquitur cum viro eloquentissimo, cuius eloquii suavitas facit ipsum oblivisci doloris, sicut vidi de facto, quod aliquando (2) aliquis infirmans facit sibi portari Dantem, cum ardet (3) calore febrili, ad aliqualem delectationem. — *Se tu.* Hic comes prædictus facit suam petitionem patenter petens de statu Romandiolæ, unde dicit: *Dimmi, se i romagnoli han pace o guerra;* et adverte quod statim oritur dubium circa istam petitionem, cum iste comes fuerit dominus Urbini et prædecessores et successores sui usque ad tempora moderna, quare petit de statu Romandiolæ, cum haberet dominium in Marchia anconitana? Dicendum breviter, quod dictus comes, et totum genus eius (4), fuit de Romandiola, scilicet de Montefeltro, ut ipse statim dicet. Præterea ipse fecit magnalia sua in Romandiola, de quorum præcipuis dicetur hic. Et dicit: *se tu sie' pur mo caduto in questo mondo cieco,* idest in istum infernum, et specialiter in istam bulgiam octavam quæ est maxime cæca; quia isti licet sint in flammis lucentibus, tamen nihil vident; et ita de rei veritate, moraliter loquendo, in mundo isto isti qui reputantur ita subtiles et oculati, in fine reperiuntur rudiores et cæciores aliis; *di quella dolce terra latina,* idest de Romandiola, quæ inter alias provincias Italiæ est maxime amœna et omnium bonorum fertilis, *onde reco,* idest de qua terra reporto, *tutta mia colpa,* quia ibi exercui magnas calliditates, qui-

(1) E. alienatio. (2) E. aliquando infirmans fecit.
(3) E. arderet calore febris ad aliqualem recreationem. — *Se tu.*
(4) E. genus suum.

bus obtinui magnas victorias. Hoc pro tanto dicit comes, quia imaginabatur, quod autor esset aliquis astutus, damnatus, qui nuper venisset ad pœnam. Unde ad intelligendam istam literam est breviter sciendum, quod iste comes famosus et felix in prœlio, sæpe terram Romandiolæ madefecit sanguine multo. Nam a multis notatum est, quod iste comes factus capitaneus belli in Romandiola dedit decem et septem conflictus adversariis suis, et præcipue bononiensibus, qui cum numeroso exercitu venerant ad vastandum agros faventinorum, ubi bononienses exules, qui dicebantur Lambertacii, erant receptati. Igitur anno Domini MCCLXXV comes Guido cum exulibus bononiensibus et aliis suis invasit bononienses (1) apud pontem sancti Proculi, qui distat a Faventia per tria milliaria; quorum dux erat Malatesta primus de Arimino. Equites bononienses ad primum aspectum (2) hostium trepidantes (3) fugam ceperunt (4). Acies vero peditum videns suos præcipites fugere, firmaverunt fugam. Comes superveniens fecit denuntiari eis, ut facerent deditionem, antequam crudeliter perderentur (5): quod illi negantes condensati sunt inter se taliter, quod stabant fixi quasi immobiles, ita ut vires non haberent ad arma movenda. Ex quo irruentibus hostibus facta est magna cædes, præcipue ab exulibus bononiensibus; tamen magis constipatione, quam ferro, se se opprimebant, et siti et calore et angustia moriebantur. Hostes victores ditati sunt spoliis hostium. Aliqui tamen crediderunt (6) quod iste mirabilis conflictus fuerit non solum opera comitis Guidonis, sed etiam opera alterius comitis, qui erat ex parte bononiensium; nam quidam comes de Panico dicitur proclamasse in fuga (7):

(1) 116, Bononiam.
(2) 116, conspectum.
(3) S. trepidanter fugam.
(4) E. rapuerunt.
(5) S. perderent.
(6) E. credunt.
(7) S. in fugam.

Popule marcide, lege statuta. Et subdit confirmationem suæ petitionis, dicens: imo [1] potius peto de Romandiola, quia fuit de partibus illis. Unde dicit: *ch'io fui de' monti,* quasi dicat: fui de Montefeltro; nam Montifeltrus [2] est una contrata in Romandiola, continens multos montes et multa castella, ut dicetur alibi: et sic vide, quod isti comites fuerunt de Romandiola, tamen excederunt [3] suum dominium in Marchiam, sicut et Malatestæ de eadem contrata diebus nostris, habuerunt fere totam Marchiam; habuerunt enim Anconam, quæ est caput illius provinciæ, et Esculum, quod fuit olim caput eius, et alias multas civitates et terras; et sicut Ugucio de Fagiola de eisdem montibus, qui habuit dominium in Tuscia in civitate pisana et lucana: et tangit confinia dicens: *là intra Urbino.* Urbinum est civitas in Marchia anconitana, circa confinia Romandiolæ, ubi isti comites dominati sunt jam per tot tempora, quod non extat memoria: *e 'l giogo,* scilicet, montis Apennini [4], *di che il Tever si disserra,* idest, de quo jugo oritur fluvius Tiberis, qui oritur in alpibus, quæ dividunt Romandiolam a Tuscia ex parte ipsius Tusciæ ex opposito Montisfeltri; qui Tiberis est fluvius famosissimus, non tantum ratione suæ magnitudinis, quantum ratione urbis romanæ quam irrigat.

Io era. Ista est secunda pars generalis, in qua autor respondens ad petitionem comitis describit statum Romandiolæ. Et primo ostendit [5], quomodo Virgilius concesserit nunc sibi licentiam loquendi cum isto comite, dicens: *Io era in giuso ancora attento e chino,* quia stabat in culmine pontis inclinatus ad audiendum attente

---

(1) 116, ideo potius. (2) 116, Monsfeltrus.
(3) S. e 116, tamen extenderunt. — E. cum extenderunt.
(4) E. Arimini.
(5) E. describit, quomodo Virgilius nunc dedit sibi.

verba comitis, *quando il mio duca mi toccò da costa,* idest, a latere, vel (1) *di costa,* idest istinc, *dicendo: parla tu,* quasi dicat: habe nunc tu vicem, *questi è latino,* quia hucusque locutus fui cum Ulyxe græco; ideo tu nunc loquere cum isto comite latino; cuius causa assignata est supra in præcedenti capitulo. Deinde tangit responsionem (2) suam, dicens: *et io, ch' avea già pronta la risposta,* quam (3) præconceperam, imaginans me responsurum illi; *incominciai a parlar senza indugio,* quia bene sciebam, quomodo stabat tunc provincia Romandiolæ (4), contermina Tusciæ; cœpi ergo dicere: *o anima che se' là giù nascosta,* scilicet inclusa in igne, quam videre non possum, *Romagna tua,* in qua fecisti tibi famam, *non èe, e non fu mai senza guerra,* intellige, postquam cœpit (5) habere tyrannos, ideo dicit: *nei cuor de' suoi tiranni,* qui semper bellum meditantur, *ma ora,* idest, nunc actualiter, *nessuna palese vi lasciai,* quia in MCCC nullum erat bellum patens in Romandiola. Unde nota, quod iste comes, tamquam expertus (6), merito mirabatur, quod Romandiola posset unquam (7) stare in pace. Ideo sic petivit, et autor sic respondet (8), et bene, quia Romandiola, postquam pervenit ad manus tyrannorum, nunquam requievit, et maxime postquam papa Nicola de Ursinis fecit sibi dari istam provinciam a Rodulpho imperatore, ut alibi dictum est, et dicetur. Qui (9) papa primo misit Bertoldum fratrem suum primum comitem Romandiolæ, et cardinalem latinum legatum suum; a quo tempore citra semper factæ sunt ibi variæ mutationes, et quotidie fiunt. Unde judicio meo mihi videtur, quod quatuor deduxerunt istam nobilem provinciam

---

(1) E. vel *discosto,* idest adstitit, *dicendo.*
(2) E. responsionem, dicens. (3) E. quam præcontexeram.
(4) E. Romandiolæ contigua Tusciæ, cœpi ego dicere.
(5) S. e 116, incœpit. (6) E. ex parte merito.
(7) E. usquam. (8) E. respondit. (9) E. Quia.

ad tantam desolationem. Primum est avaritia pastorum ecclesiæ, qui nunc vendunt unam terram, nunc aliam: nunc unus favet uni tyranno, alius alteri, secundum quod sæpe mutantur officiales. Secundum est pravitas tyrannorum suorum, qui semper inter se lacerant et rodunt, et subditos (1) premunt et excoriant. Tertium est fertilitas locorum ipsius provinciæ, cuius pinguedo allicit barbaros et externos in prædam. Quartum est invidia, quæ viget in cordibus ipsorum incolarum, sicut autor noster pulcre describit Purgatorii capitulo XIV, ubi, facta magna commendatione istius Romandiolæ, indignanter exclamat: *o romagnuoli tornati in bastardi.* — *Ravenna.* Nunc autor descripturus specialiter statum Romandiolæ, incipit a Ravenna, et (2) sententialiter vult dicere, quod nobilis et antiqua prosapia istorum (3) de Polenta dominatur Ravennæ et Cerviæ. Unde debes scire, quod eo tempore regnabat Ravennæ quidam dominus Guido Novellus de Polenta, vir quidem satis magnæ intelligentiæ et eloquentiæ; qui multum honoravit Dantem in vita et in morte, ut dicetur alibi; ideo loquitur de eo valde honeste, describens (4) ipsum ab insignio suæ domus; unde dicit: *Ravenna sta, come stata è molti anni,* quasi dicat, in eodem statu in quo fuit jamdiu et sub dominio eorumdem; quod declarat sic: *l'Aguglia* (5) *da Polenta.* Hoc dicit, quia illi de Polenta portant pro insignio aquilam, cuius medietas est alba in campo azurro, et alia medietas est rubea, in campo aureo. Est autem Polenta parvum castellum supra (6) Bretenorium, unde isti nobiles dicuntur olim fuisse, *là si cova,* et est pulcra metaphora et propria. Vult enim dicere, quod iste Guido Novellus fovet et protegit ra-

(1) E. subditos excoriant.
(2) E. et generaliter vult.
(3) 116, illorum de Polenta.
(4) E. eum describens ab.
(5) E. *l'Aquila.*
(6) E. circa.

vennates sub umbra alarum suarum, sicut aquila filios suos. Et de rei veritate Ravenna tunc erat in (1) florenti statu, quæ nunc est in languido. Et nota, quod autor ideo primo incipit (2) a Ravenna, quia nobilissima civitas est ratione antiquitatis, si fama non est omnino falsa; ratione dignitatis, quia ecclesia ravennas (3) habet cardinales sicut romana. Et subdit autor: *sì che Cervia ricuopre co' suoi vanni*, quasi dicat, aquila prædicta etiam protegit Cerviam sub pennis suis; sunt enim *vanni* pennæ quædam in alis. Est enim Cervia civitatuncula (4) in eodem littore maris adriaci, distans a Ravenna per quindecim milliaria, quam autor subannectit (5) Ravennæ, quia est sub eodem dominio. Habet hæc civitas prærogativam salis; unde cardinalis ostiensis dominus Bononiæ et Romandiolæ erat solitus dicere: Plus habemus de Cerviola (6) parvula, quam de tota Romandiola. — *La terra che fe già la lunga prova*. Hic autor describit aliam civitatem Romandiolæ, scilicet Forlivium, quæ est quodammodo situata in medio Romandiolæ, maior aliis; quæ quia habet gentem bellacem (7), et iste comes habuerat diu principatum ibi, et magna bella fecerat (8); ideo in descriptione eius inserit singularem victoriam, quam hic comes cum forliviensibus habuerat. Ad intelligentiam autem huius literæ est præsciendum, quod anno Domini MCCLXXXII papa Martinus III de Turso, de regno Franciæ, misit in (9) comitem Romandiolæ quemdam dominum Johannem de Apia (10) vel de Ipa, militem strenuissimum armorum, quo nullus erat bellicosior in Fran-

(1) E. e 116, satis in florenti. (2) S. incœpit.
(3) 116, ravennas post romanam habet cardinales in tota urbe. Et subdit. — E. quia sola ecclesia ravennas habet.
(4) S. civituncula. (5) E. subditam dicit Ravennæ.
(6) E. Cervia parvula. (7) 116 e E. bellantem.
(8) E. fecerat ibi; ideo.
(9) E. in civitatibus Romandiolæ quemdam dominum.
(10) S. Appulia vel de Ypa.

cia. Erat tamen impar sagacitatibus romandiolorum, ut eriperet Romandiolam de unguibus comitis Guidonis de Montefeltro, qui tunc erat ibi fortis et potens pro parte ghibellina. Hic ergo Johannes cum nobili exercitu gallorum et italicorum ingressus provinciam, primo recepit (1) Faventiam datam sibi, et ibi moram faciens, faciebat acre bellum contra Forlivium, et credidit habere civitatem per proditionem, quam non poterat habere per obsidionem. Cuius tractatum ordinavit comes Guido, qui acutissimus (2) bene cognoscebat temeritatem gallorum. Et, ut breviter dicam, Johannes kalendis maii cum gente sua venit Forlivium de mane tempestive ante diem credens habere ipsum; et sicut erat ordinatum per comitem Guidonem, fuit datus sibi introitus unius portæ. Johannes igitur intravit cum parte suæ gentis, et partem dimisit extra, dato ordine, quod si expediret, succurrerent ingressis; et si casus adversus accideret, mandavit, quod (3) omnes glomerarentur in quodam campo sub umbra unius magnæ quercus. Ordine dato, comes Johannes cum francis percurrit civitatem sine resistentia. Comes autem Guido, conscius facti, cum tota gente sua exivit civitatem, et invasit animose illos (4), qui erant sub quercu, et faciliter fudit. Johannes, qui intraverat Forlivium, credens esse dominus, diripiebat interim civitatem et milites (5) occupabant sibi quisquam domicilia. Et continuo comes Guido reintravit Forlivium, dimissa parte (6) sua et gente pedestri sub quercu, turmatim conglobata (7) ea forma, qua steterat primo (8) gens francorum. Tunc comes Johannes, qui credebat libere habere civitatem, visis hostibus, totus

(1) S. cepit. (2) E. astutissimus.
(3) 116, ut omnes. (4) 116, omnes qui erant.
(5) E. et milites diffundebant se per domicilia.
(6) 116 e E. sua parte militiæ et gente.
(7) E. glomerata. (8) E. prima gens.

stupefactus est et territus. Et quicumque de gente franca poterat recurrere ad equum, fugiebat extra civitatem, et recurrebat (1) ad quercum, credens ibi invenire suos, et incurrebant (2) manus hostium, a quibus erant cæsi. Et capti (3) similiter illi, qui remanserant in civitate, trucidabantur (4) omnes: et sic magna sagacitate comitis Guidonis pulcra et magna gens gallica fuit destructa. Et multi nobiles et magnates italici ceciderunt in conflictu; inter alios fuit unus comes, Tadeus de Montefeltro, consanguineus comitis Guidonis; sed erat infestus ei (5) propter litem, quam habuerat secum super hæreditate; et Thebaldellus, qui aperuit (6) Faventiam, quando dormiebantur (7), et plures alii. Johannes de Apia tamen cum paucis evasit; et ita delusus et desertus reversus est Faventiam. Papa Martinus iratus misit novas gentes equestres et pedestres ad comitem Johannem, qui recuperavit Forlivium anno sequenti de mense maii, et diruit omnem (8) fortiliciem; comes vero Guido recessit de Forlivio. Sic ergo patet quomodo ingenium comitis vicit vires fortissimi bellatoris, licet tandem succubuerit viribus ecclesiæ. Nunc ad literam: autor describit istam terram ab ista magna strage et dominatione eius. Et vult breviter dicere, quod illa terra erat tunc subdita Ordelaffis nobilibus de Forlivio, quorum familiam dat intelligi per (9) signum, unde dicit: *la terra,* scilicet Forlivium, *che fe già la lunga prova,* quia diu steterat in continentia (10). Est enim natio forliviensis magis prompta ad rebellionem, et tardior ad deditionem, quam (11) alia

(1) E. occurrebat.
(2) E. incurrebat in.
(3) E. capti sunt illi.
(4) E. et trucidabantur.
(5) 116, illi propter lites quas.
(6) S. aperuerat.
(7) S. dormiebatur. — E. quando dormiebant cives.
(8) E. omne fortilitium.
(9) S. per insigne et signum.
(10) S. in continuata guerra. — 116, e E. contumacia. Est enim gens forliviensis.
(11) E. quam aliqua gens.

gens Romandiolæ, ut probatum est in multis bellis. Et dicit: *e di Franceschi sanguinoso mucchio;* nam ut aliqui scripserunt (1), comes Johannes habuit in isto prælio circa octingentos equites, de quibus facta est miseranda strages. Scio quod aliqui aliter scribunt istam pugnam; sed (2) illa, quam præmisi, videtur mihi verior, et magis consona moribus (3) comitis Guidonis; *sotto le branche verdi si ritrova,* idest, sub potestate Ordelafforum, qui habent pro signo leonem viridem a medio supra in campo aureo, cum quibusdam listis a medio infra, quarum tres sunt virides, et tres aureæ; et tunc regebat Sinibaldus. Et nota quod autor prætermittit (4) Forumpopilium, quod erat sub eodem dominio, quia erat civitas parvula, et jam declinabat; quam diebus istis dominus Sabinensis legatus ecclesiæ funditus evertit et transtulit Bretenorium. — *E'l mastin vecchio.* Hic autor describit aliam civitatem nobilem, scilicet Ariminum, quam manifestat per dominos suos. Et (5) vult sententialiter dicere quod duo Malatestæ pater et filius viri violenti tenent civitatem Arimini. * (6) Ad cognitionem istorum est breviter sciendum, quod in provincia Romandiolæ, in comitatu Montisfeltri, est unum castellum, quod vocatur Penna Billorum, ex quo olim traxerunt originem Malatestæ; quorum unus fuit miles probus Malatesta, qui propter magna beneficia factus est civis Arimini, factis sibi pulcris domibus, et (7) donatis immunitatibus. Ex prædicto natus est Malatesta miles audax, qui acquisivit dominium Arimini quum esset viginti duorum annorum; qui vicit comitem Guidonem apud montem Lorum (8), et

(1) E. asserunt.
(2) E. sed ista quam.
(3) E. viribus.
(4) E. præterit Forum Pompilium.
(5) E. Et vult finaliter dicere quod secundo Malatesta pater illius viri violentius teneat civitatem Arimini.
(6) Quanto leggesi da questo segno fino al successivo, manca nel Codice 116.
(7) E. et donationibus magnis; et ex.
(8) E. Clarum.

ab eo victus est apud pontem sancti Proculi. Hic genuit Johannem Sanchatum (1), qui interfecit Paulum fratrem suum simul cum Francisca. Item genuit Malatestinum, qui fuit monoculus, astutissimus tyrannus, qui successit patri in dominio, et ex eo natus est Ferantinus. Alius filius fuit ex præfato (2) Malatesta, nomine Pandulfus, qui regnavit post Malatestinum una cum Ferantino nepote suo. Ex Pandulfo nati sunt dominus Malatesta sagacissimus tyrannus, et dominus Galaotus strenuus armorum, qui diebus nostris fuerunt domini magnæ partis Marchiæ Anconitanæ. * Dicit ergo: *e 'l mastin vecchio,* idest Malatesta antiquus, qui fuit avus istius Malatestæ veteris viri sagacissimi, qui regnavit Arimini temporibus nostris, *e 'l nuovo,* idest Malatesta juvenis, qui vocatus est Malatestinus; quorum utrumque appellat Mastinum metaphorice, quasi velit dicere, ambo magni magistri tyrannidis. Mastinus enim est fortis, violentus et rapax, qui non de facili dimittit prædam, quam assannat (3): et dicit: *da Verruchio,* quia Veruculum est unum castellum in comitatu Arimini, a quo Malatestæ denominantur, quod arimineṇses olim dederunt (4) cuidam Malatestæ antiquissimo (5), ob eius magna merita in rempublicam. Tamen de rei veritate Malatestæ non fuerunt originaliter de Veruculo (6), immo de Montefeltro, de quodam castello, quod vocatur Penna Billorum. Sed autor nominavit (7) eos a loco notiori, a quo denominantur vulgo, et ipsimet se denominant. Et specificat utrumque Mastinum a quodam singulari actu tyrannicæ violentiæ, dicens: *che fecer di Montagna il mal governo.* Ad quod sciendum, quod Montagna est nomen proprium viri. Fuit enim

(1) E. Sargatum vel Sciancatum, qui. (2) S. primo Malatesta.
(3) E. assumit. (4) E. dederant.
(5) 116, antiquissimo cum pulcris domibus et magnis immunitatibus in civitate Arimini, ob eius magna.
(6) E. de Verruchio. (7) 116, denominat. — E. nominat.

Montagna nobilis miles de Parcitatis de Arimino, princeps partis ghibellinæ; quem captum cum quibusdam aliis Malatesta tradidit custodiendum Malatestino filio. Postea petivit ab eo, quid factum esset de Montagna. Cui iste (1) respondit: Domine, est sub fida custodia; ita quod si vellet se suffocare, non posset, quamvis sit juxta mare. Et dum iterum et iterum peteret, et replicaret, dixit: Certe dubito, quod nescies ipsum (2) custodire. Malatestinus, notato verbo, fecit Montagnam mactari cum quibusdam aliis. Ideo bene vocat Malatestinum Mastinum novum ab isto genere violentiæ, et ab alia peiore, de qua dicit in sequenti capitulo, ubi etiam facit mentionem de Arimino. Ideo dicit: *fan de' denti succhio,* idest, sugunt, emungunt (3) facultates hominum, *là dove soglion,* idest, in civitate Arimini, ubi solent sugere. — *La città.* Hic autor describit duas alias civitates Romandiolæ, scilicet Faventiam et Imolam a Domino suo. Et vult (4) sententialiter dicere, quod Maghinardus Paganus regit Faventiam (5); sed ad evidentiam istius literæ oportet breviter præscire quod Maghinardus prædictus fuit nobilis castellanus in montibus supra Imolam; qui sua probitate et felicitate ex parvo castellano factus est magnus dominus in Romandiola, ita quod habuit tres civitates, scilicet Forlivium, Faventiam et Imolam (6), sed non omnes simul. Unde est sciendum, quod in MCCXC Stephanus de Dinazano (7) romanus, comes Romandiolæ pro papa, fuit captus in civitate Ravennæ ab illis de Polenta die decima secunda novembris; propter quod Maghinardus Paganus cepit civitatem Faventiæ, et

(1) 116, ille. (2) S. eum.
(3) 116, et mungunt. — E. et mergunt facultates.
(4) E. Et vult finaliter dicere quod Maghinardus Paganus fuit nobilis.
(5) 116, Faventiam et Imolam, sed ad evidentiam. — S. Faventiam et Imolam sua probitate et felicitate. Sed ad evidentiam.
(6) 116, Imolam, licet non omnes simul. (7) E. Ghinazzano.

bononienses continuo subito [1] cursu ceperunt civitatem Imolæ, et rapuerunt steccata, et planaverunt foveas. Post hæc papa misit comitem Bandinum de comitibus Guidis de Romena [2], episcopum aretinum, qui reduxit terras [3] ad obedientiam per pacem et concordiam. Anno vero sequenti die vigesima tertia decembris, die dominica, de nocte dictus Maghinardus cum quibusdam nobilibus, furto accepit [4] civitatem Forlivii, in qua cepit comitem Aghinolfum [5] de Romena [6] fratrem dicti episcopi; deinde obsedit Cæsenam, ubi erat ipse comes Romandiolæ. Post hæc anno quinto, scilicet anno Domini MCCXCVI Maghinardus habens bellum cum bononiensibus propter Forlivium, quorum [7] dominium tunc tenebant bononienses, fecit [8] confœderationem cum Azone tertio marchione estensi, qui similiter parabat bellum contra bononienses, de quo [9] dicetur plenius Purgatorii capitulo V. Et kalendis aprilis venit cum exercitu contra Imolam, quam tenebant bononienses, ut dictum est; et cepit civitatem non sine magno damno et dedecore bononiensium, quorum cepit magnam multitudinem, quæ tunc erat ibi circa quatuor milliaria. Nunc ad propositum: autor describit ipsum Maghinardum a signo suo, et duas civitates, quas tunc tenebat, a fluminibus suis, dicens: *conduce il leoncel dal nido bianco,* idest Maghinardus de Susinana, qui portabat leonem azurrum in campo albo, *la città di Lamone,* idest Faventiam. Amon enim est fluvius, qui labitur juxta Faventiam, cuius vallis fertilissima est, *e di Santerno,* idest Imolam. Santernus [10] enim fluvius [11] labitur juxta Imolam et oritur in alpibus Apennini, qui olim vocabatur

(1) E. sub certo. (2) 116, Ravenna. (3) E. terram. (4) E. cepit.
(5) E. Aghinulphum. (6) 116, Ravenna. (7) E. cuius dominium.
(8) E. fecerunt ipsi bononienses confœderationem.
(9) S. ut dicetur plenius.
(10) E. Santernus est flumen, et oritur. (11) 116, fluvius est qui labitur.

Vaternus, sicut scribit Plinius in naturali historia. Et hic nota, lector, quod Imola olim vocata est Forum Cornelii. Unde Augustus ([1]) in cosmographia, quam fecit fieri de toto orbe, numerat Forum Cornelii inter civitates famosas, sicut scribit Albertus magnus in suo libello de Natura loci. Ideo autem sic dictum est, quia a Cornelio romano de clarissima familia Corneliorum, de qua fuerunt illustrissimi Scipiones, ædificatum est. Postea autem mutato nomine dicta est Imola ab imolando, quando conversa est ad fidem, unde dictum est: *imola Deo sacrificium laudis;* ab imolo ergo optimo verbo, quo frequenter utimur orando ad Deum, ut dicit ecclesia, præsertim in diebus pontificalibus: *cum pascha nostrum imolatus est Christus,* Imola denominata est. Hæc siquidem parva civitas sæpe magna et nobilia producit ingenia; sed ne suspectus testis videar in causa propria, audi breviter quod ([2]) dicat Magister Legendarum: *sunt,* inquit, *Cornelienses ingenio sagaces, facundia* ([3]) *eloquentes, viribus fortes, animis audaces, catholica fide pollentes etc.* Et adverte quod autor ponit istas duas civitates simul, quia eo tempore erant sub uno dominio Maghinardi; et sunt valde propinquæ per parvam distantiam octo milliariorum. Et subdit autor unum, quod vulgo videtur cedere ([4]), ad infamiam illius Maghinardi, scilicet quod erat ghibellinus in Romandiola, et guelphus in Tuscia; unde dicit: *che muta parte da la state al verno.* Hoc pro tanto dicit, quia Romandiola magis respicit septemptrionem, ideo est magis frigida; Tuscia vero magis respicit meridiem, et per consequens magis calida. Et hic nota, lector, quod non miror, si unus de Calabria non intelligit istud capitulum, cum ipsi habitatores provinciæ sæpe ignorent facta domestica, quæ sunt gesta

([1]) 116 e S. Augustinus.
([2]) S. quid dicat. — E. quid dicit.
([3]) E. facundiis.
([4]) E. credere.

in gremio patriæ. Unde volo te scire, quod iste Maghinardus tyrannus fuit de natione paganorum ghibellina [1] in Romandiola, et ubique; sed cum florentinis erat guelphus, et inimicus omnium inimicorum eorum, sive essent guelphi, sive ghibellini; et in omnibus bellis, donec vixit, fuit in obsequium et subsidium florentinorum. Hoc autem non fecit Maghinardus sine justissima causa, quoniam pater eius, nomine Paganus, tempore mortis, relinquens puerum [2] pupillum cum multis et magnis inimicis vicinis, scilicet Ubaldinis, comitibus Guidis, et aliis dominis Romandiolæ, dimisit eum sub custodia et tutela communis Florentiæ, a quo fuit bene custoditus et educatus; ideo ista de causa erat gratus et fidelis communi Florentiæ, quod bene probavit in conflictu apud [3] Bibenam, in quo ita attritæ [4] sunt vires partis ghibellinæ. — *E quella.* Hic autor describit aliam civitatem Romandiolæ, scilicet Cæsenam, quam ultimo reservavit, quia sola gaudens bono libertatis sub nullius tyrannide tunc erat. Describit autem eam a flumine suo, dicens: *E quella,* scilicet civitas Cæsena, *cui il Savio bagna il fianco.* Sapis enim est fluvius qui labitur ad latus Cæsenæ, *si vive in stato franco,* idest libero, *tra tirannia,* quia scilicet ab una parte, scilicet ab oriente, erant Malatestæ de Arimino; ex alia parte versus occidentem erant Ordelaffi de Forlivio; a septemtrione illi de Polenta in Ravenna; ideo dicit: *così com' ella siè tra 'l piano e 'l monte.* Cæsena enim est plana præter partem, quæ vocatur Murata, ubi est in monte pulcra Rocha. Et cum omnes civitates Romandiolæ sint fertiles, ista præ cæteris est fertilissima, et producit ficus optimas. Et finaliter autor

---

(1) E. ghibellinas in Romandiola. — 116, ghibellina, servans partem ghibellinam in Romandiola, et ubique.

(2) S. eum puerum.

(3) E. apud Riperiam, in quo ita acriter superavit vires.

(4) 116, arctatæ.

facta responsione plena ad quæsitum comitis Guidonis, quærit ab eo quis sit, dicens: *ora chi se', ti prego, che ne conte,* quod persuadet sibi dupliciter. Primo per benevolentiam, qua usus est erga eum, dicens: *non esser duro più,* scilicet ad respondendum mihi, *ch' altri sia stato,* scilicet quam ego fuerim ad respondendum tibi. Secundo adiurat ipsum per id, cuius viri illustres solent esse avidissimi, scilicet per famam; unde dicit: *se 'l nome tuo nel mondo tegna fronte,* idest si vigeat diu fama tua in posterum, quæ nunc est satis magna.

Poscia che 'l fuoco. Ista est tertia pars generalis præsentis capituli, in qua comes Guido volens propalare quis sit (¹), longa narratione aperit formam suæ vitæ mundanæ, videlicet modum suæ conversionis (²), et causam suæ damnationis. Et primo autor aptat ipsam flammam ad loquendum, dicens: *il fuoco,* scilicet flamma ignis intra quem latebat anima comitis (³), *mosse l' acuta punta di qua di là,* secundum quod movebat linguam interius. Donec enim Dantes sermonem suum fecit, flamma semper tendebat sursum propter naturalem motum; sed cum cœpit loqui, cœpit flecti ad formandam vocem, *poscia che ebbe rugghiato alquanto,* idest cum modicum murmurasset, *al modo suo,* idest sicut solebat facere, quando primo voluit (⁴) loqui, ut patuit supra in principio istius capituli; *e poi diè cotal fiato,* idest talem vocem qualis sequitur. Et comes facturus suam narrationem primo excludit unum quod dixerat autor de fama, et dicit quod non optat famam. Dicit ergo: *questa fiamma staria senza più scosse,* idest lingua mea non diceret plura verba, *s' io credessi che mia risposta fosse, a persona che mai tornasse al mondo:* non videbat comes autorem vivum, nec putabat ipsum reversurum ad mundum viventium. Sed hic

(¹) E. sit, narrans aperit.
(²) E. e 116, conversationis.
(³) E. istius comitis.
(⁴) 116, volebat.

in gremio patriæ. Unde volo te scire, quod iste Maghinardus tyrannus fuit de natione paganorum ghibellina [1] in Romandiola, et ubique; sed cum florentinis erat guelphus, et inimicus omnium inimicorum eorum, sive essent guelphi, sive ghibellini; et in omnibus bellis, donec vixit, fuit in obsequium et subsidium florentinorum. Hoc autem non fecit Maghinardus sine justissima causa, quoniam pater eius, nomine Paganus, tempore mortis, relinquens puerum [2] pupillum cum multis et magnis inimicis vicinis, scilicet Ubaldinis, comitibus Guidis, et aliis dominis Romandiolæ, dimisit eum sub custodia et tutela communis Florentiæ, a quo fuit bene custoditus et educatus; ideo ista de causa erat gratus et fidelis communi Florentiæ, quod bene probavit in conflictu apud [3] Bibenam, in quo ita attritæ [4] sunt vires partis ghibellinæ. — *E quella.* Hic autor describit aliam civitatem Romandiolæ, scilicet Cæsenam, quam ultimo reservavit, quia sola gaudens bono libertatis sub nullius tyrannide tunc erat. Describit autem eam a flumine suo, dicens: *E quella,* scilicet civitas Cæsena, *cui il Savio bagna il fianco.* Sapis enim est fluvius qui labitur ad latus Cæsenæ, *si vive in stato franco,* idest libero, *tra tirannia,* quia scilicet ab una parte, scilicet ab oriente, erant Malatestæ de Arimino; ex alia parte versus occidentem erant Ordelaffi de Forlivio; a septemtrione illi de Polenta in Ravenna; ideo dicit: *così com' ella siè tra 'l piano e 'l monte.* Cæsena enim est plana præter partem, quæ vocatur Murata, ubi est in monte pulcra Rocha. Et cum omnes civitates Romandiolæ sint fertiles, ista præ cæteris est fertilissima, et producit ficus optimas. Et finaliter an[illegible]

---

(1) E. ghibellinas in Romandiola. — 116, ghibellina, servans partem ghi[illegible]nam in Romandiola, et ubique.

(2) S. eum puerum.

(3) E. apud Riperiam, in quo ita acriter superavit vires.

(4) 116, arctatæ.

facta responsione [illegible]
quaerit ab eo quis [illegible]
ne comite. quod [illegible]
nevolentiam. qua [illegible]
duro più. scilicet [illegible]
scilicet quam [illegible]
adiurat ipsam per [illegible]
dissimi. scilicet per [illegible]
mondo tegno [illegible]
sterum. [illegible]

Poscia che [illegible]
sentis capituli [illegible]
sit [illegible] longa narratione [illegible]
videlicet modum [illegible]
damnationis. Et [illegible]
loquendum, dicens: [illegible]
quem latebat [illegible]
qua di là, secundum [illegible]
Donec enim Dantes [illegible]
per tendebat sursum [illegible]
coepit loqui. [illegible]
ebbe rugghiato [illegible]
set, *al modo suo*. [illegible]
voluit [illegible] loqui. [illegible]
tuli; *e poi die* [illegible]
tur. Et comes [illegible]
unum quod [illegible]
optat famam. [illegible]
scosse, idest [illegible]
credessi che [illegible]
al mondo [illegible]

[illegible] *der mio*
[illegible] tur sine
[illegible] habitum,
[illegible] pauperta-
[illegible] panem
[illegible] et multa
[illegible] de eius
[illegible] ius VIII:
[illegible] rdos, ta-
[illegible] n solum
[illegible] vixit im-
[illegible] *prenda,*
[illegible] lum sicut
[illegible] et rabie,
[illegible] *le le prime*
[illegible]. Et reddit
[illegible] *e voglio,*
[illegible] stute, *come*
[illegible] Bonifacius
[illegible] Nunc comes
[illegible] requisiverit
[illegible] neum, qui (5)
[illegible] licet expertissi-
[illegible] amen nova vita
[illegible] er minor. Dicit
[illegible] *di volpe,* quasi
[illegible] in bellis, quan-
[illegible] ibam aperte, sicut
[illegible] entre ch'io fui forma,
[illegible] *lpe,* idest, carne, *che*

---

(3) S. sumpsit.
(4) E. accidit; nam mortuus est.
[illegible] poterat, quia.

nota quod multi mirantur [1] de eo, quod iste comes renuit famam, quam quasi cæteri videntur petere et appetere. Dicendum breviter, quod ratio huius videtur esse, quod iste erat relapsus, quia renuntiaverat mundo et pompis eius, postea inciderat [2] in peius redeundo ad fraudes antiquas. Unde sicut vestis sumptuosa et apparens decuisset ipsum comitem, cum erat magnus dominus in mundo, et tamen dedecuisset eum, postquam factus est frater minor; ita astutia, quæ [3] cedebat sibi ad famam ante conversionem eius, dum erat tyrannus [4], cessit sibi ad infamiam. Unde subdit: *senza tema d' infamia ti rispondo,* quia non poteris referre nova de me ad mundum, *però che giamai di questo fondo non tornò vivo alcuno,* quia [5] in inferno non est dare recessum, *s' i' odo il vero.* Et verum dicit, quia qui assuescit et senescit in istis fraudibus, raro vel nunquam scit recedere. — *Io fui.* Hic iste comes breviter narrat formam suæ vitæ præteritæ, dicens: *io fui uom d' arme,* quia gessi multa et magna bella, ut satis patet ex jam dictis, *e poi fui cordigliero,* idest, in fine fui frater minor. Nam fratres minores in lingua gallica vocantur [6] *cordeliers,* cordilerii, a corda, quam cinctam portant. Et ecce quare [7] se fecit fratrem minorem: *credendomi, sì cinto, fare ammenda,* scilicet, sperans me sub tali habitu humilitatis [8], et paupertatis facere emendationem peccatorum, licet alii non crederent. Unde dominus Malatesta, cum narraretur sibi a quodam familiari, quod comes Guido erat factus frater minor [9], respondit: caveamus ergo ne fieret

---

(1) E. mirantur quod.
(2) E. inciderat in pœnas. — 116, reciderat in pœnis.
(3) E. quæ debebat sibi famam.
(4) S. tyrannus postea cessit sibi. — E. tyrannus postea cecidit sibi.
(5) E. quia ex isto inferno nulli est.
(6) E. vocantur *cordeliers,* cordellerii.
(7) S. causam quare.
(8) E. miseriæ et paupertatis.
(9) E. minor, providit ne fieret.

guardianus Arimini. Et dicit autor: *e certo il creder mio veniva intero;* signanter [1] dicit certe, quia videbatur sine dubio emendatus; nam devote assumpsit [2] habitum, humiliter servavit regulam, et patienter tulit paupertatem; unde sæpe visus est ire publice mendicando panem per Anconam, in qua mortuus est et sepultus; et multa audivi de eo, per quæ poterat satis sperari [3] de eius salute; *se non fosse il gran prete,* scilicet Bonifacius VIII: quamvis enim omnis papa dicatur summus sacerdos, tamen Bonifacius, temporaliter loquendo, fuit non solum magnus, sed maximus, quia primus fuit, qui vixit imperialiter et magnifice. Et dicit autor: *a cui mal prenda,* idest, cui malum accidat [4]: imprecatur sibi malum sicut de facto accidit, nam mortuus est in anxietate et rabie, ut sæpe tangitur in libro toto: *che mi rimise ne le prime colpe,* idest, in pristinas fraudes et artes belli. Et reddit auditorem attentum ad audiendum, dicens: *e voglio, che m' intenda,* scilicet, tu, quicumque sis, astute, *come e quare,* idest, qua forma, et qua de causa Bonifacius retraxit me in malas culpas. — *Mentre.* Nunc comes volens narrare causam, quare Bonifacius requisiverit eum, ostendit primo se visum fuisse idoneum, qui [5] perageret id quod ille petebat, quia scilicet expertissimus fuerat armorum in seculo; sed tamen nova vita prohibebat sibi, quia factus erat frater minor. Dicit ergo: *l' opere mie non furon leonine, ma di volpe,* quasi dicat: non tantum fui usus viribus [6] in bellis, quantum fraudibus, ita quod non pugnabam aperte, sicut olim galli, ut scribit Julius Cæsar, *mentre ch' io fui forma,* scilicet substantialis, *d' ossa e di polpe,* idest, carne, *che*

---

[1] 116, singulariter dicit, credo, quia. [2] S. sumpsit.
[3] S. e E. sperare. [4] E. accidit; nam mortuus est.
[5] E. qui perageret illud; et quod iste poterat, quia.
[6] 116, viribus bellicis.

nota quod multi mirantur (1) de eo, quod iste comes renuit famam, quam quasi cæteri videntur petere et appetere. Dicendum breviter, quod ratio huius videtur esse, quod iste erat relapsus, quia renuntiaverat mundo et pompis eius, postea inciderat (2) in peius redeundo ad fraudes antiquas. Unde sicut vestis sumptuosa et apparens decuisset ipsum comitem, cum erat magnus dominus in mundo, et tamen dedecuisset eum, postquam factus est frater minor; ita astutia, quæ (3) cedebat sibi ad famam ante conversionem eius, dum erat tyrannus (4), cessit sibi ad infamiam. Unde subdit: *senza tema d' infamia ti rispondo,* quia non poteris referre nova de me ad mundum, *però che giamai di questo fondo non tornò vivo alcuno,* quia (5) in inferno non est dare recessum, *s' i' odo il vero.* Et verum dicit, quia qui assuescit et senescit in istis fraudibus, raro vel nunquam scit recedere. — *Io fui.* Hic iste comes breviter narrat formam suæ vitæ præteritæ, dicens: *io fui uom d' arme,* quia gessi multa et magna bella, ut satis patet ex jam dictis, *e poi fui cordigliero,* idest, in fine fui frater minor. Nam fratres minores in lingua gallica vocantur (6) *cordeliers,* cordilerii, a corda, quam cinctam portant. Et ecce quare (7) se fecit fratrem minorem: *credendomi, sì cinto, fare ammenda,* scilicet, sperans me sub tali habitu humilitatis (8), et paupertatis facere emendationem peccatorum, licet alii non crederent. Unde dominus Malatesta, cum narraretur sibi a quodam familiari, quod comes Guido erat factus frater minor (9), respondit: caveamus ergo ne fieret

(1) E. mirantur quod.
(2) E. inciderat in pœnas. — 116, reciderat in pœnis.
(3) E. quæ debebat sibi famam.
(4) S. tyrannus postea cessit sibi. — E. tyrannus postea cecidit sibi.
(5) E. quia ex isto inferno nulli est.
(6) E. vocantur *cordeliers,* cordellerii.
(7) S. causam quare.
(8) E. miseriæ et paupertatis.
(9) E. minor, providit ne fieret.

guardianus Arimini. Et dicit autor: *e certo il creder mio veniva intero;* signanter [1] dicit certe, quia videbatur sine dubio emendatus; nam devote assumpsit [2] habitum, humiliter servavit regulam, et patienter tulit paupertatem; unde sæpe visus est ire publice mendicando panem per Anconam, in qua mortuus est et sepultus; et multa audivi de eo, per quæ poterat satis sperari [3] de eius salute; *se non fosse il gran prete,* scilicet Bonifacius VIII: quamvis enim omnis papa dicatur summus sacerdos, tamen Bonifacius, temporaliter loquendo, fuit non solum magnus, sed maximus, quia primus fuit, qui vixit imperialiter et magnifice. Et dicit autor: *a cui mal prenda,* idest, cui malum accidat [4]: imprecatur sibi malum sicut de facto accidit, nam mortuus est in anxietate et rabie, ut sæpe tangitur in libro toto: *che mi rimise ne le prime colpe,* idest, in pristinas fraudes et artes belli. Et reddit auditorem attentum ad audiendum, dicens: *e voglio, che m' intenda,* scilicet, tu, quicumque sis, astute, *come e quare,* idest, qua forma, et qua de causa Bonifacius retraxit me in malas culpas. — *Mentre.* Nunc comes volens narrare causam, quare Bonifacius requisiverit eum, ostendit primo se visum fuisse idoneum, qui [5] perageret id quod ille petebat, quia scilicet expertissimus fuerat armorum in seculo; sed tamen nova vita prohibebat sibi, quia factus erat frater minor. Dicit ergo: *l' opere mie non furon leonine, ma di volpe,* quasi dicat: non tantum fui usus viribus [6] in bellis, quantum fraudibus, ita quod non pugnabam aperte, sicut olim galli, ut scribit Julius Cæsar, *mentre ch' io fui forma,* scilicet substantialis, *d' ossa e di polpe,* idest, carne, *che*

---

(1) 116, singulariter dicit, credo, quia. (2) S. sumpsit.
(3) S. e E. sperare. (4) E. accidit; nam mortuus est.
(5) E. qui perageret illud; et quod iste poterat, quia.
(6) 116, viribus bellicis.

mia madre mi diè, quasi dicat: donec vixi in mundo in figura (¹) corporali humana, qua me genuit mater mea; et declarat hoc dicens: *io seppi gli accorgimenti,* quia fui totus circumspectus et oculatus, *e tutte le coperte vie;* unde Valerius Maximus dicit, quod vafritia magis petit laudem occulto tramite, quam aperta via, *e sì menai lor arte,* idest tam perite et caute, *ch' al fine de la terra il suono uscie,* idest, quod fama sonuit usque ad extremum occidentis, quia fama (²) stragis gallicæ trascendit alpes, et volvit per totam Galliam, ubi Johannes de Apia erat famosus, et sui strenui bellatores. Et ostenso, quæ poterant movere Bonifacium ad requirendum eum, ostendit quæ debebant revocare (³) eum, quia dimisso habitu militari induerat habitum religionis et pacis maxime contrarium. Unde tangit suam conversionem dicens, quod fecerat more periti nautæ. Unde dicit clare: *ciò che pria mi piacque,* scilicet in ætate præterita, et vita quam duxeram (⁴) in seculo, *allor m' increbbe,* idest, displicuit mihi, *quando mi vidi giunto in quella parte di mia etate,* scilicet in senectute, *dove ciascun dovrebbe calar le vele e raccoglier le sarte,* idest, funes. Et hic nota, quod metaphora est pulcerrima et propriissima. Sicut enim homo, qui diu navigavit, debet sibi providere de portu, in quo postea quiescat; ita homo, qui diu laboravit in isto mari fortuito (⁵), ut acquirat potentiam, gloriam et honorem, debet declinare velum gloriæ mundanæ, et colligere funes, idest fraudes, quibus navigavit, idest vitam suam duxit in mundo isto amaro et procelloso, et providere sibi de portu salutis æternæ, jactando anchoras suæ spei in Deum, et spernere mundum, dicens cum sapiente: *Vanitas vanitatum et*

(¹) 116, forma.
(²) E. fama fraudis gallicæ trascendit alpes et volavit.
(³) E. removere. (⁴) E. duxerat. (⁵) E. fortunoso.

omnia vanitas. Unde subdit: *e pentuto e confesso mi rendei,* quia scilicet dedicavi me Deo. Et hic nota quod prima pars [1] conversi peccatoris est contritio cordis; secunda confessio oris; tertia satisfactio operis: in qua tertia parte iste [2] asserit se impeditum a Bonifacio; ideo conqueritur et exclamat, dicens: *Ahi misero, lasso!* quasi dicat: dolenter refero: heu me miserum! *e giovato sarebbe,* nisi fuisset Bonifacius. — *Lo principe.* Hic comes ostendit, quare Bonifacius requisiverit eum, et ad quid; et dicit [3], quod ad gerendum bellum contra Columnenses. Ad cuius rei intelligentiam oportet [4] primo scire, quod anno Domini MCCXCVII, gravis seditio orta est Romæ. Nam papa Bonifacius, qui conceperat implacabile odium contra illos de Columna, quia Jacobus et Petrus duo cardinales de illa familia fuerant contrarii electioni eius; et quia Sciarra de Columna robaverat [5] quasdam salmas sui thesauri, mandavit, ut illi cardinales, deponerent capellos, insignia [6] cardinalatus. Quos, cum non parerent, et cæteros illius familiæ privavit omnibus beneficiis et honoribus. Eorum palatia in urbe fecit dirui, castella oppugnari, et capta æquavit solo, vel tradidit Ursinis, ut redderet eos infestos Columnensibus [7]. Et bannita cruce contra eos, obsedit civitatem Nepesinam, quam tandem habuit cum certis pactis. Deinde non valens capere Præneste civitatem inexpugnabilem, habito consilio audivit, quod comes de Montefeltro, qui erat in ordine minorum, solus poterat facere ipsum compotem voti, misit pro eo, rogans et suadens, ut

---

(1) E. pars confessionis est contritio cordis, secunda est confessio oris, tertia est satisfactio operis.

(2) 116, iste asserit se fuisse impeditum.

(3) E. dicit, ad aggrediendum bellum.

(4) 116, expedit.

(5) E. robavit quasdam.

(6) E. et insignia.

(7) E. Columnensibus; et bannita cruce, obsedit aliquot alia eorum castra, quæ tandem.

esset dux belli contra cardinales sibi adversos; quod cum constanter negaret, dixit Bonifacius: saltem me instruas, quomodo eos subiicere possim. Tunc ille: multa promitte, pauca serva de promissis. Bonifacius inventis mediatoribus dixit, se misericordia usurum, dummodo facerent illud quod deceret (1) magnitudinem animi et status sui. Cardinales continuo exhilarati, assumpta veste nigra, miserabili vultu (2) et habitu, supplices ad pedes eius procubuerunt, suam culpam confitentes (3), et veniam implorantes. Bonifacius illis increpatis promisit impunitatem, immo restitutionem in integrum. Petivit Præneste et obtinuit. Qua eversa fecit fieri civitatem in plano, quam vocavit civitatem papalem. Deinde nobilem et potentem virum Zannem de Cecano, attinentem eorum, subito captum, duro carceri mancipavit. Quare cardinales territi fugientes latuerunt per aliquot annos apud amicos eorum, ita ut (4) omnino nesciretur, utrum viverent, quia non audebant apparere aut se nominare. Papa illos tamquam iterum rebelles et relapsos, infra annum bannivit: cæteri de familia Columnensium dispersi (5) sunt per regiones diversas, usque quo Bonifacius fraude captus qua ceperat alios, per Sciarram de Columna, finem vitæ infeliciter terminavit. Nunc ad literam. Dicit comes: *Lo principe de' nuovi Farisei,* idest, papa, caput prælatorum et clericorum, quos autor vocat novos pharisæos metaphorice, *avendo guerra presso a Laterano,* idest, cum Columnensibus quorum domus sunt juxta Lateranum. Et aggravat istud bellum, tamquam iniustum, dicens: *e non con saracin, nè con giudei,* quasi dicat, imo cum christianis, cum quibus misericordius (6) erat agendum. Et declarat suum dictum, di-

---

(1) E. quod doceret magnitudinem status sui.
(2) E. vultu supplices. (3) 116, profitentes. (4) E. ut nesciretur.
(5) E. divisi sunt. (6) E. misericorditer.

cens: *chè ciascun suo nemico era cristiano* (1). Et si quis dicat: quamvis essent christiani tamen bene meruerant, hoc removet comes, dicens: *e nessuno era stato a vincer Acri,* quasi (2) dicat: nullus eorum juverat infideles, cum mercimoniis conferendo eis lucra vel commoda aliqua, in quibus causis (3) prælati solent procedere contra christianos. Sed ne dimittam aliquid obscurum, debes scire ad claram intelligentiam istius (4) literæ crudele excidium civitatis Acon, quod breviter fuit tale: anno Domini MCCXCI, Soldanus Babyloniæ Ægypti, facto maximo apparatu, cum innumerabili (5) exercitu transito deserto, venit in Syriam, et obsedit civitatem Acon. Causa autem huius obsidionis, sicut tulerunt multi et magni mercatores, qui fuerunt eo tempore ibi, dicitur fuisse talis. Satis constat, quod saraceni ante istud tempus abstulerant (6) christianis civitatem Antiochiæ, Tripolim, et alias terras, quas christiani tenere solebant ad maritimam (7). Quapropter Acon multum erat ampliata (8) viris et viribus, quia alia terra non tenebatur in Syria per christianos; ita quod rex Hierusalem, rex Cypri, princeps (9) Antiochiæ, congregatio templi, hospitale sancti Johannis, et aliæ aulæ, legatus papæ, et præsides, qui remanserant ibi pro rege Franciæ, et Angliæ, omnes faciebant caput in Acri, unde erant ibi forte decem et septem dominia, et singula habebant jurisdictionem sanguinis; quod pariebat magnam confusionem. Eo tempore fuerat treugua inter christianos et saracenos; et in Acon erant plusquam decem et octo millia peregrinorum ho-

(1) E. *cristiano,* quasi dicat nullus eorum fuerat infidelis, cum mercimoniis.

(2) 116, quasi dicat: nullus eorum iverat infidelis ad debellandum Athon. *Nè mercatanti in terra del Soldano,* quasi dicat: et non iverat infidelis cum mercimoniis.

(3) E. casibus prælati solent præcedere christianos.

(4) E. huius. (5) 116, mirabili. (6) 116, abstulerunt. (7) E. ad maritima.

(8) E. amplificata viris et mercibus, quia. — 116, viribus et juribus, quia.

(9) E. principes Antiochiæ.

minum signatorum cruce, qui deficientibus stipendiis dominorum et communium suorum cœperunt violare inducias (1), prædando et jugulando saracenos, qui veniebant Acon, sub securitate treuguæ, cum eorum mercibus et victualibus: similiter ibant in prædam per loca circumvicina. Propter quod soldanus graviter offensus, misit legatos ad res petendas, et puniendos violatores treuguæ, sicut est de antiquo jure gentium. Sed negato jure, soldanus cum maximo (2) potentatu venit supra civitatem; unde eius exercitus occupabat per duodecim milliaria. Et cum multitudine gentium replevit fossas profundas ex una parte, et ceperunt primum ambitum murorum, et secundum fecerunt cadere cum cuniculis (3) et operibus; et ceperunt magnam turrim, quæ vocabatur Maledicta. Sed cum toto hoc non poterat capi civitas, quia illud quod faciebant saraceni de nocte, christiani reficiebant de die, et obstipabant caveas cum saccis lanæ et bombicis (4). Et magister generalis templi, qui habebat custodiam, multa prudentia et probitate defendebat terram. Sed fato faciente fuit vulneratus in brachio cum una sagipta toxicata, cuius vulnere in paucos dies expiravit. Cuius morte christiani territi, facti sunt inordinati et discordes in defensione et custodia civitatis propter confusionem antedictam. Ex quo cœperunt omnes, qui poterant refugere, ad mare recedere. Ideo saraceni sine intermissione insistentes (5) operi, intraverunt civitatem cum furore, omnes trucidantes, omnia rapientes, et obduxerunt (6) in servitutem viros et mulieres (7) viventes. Et inter homines utriusque sexus sexaginta millia et ultra fuisse referuntur. Damnum rerum et personarum fuit infinitum: et in (8) demum ci-

(1) E. viduas. (2) 116, maxima potestate. (3) E. curriculis.
(4) E. bambacis. (5) E. insistentes intraverunt. (6) 116, adduxerunt.
(7) 116, juvenes. (8) E. et demum.

vitate sic spoliata, prostraverunt mœnia (1), et igne et ferro vastaverunt totam; ex quo christianitas tota recepit magnum damnum. Nam propter exterminium unius (2) non remansit aliqua terra in Terra Sancta pro christianis. Et omnes nobiles (3) urbes receperunt magnum præiudicium propter bonum situm illius civitatis, quia erat in fronte nostri maris in medio Syriæ quasi in centro mundi prope Hierusalem per septuaginta (4) milliaria; et erat fons et portus omnium mercantiarum tam orientis quam occidentis, et omnis generis hominum mundi omnium idiomatum, ita quod erat quasi quoddam elementum (5) mundi. Et nota, lector, quod istud non videtur accidisse sine justo judicio Dei, quia hæc civitas velut sentina erat repleta omni genere sordidorum vitiorum, plusquam alia, quæ tunc esset in orbe christiano. Nota etiam, quod hæc civitas Acon, olim vocata est Joppe; et olim capta et diruta fuit a Cestio duce romanorum tempore Neronis; deinde a Vespasiano (6) duce eiusdem Neronis (7), sicut scribit Josephus in libro de bello judaico. Ex dictis igitur videre potes, quod comes Guido volens ostendere, quod Columnenses non commiserant tam acre delictum, ut tam dirum (8) supplicium paterentur, dicit, quod nullus ipsorum fuerat præsens excidio Acon. His visis nunc veni (9) ad verbum principale: *nè guardò in se sommo officio, nè ordini sacri,* quia erat sacerdos et summus sacerdos, *nè in me,* supple, respexit, *quel capestro,* idest, illum funem beati Francisci, *che solea far li suoi cinti più macri,* scilicet fra-

(1) E. mœnia; igne et ferro vastaverunt terram.
(2) 116, huius.
(3) E. nobiles urbis.
(4) 116, 50 milliaria; et erat frons.
(5) E. alimentum.
(6) E. Vespiliano.
(7) 116, Neronis iterum fuit capta et eversa cum reintegraretur a piratis prædantibus mare; cives et profugi fugientes cum naviculis tempestate impulsis in scopulis miserabili naufragio perierunt, sicut scribit Josephus.
(8) S. e E. durum.
(9) E. venio.

tres minores, qui solebant esse macriores, quam sint; et sic vide, quod comes tangit tria, quæ non bene competebant rebus bellicis, scilicet summus pontificatus, et ordo sacerdotalis ex parte petentis, et habitus Francisci ex parte eius, a quo petebatur [1]. — *Ma come.* Nunc comes ostendit, quomodo Bonifacius requisiverit [2] eum, per unam nobilem comparationem. Et dicit breviter et clare, quod sicut Constantinus summus imperator petivit Silvestrum papam, ut daret sibi consilium contra molestum morbum suum; ita Bonifacius summus pontifex petivit comitem ipsum, ut daret sibi consilium contra ardorem [3] mentis eius. Dicit ergo: *ma questi,* scilicet Bonifacius, *mi chiese per maestro,* quia fueram magnus [4] praticus armorum longa experientia, et exercitio bellorum, *a guarir de la sua superba febbre.* Appellat febrem metaphorice iram Bonifacii, quæ inflammabat et incendebat [5] animum eius iniuste sicut febris [6] corpus a simili: *sì come Costantin chiese Silvestro dentro Siratti,* idest, montem Soractis, qui mons olim Hirpinorum, vel secundum alios Faliscorum, distat ab urbe romana per quadraginta milliaria; unde Constantinus revocavit Silvestrum, *a guarir de la lebbre,* quia eius caro erat infecta. Et hic nota, quod [7] hic mons Soractis est valde silvester et asper; sed clarius habetur apud paganos, quia fuit olim consecratus Apollini, ut patet apud Virgilium, et apud christianos, quia in eo latuit [8] primus pontifex Silvester re et etiam nomine, quia solitarius ibi fuit; de quo loco silvestri [9] et paupere recepit dotem, quæ postea ministravit alimentum uberrimum vitiis prælatorum, quia [10] fecit Bo-

---

(1) E. petebat. (2) E. requisivit. (3) S. molestum ardorem.
(4) S. magnus magister practicus (5) E. incrudelibat.
(6) 116, febris corporis a simili. — E. febris a simili in corpore, sì *come.*
(7) E. quod mons Soractes est valde silvestris.
(8) E. latuit pontifex Silvester.
(9) E. Silvester tunc pauper recepit. (10) 116, quæ fecit.

nifacium superbum. In hoc eodem monte latuit per biennium Arnulfus patruus Caroli magni, relicto regno Franciæ Pipino fratri suo (1). Et ultimo nota, quod comparatio proprie servit proposito: quia sicut Constantinus imperator quæsivit Silvestrum papam romanum, qui latebat intra montem ad agendam pœnitentiam, ut liberaret ipsum a lepra; ita Bonifacius papa romanus quæsivit comitem Guidonem urbinatem, qui erat intra claustrum ad agendam contemplationem, ut curaret ipsum a sua febre, idest a superba ambitione: et sicut Silvester timebat ire ad Constantinum timore mortis corporalis (timebat enim ne fieret martyr, sicut quasi omnes prædecessores sui); ita comes Guido recusabat (2) accedere ad Bonifacium timore mortis mentalis. Sed Silvester dedit sanius (3) consilium, et utilius remedium Constantino, quam comes (4) Bonifacio; quia ille docuit Constantinum assumere veram fidem; hic vero docuit Bonifacium fallere fidem datam; et declarat, quomodo requisitus fuit, et quomodo denegavit, dicens: *domandommi consiglio ed io tacetti,* scilicet prima facie recusans, *perchè le sue parole parver ebbre,* idest, ebriæ ira et malevolentia. — *E poi.* Hic comes ostendit, quomodo Bonifacius excusserit suspicionem, quam (5) videbat ortam in animo suo, quæ videbatur impedire responsum eius; unde dicit: *e poi mi disse:* scilicet, cum nollem sibi dare consilium, *tuo cor non sospetti,* idest, non dubitet (6) respondere mihi propter peccatum, quia, *fin' or t' assolvo,* idest, jam ex nunc te absolvo, scilicet a peccato committendo, *e tu m' insegna fare sì come getti in terra Penestrino:*

---

(1) 116, suo, et quia nimis vehementer visitabatur a suis venientibus Romam, transivit ad loca longiora, scilicet ad monasterium Benedicti celeberrimi, quod est in monte Cassino, qui locus describitur ab autore nostro Paradisi capitulo XXII. Et ulterius nota quod.

(2) E. recusat.

(3) E. sanum.

(4) E. comes Guido Bonifacio.

(5) E. quam habebat ortam.

(6) E. non dubites.

quia jam cœperat (1) destruere Præneste, sicut postea fecit. Fuit autem Præneste civitas antiquissima prope Romam; de qua sæpissime facit (2) mentionem Titus Livius, quæ sæpe rebellavit romanis, et sæpe capta est. Similiter et civitas Nepesina, quæ fuit in confinibus Tusciæ, de qua dictum est paulo supra. Et subdit (3) confirmans dictum suum ratione (4) se posse absolvere eum ante peccatum perpetratum, quia papa potest omnia, et quædam alia, unde dicit: *lo ciel poss' io serrare e disserrare,* idest, aperire clausum propter peccatum, *come tu sai,* idest, scire debes, quia es christianus et frater minor, *però son due le chiavi,* scilicet, scientia et auctoritas, quasi dicat: Tu scis, quod (5) sum papa, et homo magnæ scientiæ, et sic erat. De istis clavibus dicetur plene nono capitulo Purgatorii. Et dicit: *che 'l mio antecessor,* scilicet, Cœlestinus, *non ebbe care,* quasi dicat irrisive, quia fuit unus ignarus. Ita dicebat Julius Cæsar de Lucio Sylla, quod ignoraverat literas, quia renuntiaverat dictaturæ. Bonifacius autem nunquam potuit compelli metu mortis renuntiare papatui. — *Allor.* Hic comes narrat, quomodo fuerit persuasus verbis Bonifacii, dicens: *gli argomenti gravi,* idest, fortes rationes istius gravissimi sancti patris, quæ tamen erant inefficaces in hac parte, quia illud dictum evangelicum: *quodcumque ligaveris super terram,* debet intelligi clave non errante; quia id possumus, quod de jure possumus. *Là 've 'l tacer mi fu avviso il peggio,* scilicet, ad satisfaciendum voluntati, quia malum videbatur mihi respondere, sed peius tacere; quasi dicat: Bonifacius astutissimus circumvenit me astutissimum verbis suis, quia non poteram ulterius honeste vel tute me excusare,

(1) E. e S. conceperat.
(2) 116, fecit mentionem.
(3) E. Sed subdit.
(4) 116, ratione, scilicet, quod posset.
(5) 116, quia.

quia nolebam negare potestatem summi pontificis, qui (1) dicitur Deus in terris, aut eius scientiam et prudentiam magnam. Et sic comes, dum nititur se excusare, accusat; quia voluit potius contra conscientiam complacere Bonifacio, quam displicere illi pro salute animæ suæ; ideo dedit consilium placiturum (2) ei; unde dicit: *E dissi: padre, da che tu mi lavi di quel peccato, ove mo cader deggio,* idest, o papa (3), qui dicitur pater patrum et vocatur pater sanctus: *lunga promessa con l' attender corto,* idest, cum brevi et parva observatione, *ti farà trionfar nell' alto seggio,* idest, in sede papali, in curia (4) romana, qua nulla est altior inter christianos. Sed certe nullus dux romanus iniustus (5) unquam triumphavit de hostibus, quam iste de civibus suis. Pro quibus devictis, non dabatur olim triumphus a romanis, ut patet plene apud Valerium de jure triumphandi (6); et dicit: *da che tu mi lavi,* tota aqua Tiberis non lavasset eum, *di quel peccato, ove mò cader deggio.* Bene cognoscebat se peccare (7). Et hic nota, quod aliqui volentes subtilizare in rebus grossis, dicunt, quod istud consilium potest trahi ad bonum sensum, ita (8) ut litera exponatur sic: *promittas magna, et observa cito quæ promiseris, et adimple,* sed quidquid dicant (9), totum est falsum et ridiculum; nam pervertunt penitus mentem autoris, quia, ut patet evidentissime ex ista litera (10), comes vult quod propter istud consilium sit damnatus. Unde dicit paulo infra: *perchè diede'l consiglio frodolente.*—*Francesco.* Nunc comes, jam enarrata causa suæ damnationis, narrat ipsam finalem damnationem dicens: *Francesco,* scilicet, protector meus, *venne poi per me,* tamquam pro fratre ordi-

(1) E. qui est Deus.
(2) E. placitum.
(3) E. o pater.
(4) E. civitate romana.
(5) E. iniustius.
(6) E. triumphi.
(7) E. peccaturum.
(8) 116, ita quod.
(9) 116, dicatur.
(10) E. litera, vult quod comes per istud.

quia jam cœperat ([1]) destruere Præneste, sicut postea fecit. Fuit autem Præneste civitas antiquissima prope Romam; de qua sæpissime facit ([2]) mentionem Titus Livius, quæ sæpe rebellavit romanis, et sæpe capta est. Similiter et civitas Nepesina, quæ fuit in confinibus Tusciæ, de qua dictum est paulo supra. Et subdit ([3]) confirmans dictum suum ratione ([4]) se posse absolvere eum ante peccatum perpetratum, quia papa potest omnia, et quædam alia, unde dicit: *lo ciel poss' io serrare e disserrare,* idest, aperire clausum propter peccatum, *come tu sai,* idest, scire debes, quia es christianus et frater minor, *però son due le chiavi,* scilicet, scientia et auctoritas, quasi dicat: Tu scis, quod ([5]) sum papa, et homo magnæ scientiæ, et sic erat. De istis clavibus dicetur plene nono capitulo Purgatorii. Et dicit: *che 'l mio antecessor,* scilicet, Cœlestinus, *non ebbe care,* quasi dicat irrisive, quia fuit unus ignarus. Ita dicebat Julius Cæsar de Lucio Sylla, quod ignoraverat literas, quia renuntiaverat dictaturæ. Bonifacius autem nunquam potuit compelli metu mortis renuntiare papatui. — *Allor.* Hic comes narrat, quomodo fuerit persuasus verbis Bonifacii, dicens: *gli argomenti gravi,* idest, fortes rationes istius gravissimi sancti patris, quæ tamen erant inefficaces in hac parte, quia illud dictum evangelicum: *quodcumque ligaveris super terram,* debet intelligi clave non errante; quia id possumus, quod de jure possumus. *Là 've 'l tacer mi fu avviso il peggio,* scilicet, ad satisfaciendum voluntati, quia malum videbatur mihi respondere, sed peius tacere; quasi dicat: Bonifacius astutissimus circumvenit me astutissimum verbis suis, quia non poteram ulterius honeste vel tute me excusare,

---

([1]) E. e S. conceperat.
([2]) 116, fecit mentionem.
([3]) E. Sed subdit.
([4]) 116, ratione, scilicet, quod posset.
([5]) 116, quia.

quia nolebam negare potestatem summi pontificis, qui (1) dicitur Deus in terris, aut eius scientiam et prudentiam magnam. Et sic comes, dum nititur se excusare, accusat; quia voluit potius contra conscientiam complacere Bonifacio, quam displicere illi pro salute animæ suæ; ideo dedit consilium placiturum (2) ei; unde dicit: *E dissi: padre, da che tu mi lavi di quel peccato, ove mo cader deggio,* idest, o papa (3), qui dicitur pater patrum et vocatur pater sanctus: *lunga promessa con l'attender corto,* idest, cum brevi et parva observatione, *ti farà trionfar nell' alto seggio,* idest, in sede papali, in curia (4) romana, qua nulla est altior inter christianos. Sed certe nullus dux romanus iniustus (5) unquam triumphavit de hostibus, quam iste de civibus suis. Pro quibus devictis, non dabatur olim triumphus a romanis, ut patet plene apud Valerium de jure triumphandi (6); et dicit: *da che tu mi lavi,* tota aqua Tiberis non lavasset eum, *di quel peccato, ove mò cader deggio.* Bene cognoscebat se peccare (7). Et hic nota, quod aliqui volentes subtilizare in rebus grossis, dicunt, quod istud consilium potest trahi ad bonum sensum, ita (8) ut litera exponatur sic: *promittas magna, et observa cito quæ promiseris, et adimple,* sed quidquid dicant (9), totum est falsum et ridiculum; nam pervertunt penitus mentem autoris, quia, ut patet evidentissime ex ista litera (10), comes vult quod propter istud consilium sit damnatus. Unde dicit paulo infra: *perchè diede 'l consiglio frodolente.* — ***Francesco.*** Nunc comes, jam enarrata causa suæ damnationis, narrat ipsam [illegible]alem damnationem dicens: *Francesco, scilicet,* protec[illegible] meus, *venne poi per me,* tamquam pro fratre ordi-

(1) E. qui est Deus.
[illegible]ter.
[illegible]us.
[illegible]rum.
[illegible]r.

(2) E. placitum.
(4) E. civitate romana.
(6) E. triumphi.
(8) 116, ita quod.
(10) E. litera, vult quod comes per istud.

nis sui ut me secum portaret in cœlum, *com' io fui morto,* quia statim anima separata portatur ad gloriam vel ad pœnam, *ma un de' neri,* * idest, quidam angelus malus occurrens Francisco tamquam bono * [1], *cherubini ardenti,* in amore Dei, *li disse: nol portar,* scilicet tecum, *non mi far torto,* quia iniquum est velle usurpare aliena jura, iste autem est mei juris; ideo: *venir sen dee qua giù,* scilicet, ad infernum, *trai miei meschini,* scilicet, inter miseros et infelices damnatos; et ecce causam, *perchè diede il consiglio frodolente,* scilicet Bonifacio, *dal quale in qua stato gli sono ai crini;* quasi dicat: a quo tempore citra tenui eum per capillos et habui eum in potestate mea. Et in [2] hoc nota, lector, quod non debes imaginari, quod ista pugna et contentio fuerit inter sanctum Franciscum et diabolum tempore mortis istius; sed autor subtiliter [3] hoc fingit, quia imaginatur quod iste comes habuerit hanc luctam mentis in morte, quia ex una parte dicebat in animo suo: tu debes sperare salutem quia vere pœnitens intrasti ordinem Francisci, licet tarde, sed pœnitentia numquam potest esse tarda, quia melius est dare parum quam nihil; et hoc vult dicere quod Franciscus erat pro eo; ex alia vero parte arguebat in oppositum contra se, dicens: tu semper duxisti vitam tam longam in fraudibus; tu tantum et totiens fudisti sanguinem humanum; tu bis es relapsus in [4] errore, semel in seculo et iterum in claustro; et sic remorsus conscientiæ damnabat eum; ideo bene dicit [5] quod Minos judicavit [6] eum. Unde ulterius debes scire quod comes Guido anno Domini MCCLXXXXVI [7] cum diu tenuisset Romandiolam [8] venit ad obedien-

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(2) 116, Et hic nota.
(3) E. specialiter.
(4) E. in crimine. — 116, in errorem.
(5) 116, e E. fingit.
(6) E. dijudicaverit eum.
(7) 116 e E. 1286.
(8) E. Romandiolam ad obedientiam ecclesiæ et papæ, venit Honorius qui tunc sedebat, et misit.

tiam ecclesiæ, et papa Honorius qui tunc sedebat, misit eum ad confinia in Pedemontium ad civitatem Astensem; et misit pro comite in Romandiolam Guglielmum Durantem de provincia, qui fuit magnus jurisperitus. Fecit enim librum qui intitulatur speculum in jure civili, unde et a juristis vocatur speculator; sed post duos annos comes Guido ruptis confinibus venit Pisas, factus capitaneus pisanorum (1) cum ampla potestate tempore acerbæ mortis comitis Ugolini. Deinde comes narrat quomodo diabolus occurrit, et respondit (2) quæstioni tacitæ quam potuisset facere Franciscus; potuisset enim dicere ad excusationem comitis (3): nonne papa absolvit eum ante factum? Respondet diabolus: certe non, quod probat, dicens: *ch' assolver non si può, chi non si pente,* quod patet per diffinitionem pœnitentiæ. Pœnitentia enim est præterita peccata plangere, et iterum plangenda non committere; ideo dicit: *nè pentire e volere insieme puossi, per la contradizion che nol consente.* Dicere enim quod quis absolvatur de crimine nondum facto, est dicere quod pœniteat et non pœniteat, quod est implicare conditionem (4). — *Oimè.* Hic comes narrat quomodo ratio diaboli prævaluit et datus est sibi; ideo exclamat præ (5) dolore: *oimè,* idest, heu me miserum, *dolente come mal mi riscossi,* idest, quam male potui me redimere a ratione diaboli. Ita (6) dicebat ratio (7) diabolica comiti in morte: Ah infelix! tu peccasti sub spe futuræ veniæ, quod est peccare in spiritum sanctum, *quando mi prese, dicendomi: tu non pensavi forse che loico fossi,* sed bene scio respondere tuis argumentis sophisticis, quia nihil profuit tibi (8)

(1) E. pisanorum, qui cum ampla potestate fuit tempore.
(2) E. respondet.
(3) E. ipsius comitis.
(4) E. contradictionem.
(5) 116, pro dolore.
(6) S. ita quod dicebat.
(7) 116, tentatio diaboli comiti.
(8) E. tibi tua logica.

uti logica in fallendo conscientiam tuam, quæ est justus judex; ideo bene dicit: *a Minos mi portò,* qui figurat judicium conscientiæ, ut jam sæpe dictum est, et tangit actum judicis dicens, *e quegli,* scilicet, Minos de more suo, *attorse otto volte la coda al dosso duro,* quia in fine conscientia post examinatam causam se condemnat; ideo Minos damnavit eum ad octavam bulgiam, *e disse: questi è de' rei,* idest de peccatoribus, *del fuoco furo,* quia omnis flamma involat unum peccatorem, ut dictum fuit supra in litera, *poi ch' ella si morse,* scilicet illam caudam, *per gran rabia,* scilicet desperationis. Et concludit comes suam narrationem, dicens: *perchè,* idest, propter quod peccatum principale, *son perduto, là dove vedi,* scilicet inter istas vulpes (1) veternosas, *e andando sì vestito,* scilicet flamma ardenti, *mi rancuro,* idest, doleo vel conqueror. — *Quand' egli.* Hic ultimo autor describit recessum comitis Guidonis a se, et recessum eorum de (2) octava cum accessu ad nonam, dicens: *la fiamma si partio dolorando,* quasi diceret: quid valent nostra ingenia? quid cautelæ? (3) melior et utilior erat bona simplicitas. Ideo dicit: *torcendo e dibattendo il corno acuto,* idest, linguam, quia commemoratio præteritorum malorum auxerat sibi pœnam, vel quia cum aliquali alleviatione pœnæ fuerat locutus cum autore, ut dictum est supra; nunc revertebatur ad primum (4) statum facto fine suæ narrationi; ideo dicit: *quand' egli ebbe così compiuto il suo dir,* et ipso sic recedente, *noi el io e 'l duca mio, passammo oltre,* quasi dicat: ambo recessimus simul, *su per lo scoglio;* steterant enim in medio culmine pontis, donec Virgilius fuerat locutus cum Ulyxe et Dantes cum comite, et nunc transiverunt reliquam medietatem pontis, et pervenerunt ad introitum alterius bulgiæ nonæ. Unde

(1) E. nubes veternosas.
(2) E. de octava bulgia et accessio ad.
(3) 116, cautelæ ibi? melior.
(4) E. pristinum.

dicit: *infino in su l' altro arco,* idest pontem ([1]) novum curvatum in modum arcus, *che copre il fosso,* idest bulgiam nonam concavam et capacem multarum pœnarum unius culpæ, quia in ea puniuntur scismatici; et sic tangit materiam sequentis capituli, cum dicit: *in che si paga il fio,* idest, in quo fosso solvitur feudum, idest, debita solutio et punitio, *a quei,* scilicet, scismaticis, *che acquistan carco,* idest, onus culpæ vel pœnæ, *scommettendo,* idest, detrahendo et seminando discordiam. Et in hoc terminatur capitulum præsens, in cuius expositione fuit opus pluribus verbis, quia nova moderna sunt magis ignorata quam vetera.

([1]) 116 e E. pontem nonum.

CANTUS VIGESIMUS OCTAVUS, *in quo tractatur de nona bulgia, in qua ponit scismaticos fessos a dæmonibus et scissos membris multis modis sub titulo Machometti et Pieri de Medicina decurii de Roma; et domini Beltrami del Bornio, et Muscæ de Lambertis et aliorum multorum.*

Cui poria mai pur con parole sciolte. Postquam in duobus capitulis proxime præcedentibus autor noster tractavit et determinavit de pœna astutorum, qui puniuntur igne in octava bulgia, nunc consequenter in presenti capitulo XXVIII agit et tractat de pœna scismaticorum qui puniuntur ferro in nona bulgia. Et totum capitulum potest dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor describit pœnam scismaticorum in generali. In secunda describit pœnam unius scismatici (1) antiqui, qui excessit omnes scismaticos mundi, qui explicat modum pœnæ omnium, et unum modernum prænuntiat ibi damnandum, ibi: *Già veggia.* In tertia, describit pœnam alterius scismatici moderni qui prænunciat mortem miserabilem quorumdam, et manifestat unum socium antiquum, ibi: *Un altro.* In quarta et ultima describit pœnas duorum modernorum scismaticorum, ibi: *Et un ch' avea.* Ad primum dico quod autor agit et tractat de pœna generali scismaticorum: et quia ista pœna consistit in multitudine et diversitate plagarum incomprehensibili, ideo autor incipit a quadam exclamatione et petit cum admiratione; et dicit breviter et summarie: quis scriptor rerum gestarum posset describere sufficienter in prosa, nedum in versu, varietatem et in-

---

(1) E. scismatici antiqui in speciali, qui.

finitatem vulnerum quæ nunc vidi? quasi dicat: certe nullus; ideo expone sic literam: *chi,* idest, quis historiographus, *poria mai dicere;* dicere est proprium oratorum [1], *del sangue e de le piaghe a pieno, ch' i' ora vidi,* scilicet, modo cum oculo mentali in nona bulgia, *per narrar* vel *parlar più volte,* quasi dicat: posito quod repeteret pluries, nedum semel, eamdem materiam, *pur con parole sciolte,* idest, solutis a lege metri, solum in stylo prosaico, nedum aliquis poeta in metrico. Unde nota quod facilius est scribere prosaice quam metrice, sive quis scribat literaliter, sive vulgariter; nam prosa assimilatur stratæ per quam late et publice incedunt homines, animalia [2], plaustra et omnia; metrum vero assimilatur [3] semitæ per quam itur anguste et cum difficultate. Unde videmus quod mille scribunt in prosa, non unus in versu; vult ergo autor in effectu dicere, quod nullus posset facere in prosa illud quod ipse [4] attentat facere in metro. Et respondet sibi ipsi dicens, quod vere nullus posset hoc facere plene, dicens: *ogni lingua,* quæcumque esset lingua, et quantumcumque diserta, *per certo verria meno,* idest deficeret in tali narratione etiam si esset ferrea: et reddit rationem, *per lo nostro sermone,* qui [5] non sufficeret ad explicandam innumerabilitatem, *e per la mente,* quia nulla memoria sive naturalis, sive artificialis esset susceptiva vel retentiva tot et tam variarum formarum. Ideo autor dicet tantum de quibusdam speciebus, *c' hanno poco seno,* idest, modicam capacitatem, *a comprender tanto,* idest, tantam quantitatem et tantum numerum. Et hic nota quod autor merito hoc fingit, quia neque ingenio potest comprehendi, nec sermone explicari multitudo plagarum factarum in mundo

---

(1) E. oratoris.
(2) E. et animalia omnia.
(3) 116, assimilatur monti per quem.
(4) E. quod ipse in metro.
(5) 116, quia non.

isto per linguas maledicas (1) detractorum. — *Se s' adunasse.* Hic autor ad roborationem (2) sui dicti ostendit, quod non potest reperire comparationem dignam ad explicandam tantam multitudinem vulnerum; unde breviter percurrit et perstringit multa prœlia facta diversis temporibus in Italia, in quibus facta fuit magna cædes et strages hominum; et ex hoc concludit quod multitudo et multiplicitas vulnerum factorum in illis prœliis est nulla respectu plagarum quas vidit hic. Tangit ergo quinque prœlia, quorum primum (3) est illud antiquissimum, quod gestum est inter Eneam (4) quando primo venit in Italiam, et Turnum regem Rutilorum, in quo facta est magna cædes hominum, de quibus (5) plene dixi primo capitulo huius Inferni; ideo (6) nihil repeto quia alia sunt necessario dicenda hic. Dicit ergo: *se s' adunasse ancor,* idest, resurgeret et congregaretur in unum, *tutta la gente,* scilicet bellatrix, *che già fu dolente del suo sangue,* idest, de sui sanguinis effusione, quia cæsa et vulnerata in prœlio, *per li troiani,* scilicet qui venerunt in Italiam cum Enea, qui (7) fuerunt victores cum eo; ideo dicit: *in su la fortunata terra di Puglia,* quæ fuit fortunata victoribus, sicut a simili in capitulo XXXI vocat terram fortunatam in Africa, ubi Scipio habuit victoriam de Hannibale; vel appellat (8) forte terram Apuliæ fortunatam, quia in ea facti sunt tot terribiles conflictus bellorum, sicut statim sequitur de aliquibus. — *E per.* Hic tangit secundum prœlium quod factum est in terra Apuliæ famosissimum omnium prœliorum romanorum; ad quod plene sciendum, longam historiam brevi narratione perstringam. Est igitur sciendum quod Amilcar dux car-

(1) S. maledictas.
(2) E. probationem.
(3) S. unum, scilicet primum.
(4) E. Eneam et Turnum regem.
(5) E. de quo.
(6) E. ideo non repeto.
(7) E. et qui.
(8) E. appellat terram fortunatam Apuliæ infelicem, scilicet quia.

thaginensium, qui a suis dictus est alter Mars deus belli, habuit quatuor filios, scilicet, Hannibalem, Asdrubalem, Hannonem et Magonem, quos gloriabatur enutrisse (1) tamquam quatuor leunculos, in perniciem populi romani, sed verius in excidium (2) ipsorum, et suæ patriæ, ut ait Valerius. Huius filius primogenitus Hannibal natus cum armis, ardens odio romanorum, armis a pueritia assuetus, cum esset novem annorum, secundum Livium, vel undecim, secundum Plinium, patre sacrificante accedens ad aram juravit se, quam prius facultatem haberet, futurum inimicum populi romani; quod sacramentum ferox postea semper servavit usque ad mortem pertinacissime, ita ut nullum hostem infestiorem unquam Roma habuerat (3). Hannibal Sagunto capta et eversa, cum hyemasset (4) apud Carthaginem novam in Hispania, quæ Spartana dicta est, primo vere descendit in Galliam, et conciliatis sibi regulis (5) gallorum, magnis muneribus deduxit exercitum per medium gallorum usque ad Alpes, quæ dividunt Italiam a Gallia, spatio quinque mensium; cui ab (6) Alpibus descendenti primo occurrit Scipio pater Africani magni, et apud fluvium Ticinum (7), et Ti-

---

(1) E. enutrivisse. (2) 116, punitionem.

(3) 116, *habuerit. Hannibal igitur nondum aptus imperio per ætatem, primo juvenis valde militavit in Hispania sub Asdrubale cognato suo cum tanto favore militum, ut crederent patrem esse redditum sibi in filio, qui, patrem quem repræsentabat aspectu, in brevi factis antecessit. Igitur Asdrubale genero Hamilcaris interfecto in Hispania manibus cuiusdam hispani probissimi civis, dum Asdrubal interfecerat, Hannibal factus dux in locum cognati sui, totam Hispaniam ad sui placitum composuit; tandem quærens causam belli invasit Saguntum civitatem citerioris Hispaniæ, quæ libera erat ex pacto, sed semper amicissima romanorum non ignorans id esse principium belli romani, quam civitatem spatio sex mensium vel idcirca oppugnavit cum 150 militibus pugnatorum; et romanis trahentibus tempus in legionibus deduxit ad tantam extremitatem necessitate famis, quod saguntini pro magna parte aurum et argentum et omnia cara inieccerunt in ignem factum ad hoc in publico foro. Et aliqui usque ad mortem indomita virtute certaverunt, ita quod quasi omnes inter se consumpti sunt, pauci capti, civitas in cineres redacta. Hoc fuit primum opus Hannibalis, principium multorum et magnorum malorum.* Hannibal Sagunto capta etc.

(4) E. vernasset. (5) E. regibus. (6) E. ab aliquibus Alpibus.

(7) E. Ticinum a Ticinia cinctus, sic denominatus a flumine quæ hodie dicitur Papia et sic vocatur, vicit.

isto per linguas maledicas (1) detractorum. — *Se s' adunasse.* Hic autor ad roborationem (2) sui dicti ostendit, quod non potest reperire comparationem dignam ad explicandam tantam multitudinem vulnerum; unde breviter percurrit et perstringit multa prœlia facta diversis temporibus in Italia, in quibus facta fuit magna cædes et strages hominum; et ex hoc concludit quod multitudo et multiplicitas vulnerum factorum in illis prœliis est nulla respectu plagarum quas vidit hic. Tangit ergo quinque prœlia, quorum primum (3) est illud antiquissimum, quod gestum est inter Eneam (4) quando primo venit in Italiam, et Turnum regem Rutilorum, in quo facta est magna cædes hominum, de quibus (5) plene dixi primo capitulo huius Inferni; ideo (6) nihil repeto quia alia sunt necessario dicenda hic. Dicit ergo: *se s' adunasse ancor,* idest, resurgeret et congregaretur in unum, *tutta la gente,* scilicet bellatrix, *che già fu dolente del suo sangue,* idest, de sui sanguinis effusione, quia cæsa et vulnerata in prœlio, *per li troiani,* scilicet qui venerunt in Italiam cum Enea, qui (7) fuerunt victores cum eo; ideo dicit: *in su la fortunata terra di Puglia,* quæ fuit fortunata victoribus, sicut a simili in capitulo XXXI vocat terram fortunatam in Africa, ubi Scipio habuit victoriam de Hannibale; vel appellat (8) forte terram Apuliæ fortunatam, quia in ea facti sunt tot terribiles conflictus bellorum, sicut statim sequitur de aliquibus. — *E per.* Hic tangit secundum prœlium quod factum est in terra Apuliæ famosissimum omnium prœliorum romanorum; ad quod plene sciendum, longam historiam brevi narratione perstringam. Est igitur sciendum quod Amilcar dux car-

(1) S. maledictas.
(2) E. probationem.
(3) S. unum, scilicet primum.
(4) E. Eneam et Turnum regem.
(5) E. de quo.
(6) E. ideo non repeto.
(7) E. et qui.
(8) E. appellat terram fortunatam Apuliæ infelicem, scilicet quia.

thaginensium, qui a suis dictus est alter Mars deus belli, habuit quatuor filios, scilicet, Hannibalem, Asdrubalem, Hannonem et Magonem, quos gloriabatur enutrisse (1) tamquam quatuor leunculos, in perniciem populi romani, sed verius in excidium (2) ipsorum, et suæ patriæ, ut ait Valerius. Huius filius primogenitus Hannibal natus cum armis, ardens odio romanorum, armis a pueritia assuetus, cum esset novem annorum, secundum Livium, vel undecim, secundum Plinium, patre sacrificante accedens ad aram juravit se, quam prius facultatem haberet, futurum inimicum populi romani; quod sacramentum ferox postea semper servavit usque ad mortem pertinacissime, ita ut nullum hostem infestiorem unquam Roma habuerat (3). Hannibal Sagunto capta et eversa, cum hyemasset (4) apud Carthaginem novam in Hispania, quæ Spartana dicta est, primo vere descendit in Galliam, et conciliatis sibi regulis (5) gallorum, magnis muneribus deduxit exercitum per medium gallorum usque ad Alpes, quæ dividunt Italiam a Gallia, spatio quinque mensium; cui ab (6) Alpibus descendenti primo occurrit Scipio pater Africani magni, et apud fluvium Ticinum (7), et Ti-

---

(1) E. enutrivisse. (2) 116, punitionem.

(3) 116, *habuerit. Hannibal igitur nondum aptus imperio per ætatem, primo juvenis valde militavit in Hispania sub Asdrubale cognato suo cum tanto favore militum, ut crederent patrem esse redditum sibi in filio, qui, patrem quem repræsentabat aspectu, in brevi factis antecessit. Igitur Asdrubale genero Hamilcaris interfecto in Hispania manibus cuiusdam hispani probissimi civis, dum Asdrubal interfecerat, Hannibal factus dux in locum cognati sui, totam Hispa[illegible]am ad sui placitum composuit; tandem quærens causam belli invasit Saguntum [illegible]itatem citerioris Hispaniæ, quæ libera erat ex pacto, sed semper amicissima [illegible]anorum non ignorans id esse principium belli romani, quam civitatem spatio [illegible] mensium vel idcirca oppugnavit cum 150 militibus pugnatorum; et roma- rahen[illegible] in legionibus deduxit ad tantam extremitatem necessitate qu[illegible] magna parte aurum et argentum et omnia cara inie- [illegible] ad hoc in publico foro. Et aliqui usque ad mortem [illegible]nt, ita quod quasi omnes inter se consumpti sunt, [illegible]s redacta. Hoc fuit primum opus Hannibalis, prin[illegible]um malorum.* Hannibal Sagunto capta etc.

[illegible]

(5) E. regibus. (6) E. ab aliquibus Alpibus.

[illegible]inctus, sic denominatus a flumine quæ hodie dicitur

cinum civitatem sic denominatam a flumine, quæ hodie vocatur Papia, vicit Scipionem equestri certamine, qui graviter vulneratus fuit in acie, sed liberatus a filio, qui postea istud [1] bellum feliciter terminavit, perductus est Placentiam. Ibi fuit secundum prœlium Hannibalis apud flumen Trebiam cum Sempronio Longo collega ipsius consulis Scipionis, qui veniens de Sicilia per mare Ariminum, et deinde Placentiam per terram, videns socium vulnere gravatum, desiderans solum gloriam victoriæ, pugnavit incaute [2] cum Hannibale duce cautissimo; qui cum esset frigus rigidissimum, positis primo insidiis, provocavit eum in pugnam ultra flumen, ita quod exercitus romanus fame affectus [3] et frigore contractus, fuit faciliter debellatus a militibus Hannibalis, qui fuerant præparati ad pugnam cibo et igne refecti et resumpti; multi ergo prostrati fuerunt in prœlio, multi suffocati in flumine, plures Placentiam evaserunt. Ideo bene eleganter Florus breviator Livii ait: horribile dictu, homines a meridie et sole venientes nostra nos hyeme vicerunt. Deinde Hannibal transivit Apenninum montem in Tusciam, contra quem venit Gaius Flaminius consul vir ardentis ingenii, animosior quam cautior vel felicior, qui concurrit cum Hannibale apud lacum Transimenum, qui nunc dicitur Perusinus, sub montibus Cortonæ. Ibi Hannibal usus est artibus suis; nam exercitum romanum clausum a dextra lacu, a sinistra monte, a tergo circumvenit insidiis, et eius consilium adiuvit nebula ex lacu proximo surgens tam densa, ut quasi omnem [4] usum visus eriperet: ibi pugnatum est cum tanto fervore, quod in pugna, quæ duravit tribus horis, nullus sensit terræmotum, qui tunc fuit tam terribilis, quod concussit terras et maria per totam Italiam, urbes ever-

---

(1) S. e E. illud.
(2) E. tandem.
(3) S. afflictus.
(4) 116, omnem visum eriperet.

tit, flumina retrovertit [1], juga montium subvertit. Consul, cuius temeritate exercitus erat perductus ad tantum discrimen, ardenter et fortiter pugnavit, donec transfixus fuit hasta a quodam equite [2] italicæ originis; quo mortuo, fuga omnium facta est multis periculis. Quindecim millia romanorum in eo prœlio perierunt secundum sententiam [3] Titi Livii; alii tamen scripserunt vigintiquinque; decem millia evadentes Romam [4] redierunt: ex hostibus solum mille quingenti ceciderunt, et tale fuit tertium prœlium [5] Hannibalis. Quartum prœlium pessimum omnium fuit apud Cannas vilem vicum Apuliæ, qui nobilitatus est clade romanorum. Ibi Hannibal locaverat castra apud ripam fluminis Aufidi versus septemtrionem, ita ut haberet a tergo solem, et ventum illius regionis, qui [6] continuo ibi jacit arenam et pulverem aridam. Romani vero habentes castra in eadem ripa illius fluminis per contrarium habuerunt omnia adversa. Sed nihil infestius fuit quam discordia consulum; quorum alter Lucius Æmilius Paulus, vir vere nobilis et prudens, et qui, secundum consilium sanissimum sibi datum a sapientissimo Fabio Maximo, deliberate et provide omnia volebat; alter vero consul Varro plebeius filius macellarii, et ipse macellarius, vir præceps, temerarius, quem magna pars exercitus sequebatur. Hannibal astutissimus qui nihil ignorabat, primo dispositis de more insidiis, provocavit Varronem in pugnam die qua habebat imperium, quem Paulus invite [7] subsecutus est, ne rempublicam desereret trementem in illius temeritate; crudele et cruentum prœlium factum est non solum opera providentissimi [8] Hannibalis, sed incommoditate so-

(1) E. divertit
(2) S. milite italicæ.
(3) S. summam.
(4) E. Romani.
(5) S. e E. bellum.
(6) E. quia continuo ibi jacet.
(7) 116, invicem.
(8) E. prudentissimi.

lis, pulveris et venti turbante oculos et facies romanorum. Sicut enim ad Trebiam frigus militavit contra romanos pro hostibus, et apud Transimenum nebula, sic ad Cannas quasi omnia elementa. Consul Paulus innocens vulneratus cum posset evadere, potius voluit honeste [1] mori. Varro causa totius mali turpiter fugiens cum quinquaginta equitibus Venusiam pervenit: perierunt in eo prœlio octuaginta senatores, duo quæstores, tribuni militum viginti unus, et aliquot viri consulares, prætorii, ædilicii; perdita sunt quadraginta millia peditum, equitum duo millia septingenti. Aliqui tamen scripserunt quod omnes isti pedites [2] et equites fuerunt legionarii, et quod fuerunt totidem numero ex civibus et sociis romanis. Ipse crudelis Hannibal ex cadaveribus occisorum fecit fieri pontem in flumine proximo per quem suum traduxit [3] exercitum. Et certe illo die romanum imperium fuisset in summo discrimine, si Hannibal voluisset uti consilio Maherbalis, qui unus ardentissimus suorum ducum, cum Hannibal cum suis gloriaretur de tam felici victoria clamavit: *Hannibal, die quinto epulaberis in Campitolio.* Vere enim si Hannibal sicut erat armatus et cruentus accessisset Romam, vel ipsum præmisisset, poterat forte Romam capere. Sed, Hannibale interponente moram, clamavit iterum Maherbal, indignanter [4]: *non omnia dii tibi dederunt; vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.* Post hæc Hannibal misit Magonem fratrem suum Carthaginem; qui extollens in senatu victorias Hannibalis, inter alia dixit, quod Hannibal triennio trucidaverat ultra ducenta millia romanorum, et captivaverat plusquam [5] quinquaginta; et ad finem victoriæ cannensis fecit effundi in introitu curiæ magnam copiam anu-

(1) E. hostiliter.
(2) E. pedites fuerunt.
(3) S. e 116, transduxit. — E. deduxit.
(4) E. indignanter dicens: *non.*
(5) E. plusquam quinquaginta millia.

lorum extractorum ex digitis interfectorum. Ex prædictis ergo potes colligere quot et quanta vulnera facta sunt in Italia tempore Hannibalis et maxime in Apulia; fecit etiam multa alia prœlia cum romanis nunc victor, nunc victus, et singulariter cum Marco Marcello, a quo sæpe victus, tandem illum captum insidiis interfecit. Huius ducis tam fortunati, tam victoriosi impetum Fabius tardando fatigavit; Marcellus (1) audendo compressit; Scipio ultimo experiendo confregit. Hannibal volens liberare Capuam ab obsidione romanorum, quæ se primo dederat sibi, et in qua (2) ipse iverat (3) cum exercitu suo in deliciis, posuit castra tribus milliaribus longe ab urbe, et ipse cum duobus millibus equitum electorum ivit ad portas urbis; contra quem exiverunt romani cum indignatione et ira furiosa, sed duobus diebus subita et terribilis tempestas inhibuit pugnam, ad quam continuo secuta est clara serenitas, cum partes ad castra rediissent (4) non tam naturaliter quam divinitus ad auxilium almæ urbis. Quo miraculo Hannibal turbatus (5) dixisse fertur, quod ad capiendam Romam nunc deficiebat sibi voluntas animi, nunc fortuna. Ipse etiam Hannibal recepit in Italia a romanis simile damnum quod dederat ad Cannas illis. Nam frater eius Asdrubal, veniens ex Hispania per Galliam in Italiam, fuit infelicissime (6) debellatus a Claudio Nerone et Livio Salinatore consulibus apud flumen Methaurum quod intrat mare apud Fanum. Demum cum stetisset sedecim annis cum exercitu in Italia revocatus est ad patriam cum Scipio Carthaginem premeret bello, ut habebis plene infra capitulo XXXI. De laudibus et fraudibus Hannibalis dicetur plenius capitulo VI Paradisi. Nunc revertere ad literam,

(1) E. Marcellus avertendo compressit.
(2) E. in quam.
(3) 116, vixerat.
(4) E. reduxissent.
(5) E. miratus dixisse.
(6) 116, infeliciter.

quam ordina sic, et repete: *o se s' adunasse ancor tutta la gente che fu dolente del suo sangue per la lunga guerra.* Et hic nota quod tria fuerunt bella punica quæ romani gesserunt cum carthaginensibus; scilicet primum, quod duravit vigintiquatuor (1) annis tempore Hamilcaris prædicti patris Hannibalis, in quo carthaginenses victi tandem fecerunt pacem, relictis Sicilia (2) et Italia, pro quibus pugnabatur. Secundum bellum punicum duravit septemdecim annis tempore Hannibalis, de quo dictum est, in quo Scipio victor Hannibalis fecit Carthaginem tributariam, data pace, et de isto loquitur autor; licet enim primum bellum fuerit longius isto secundo, istud tamen fuit gravius, imo nullum fuit unquam periculosius romano imperio, quia gestum est intra viscera Italiæ. Tertium duravit solum quatuor annis, quod consumatum est per Africanum minorem qui Carthaginem evertit. Et specificat istud bellum secundum per unum signum memorabile, dicens: *che fee sì alte spoglie dell' anella.* Et hic nota quod aliqui scripserunt quod anuli mensurati in aula carthaginensi (3) fuerunt tres modii cum dimidio, alii quod unus; et non accipias modium pro eo quod continet (4) multos sextarios, sicut capitur apud multos, sed pro uno sextario, ut (5) capitur in Evangelio; et credo etiam quod fuerit valde parvus: et dicunt aliqui quod solum nobiles portabant anulos; et istas opiniones (6) tangit Livius veritatis custos, ideo allegat ipsum tanquam idoneum testem in tali materia, dicens: *come Livio scrisse.* Hic namque princeps omnium historicorum Livius patavinus, qui stylum habuit parem romano gladio, omnia memoranda gesta romanorum descripsit mirabili eloquentia ab origine urbis usque ad

(1) 116, trigintaquatuor annis. (2) E. Cicilia. (3) 116, Carthaginis.
(4) E. continet multos, sed pro uno stario, ut capitur.
(5) 116, sicut capitur. (6) 116 e E. varias opiniones.

Cæsarem Augustum inclusive, cuius tempore claruit, gesta dico septingentorum annorum in CXLII libris. De cuius abundantissimo fonte cæteri scriptores rerum romanarum hausisse videntur, ut patet apud Valerium. Ideo bene dicit autor in eius approbationem, *che non erra:* nam in omnibus [1] prudenter et fideliter recitat dicta aliorum autorum, et adhæret quantum potest veriori sententiæ, aut relinquit dubia judicio lectorum. — *Con quella.* Hic autor tangit tertium prœlium [2] magis modernum. Ad cuius intelligentiam oportet præscire, quod anno Domini MLXX Robertus Guiscardus filius Ricardi ducis Normandiæ non habuit dominium paternum, sed dimissa hæreditate Ricardo fratri suo primogenito, secundum consuetudinem regionis, tamquam magnanimus voluit experiri virtutem et fortunam suam; ideo pauper et egenus veniens in Italiam appulit Apuliam. Quo tempore quidam Robertus Apulus erat dux Apuliæ. Cuius Robertus Guiscardus primo factus est scutifer, postea probitate sua accinctus [3] militia; pro quo multa victoriose fecit, cum haberet bellum cum principe Salerni. Guiscardus itaque magnifice remuneratus, redivit in Normandiam; et ostentans divitias et delicias Apuliæ, duxit equos frœnatos [4] aureis frœnis et ferratos ferris argenteis. Propter quod multi nobiles animati cupiditate lucri et gloriæ, secuti sunt eum. Ipse reversus in Apuliam, fideliter pugnabat pro dicto duce Apuliæ; et non post multum temporis Robertus dux Apuliæ veniens ad mortem, de voluntate suorum [5] baronum reliquit Guiscardum successorem in ducatu; et sic ducatum, quem dimiserat [6] in Normandia, recuperavit in Italia. Rober-

---

(1) E. in omnibus fortiter, prudenter et fidenter.
(2) E. bellum.
(3) S. factus est caput militiæ, pro quo.
(4) E. frœnatos frœnis argenteis. Propter.
(5) 116, suorum, reliquit.
(6) S. relinquerat.

tus igitur accepta filia Roberti in uxorem, sicut promiserat, vi armorum subiugavit Apuliam, Calabriam, et totum regnum [1] Siciliæ, quod occupaverat Alexius imperator græcorum. Deinde succurrit ecclesiæ, veniens Romam in favorem Gregorii VII contra Henricum IIII. Huius successores regnaverunt in Sicilia usque ad Henricum patrem Federici II. De Roberto Guiscardo plura dicentur Paradisi capitulo XVIII. Nunc ad literam; dicit autor: *con quella,* scilicet, gente, *che sentì doglie di colpi,* quia scilicet fuit trucidata, *per contrastare a Roberto Guiscardo.* Et hic nota quod Robertus non habuit magnam resistentiam in acquirendo Apuliam, quia apulii faciliter cesserunt sibi; sed in acquirendo Siciliam [2] plus laboravit. — *E l' altra.* Hic autor tangit quartum bellum [3] et est satis modernum, scilicet bellum quod gestum est contra Manfredum per Carolum I. Ad cuius notitiam [4] est breviter sciendum, quod Carolus frater Ludovici regis Franciæ, dux Andagaviæ, et comes provinciæ, de quo sæpe dictum est, et sæpius dicetur, vocatus ab ecclesia contra regem Manfredum, qui post mortem Federici II, patris sui, et Conradi fratris, occupaverat regnum Siciliæ et Apuliæ, venit per mare Romam cum paucis, et eius exercitum duxit per terram comes Guido de Monforte anno Domini MCCLXV. Qui susceptus honorifice a romanis, expectans gentem suam per totam æstatem, consultabat, quomodo intraret regnum Manfredi. Et coronatus deinde a papa, cœpit ire versus Apuliam per Campaniam. Manfredus dolens gentem Caroli transisse [5] libere per Lombardiam, ubi habebat magnam gentem ad obviandum, dedit operam ad custodiam pontis Ceperani. Sed Carolus transito ponte per fraudem, cepit Aquinum sine

(1) 116 e E. regnum, et deinde regnum Siciliæ, quod.
(2) E. Ciciliam.
(3) E. bellum, quod gestum.
(4) E. prænotitiam.
(5) E. intrasse libere.

resistentia, deinde sanctum Germanum viribus. Manfredus audito excidio sancti Germani, de consilio suorum comitum venit Beneventum ([1]), quia ibi poterat melius eligere potestatem ([2]) pugnandi, et impedire Carolum, qui non poterat intrare principatum, nec transire in Apuliam nisi per Beneventum. Carolus hoc sentiens ([3]) recessit a sancto Germano et non tenuit iter versus Capuam per Terram Laboris, quia non potuisset transire ad pontem fortissimum Capuæ, quem fecerat fieri Federicus II, sed transivit Vulturnum apud Tulivernum, ubi poterat vadari, et per aspera itinera montium Beneventanorum cum maximo labore et defectu victualium pervenit Beneventum prope per duo milliaria. Manfredus statim cepit consilium pugnandi, ne permitteret hostibus fessis tempus refocillandi; sed certe electio fuit perniciosa sibi, quia si distulisset tantum uno vel duobus diebus, gens Caroli erat perdita sine cæde, ex defectu victualium hominum et equorum. Nam die præcedenti oportuerat milites vivere ex foliis caulium et dare thyrsos equis suis: et præterea gens Manfredi erat valde dispersa, unde si aliquantulum distulisset ([4]), multum crevissent vires eius. Sed quem Deus odit, infatuat. Manfredus ergo egressus Beneventum, transivit per pontem flumen, quod dicitur Calor. Et in plano quod dicitur Sanctæ Mariæ *de la Grandella,* in loco dicto Petra Arosetti, fecit tres acies; primam ex theutonicis mille ducentis, quibus multum fidebat; et huic aciei præfecit comitem Calvagnum; secundam ex lombardis, tuscis, et aliis theutonicis mixtim, quam tradidit ducendam comiti Jordano, quia ([5]) erat sibi junctus affinitate, et fidelitate junctissimus ([6]); tertia fuit ex apulis et sa-

([1]) S. Beneventum, ubi poterat.
([2]) E. partitum.
([3]) 116, sciens.
([4]) 116, distulissent.
([5]) 116, qui erat.
([6]) 116, amantissimus.

racenis Nuceriæ, quos pater suus Federicus ex Sicilia posuerat ibi; et hanc aciem ducebat ipse Manfredus, quæ erat ex mille trecentis militibus, absque arciferis, saracenis, et peditibus in magno numero. Carolus autem videns Manfredum paratum ad bellum, habuit consilium suum. Plures persuadebant, quod differendum erat prœlium in crastinum ad resumptionem militum et equorum. Carolus avidus pugnæ alte clamavit super suos: Venit dies, quam tamdiu desiderastis. Et ipse tres acies ordinavit; primam ex militibus francis, numero mille, cuius fuit dux Philippus de Monforte; secunda fuit ex noningentis militibus electis, quam Carolus retinuit sub suo ducatu, et Guidonis de Monforte; tertiam aciem recepit Robertus comes Flandriæ, gener Caroli, et Ægidius Brunus conestabilis Franciæ, magister eius, quia adolescentulus ([1]) erat. Et ista acies constabat ex flandriensibus, barbanzonibus, picardis, et italicis, quibusdam romanis, campanis ([2]) et tuscis. Concursum est utrimque magno ardore animorum, et acris pugna inchoata est inter ([3]) duas primas acies duorum exercituum theutonicorum et francorum. Sed theutonici fortiores francis, fecerunt eos magno impetu resilire. Tunc Carolus videns francos suos, in quibus spem posuerat, tam dure opprimi, non servato ordine succurrit sibi cum sua acie; similiter comes Flandriæ cum magistro suo et acie sua. Et diu fuit prœlium dubium, quia theutonici mirabiliter cum magnis ensibus suis trucidabant francos; sed subito ortus est clamor inter francos: Cum mucronibus feriantur equi. Quo facto, germani cœperunt deficere vulneratis equis. Tunc Manfredus cœpit hortari suam aciem apulorum, ut sequerentur eum probiter in bello. Sed male fuit auditus, quia pro magna parte baro-

([1]) 116, adolescens erat. ([2]) S. capuanis. ([3]) E. inter primas.

nes regni deseruerunt eum, aliqui ex vilitate, aliqui ex illegalitate. Manfredus remanens cum paucis equitibus, tanquam magnanimus, elegit potius mori fortiter in prœlio, quam viliter fugere. Et ingerens se in [1] mediam aciem densissimam hostium, fortissime dimicans, cecidit in prœlio. Carolus victor adveniente nocte, persequens gentem victam fugientem, cepit Beneventum. Multi ex militibus Manfredi capti sunt: uxor, soror, et filii Manfredi, qui erant Nuceriæ, redditi sunt Carolo, quos omnes fecit mori in carcere suo. De sepultura Manfredi dicetur plene capitulo III Purgatorii. Nunc ad literam; dicit autor: *e l' altra*, supple, et si congregaretur alia gens cæsa in prœlio, *il cui ossame ancor s' accoglie a Ceperano*, idest, ad pontem Ceperani. Et hic nota, quod ista clades non fuit apud Ceperanum, sed apud Beneventum, ut clare patet ex jam dictis; sed passus permissus Carolo apud Ceperanum fuit causa istius conflictus: nam Carolus non poterat debellare regem nec obtinere regnum, si fuisset sibi vetitus transitus Ceperani. Ideo ulterius debes scire, quod Manfredus deputaverat ad custodiam Ceperani comitem Jordanum et comitem Casertæ cum duobus millibus militum; sed comes Casertæ fraudulenter consuluit comiti Jordano, ut permitteret transire partem inimicorum, quia postea facilius et tutius debellarent cæteros. Et cum aliquot transissent, dicebat comes Jordanus: aggrediamur eos; respondit comes Casertæ: non est amplius tempus, quia nimis multi transiverunt. Et continuo cum sua acie divertens, redivit Casertam. Erat enim jam in conventione cum hostibus. Comes Jordanus cognita proditione, non valens per se resistere, reversus est Beneventum [2] ad Manfredum. Et sic vide, quomodo Manfredus fuit derelictus apud Ceperanum et apud Be-

---

(1) E. in magnam. (2) E. Beneventum. Et sic vide.

neventum [1], sicut a comite Acerræ, qui sentiebat cum comite Casertæ: et multi alii dimiserunt Manfredum, qui postea spoliati fuerunt eorum terris et castellis. Ideo bene dicit autor: *là dove fu bugiardo ciascun pugliese,* quia nullus dixit sibi verum, nec servavit sibi promissam fidem. Ideo forte Manfredus cognoscens mores eorum, acceleravit prœlium.—*E là da Tagliacozzo.* Hic [2] tangit quintum prœlium modernum, quod sequitur in ordine ad præcedens, quod [3] gestum fuit per dictum Carolum contra Conradinum nepotem Manfredi. Et ad huius prœlii magis memorabilis cognitionem est præsciendum [4], quod Carolus præfatus post victoriam de Manfredo habitam obtinuit libere regnum, et vocatus est rex et elatus. Nam factus est generalis vicarius imperii per papam in Tuscia, cœpit movere bellum contra civitatem Pisarum. Pisani facta confœderatione cum senensibus et cum domino Henrico fratre regis Hispaniæ, qui tunc senator urbis erat inimicus Caroli, licet esset consanguineus eius, miserunt in Alemanniam pro Conradino; et dederunt operam, quod multæ terræ rebellarent Carolo in regno et Sicilia: et miserunt Conradino centum millia Florenorum [5], qui erat juvenculus sexdecim annorum. Qui recedens de Alemannia contra voluntatem matris, filiæ ducis Austriæ, transivit in Italiam, et pervenit Veronam sociatus decem millibus germanorum; ex quibus elegit tria millia quingentos, cæteris remissis in Germaniam. Deinde transiens per Papiam et Januam, per Pisas, per Senas, pervenit Romam, ubique receptus magnifice tamquam imperator [6]. Carolus recedens de Tuscia magnis dietis pervenit in Apuliam, dimisso ma-

(1) 116, Beneventum in prœlio, sicut.
(2) S. Hic autor tangit.
(3) E. e 116, quia gestum fuit.
(4) 116, sciendum.
(5) S. Florenorum quos sibi miserunt, qui erat.
(6) E. imperator. Idem postea Carolus.

rescalco suo in Tuscia ad obviandum Conradino. Conradinus recedens ab urbe cum magno exercitu germanorum et italorum (1), sociatus cum domino Henrico, qui habebat fere octingentos fortes milites hispanos, noluit facere viam per Campaniam, quia sensit quod passus Ceperani erat bene munitus; sed fecit viam inter montes Aprutii et Campaniæ per Vallem Cellæ, et sine aliqua resistentia transiens pervenit in planum sancti Valentini in contrata, quæ dicitur Tagliacozzo. Carolus sentiens adventum Conradini, recessit a (2) Nuceria, ubi erat in obsidione, et magnis dietis pervenit ad Aquilam. Qua civitate confirmata in fide sua per transversum montium pervenit prope exercitum Conradini in dicta planitie, et habebat minus quam tria millia hominum, et solum flumen erat in medio duorum exercituum. Tunc quidam miles francus senex, bonus et prudens, vocatus dominus Alardus, qui rediens de ultra mare a Terra Sancta illis diebus appulerat in Apuliam, videns paucam (3) gentem Caroli, et paucas vires, dixit fideliter Carolo, quod si volebat esse victor, oportebat uti magis arte belli quam viribus. Carolus multum fidens prudentia senis, commisit Alardo totum negotium illius belli. Alardus ergo ordinavit de gente Caroli tres acies; et de prima fecit capitaneum dominum Henricum de Consentia militem magnum corpore, quem fecit armari armis et supersignis regalibus (4), loco Caroli, qui ducebat provinciales, lombardos, tuscos et campanos. Secunda acies fuit ex francis, cuius fecit ducem Guiglielmum Ostendardum (5), et posuit provinciales ad custodiam (6) pontis dicti fluvii, ne exercitus Conra-

(1) 116, italicorum.
(2) E. a Luceria, ubi.
(3) E. e 116, parvam gentem Caroli et parvas vires.
(4) 116, regalibus Caroli.
(5) E. Ordandum.
(6) E. custodiam dicti fluminis.

neventum (1), sicut a comite Acerræ, qui sentiebat cum comite Casertæ: et multi alii dimiserunt Manfredum, qui postea spoliati fuerunt eorum terris et castellis. Ideo bene dicit autor: *là dove fu bugiardo ciascun pugliese,* quia nullus dixit sibi verum, nec servavit sibi promissam fidem. Ideo forte Manfredus cognoscens mores eorum, acceleravit prœlium.—*E là da Tagliacozzo.* Hic (2) tangit quintum prœlium modernum, quod sequitur in ordine ad præcedens, quod (3) gestum fuit per dictum Carolum contra Conradinum nepotem Manfredi. Et ad huius prœlii magis memorabilis cognitionem est præsciendum (4), quod Carolus præfatus post victoriam de Manfredo habitam obtinuit libere regnum, et vocatus est rex et elatus. Nam factus est generalis vicarius imperii per papam in Tuscia, cœpit movere bellum contra civitatem Pisarum. Pisani facta confœderatione cum senensibus et cum domino Henrico fratre regis Hispaniæ, qui tunc senator urbis erat inimicus Caroli, licet esset consanguineus eius, miserunt in Alemanniam pro Conradino; et dederunt operam, quod multæ terræ rebellarent Carolo in regno et Sicilia: et miserunt Conradino centum millia Florenorum (5), qui erat juvenculus sexdecim annorum. Qui recedens de Alemannia contra voluntatem matris, filiæ ducis Austriæ, transivit in Italiam, et pervenit Veronam sociatus decem millibus germanorum; ex quibus elegit tria millia quingentos, cæteris remissis in Germaniam. Deinde transiens per Papiam et Januam, per Pisas, per Senas, pervenit Romam, ubique receptus magnifice tamquam imperator (6). Carolus recedens de Tuscia magnis dietis pervenit in Apuliam, dimisso ma-

(1) 116, Beneventum in prœlio, sicut.
(2) S. Hic autor tangit.
(3) E. e 116, quia gestum fuit.
(4) 116, sciendum.
(5) S. Florenorum quos sibi miserunt, qui erat.
(6) E. imperator. Idem postea Carolus.

rescalco suo in Tuscia ad obviandum Conradino. Conradinus recedens ab urbe cum magno exercitu germanorum et italorum (1), sociatus cum domino Henrico, qui habebat fere octingentos fortes milites hispanos, noluit facere viam per Campaniam, quia sensit quod passus Ceperani erat bene munitus; sed fecit viam inter montes Aprutii et Campaniæ per Vallem Cellæ, et sine aliqua resistentia transiens pervenit in planum sancti Valentini in contrata, quæ dicitur Tagliacozzo. Carolus sentiens adventum Conradini, recessit a (2) Nuceria, ubi erat in obsidione, et magnis dietis pervenit ad Aquilam. Qua civitate confirmata in fide sua per transversum montium pervenit prope exercitum Conradini in dicta planitie, et habebat minus quam tria millia hominum, et solum flumen erat in medio duorum exercituum. Tunc quidam miles francus senex, bonus et prudens, vocatus dominus Alardus, qui rediens de ultra mare a Terra Sancta illis diebus appulerat in Apuliam, videns paucam (3) gentem Caroli, et paucas vires, dixit fideliter Carolo, quod si volebat esse victor, oportebat uti magis arte belli quam viribus. Carolus multum fidens prudentia senis, commisit Alardo totum negotium illius belli. Alardus ergo ordinavit de gente Caroli tres acies; et de prima fecit capitaneum [illegible] Henricum de Consentia militem magnum corpore, [illegible] fecit armari armis et supersignis regalibus (4). [illegible] roli, qui ducebat provinciales, lombardos, [illegible] panos. Secunda acies fuit ex francis, [illegible] cem Guiglielmum Ostendardum (5), [illegible] [illegible] custodiam (6) pontis dicti fluvii, [illegible]

[illegible]

[illegible] gentem Caroli [illegible]

[illegible]

[illegible]

dini posset transire impune. Tertio mandavit, quod rex Carolus cum flore totius nobilitatis reponeret se in insidiis in una [1] vallula post unum colliculum; et fuerunt octingenti strenuissimi bellatores: et ipse Alardus remansit cum ipso Carolo. Ex alia parte Conradinus fecit similiter tres acies; unam ex germanis, cuius fuit caput ipse, et dux Austriæ cum multis comitibus et baronibus; secundam aciem fecit ex italicis, cuius fuit dux comes Calvagnus cum aliquot theutonicis; tertia acies fuit ex hispanis, cuius fuit dux dominus Henricus. Conradinus igitur et sui ordinatis aciebus, pleni spe tentaverunt transire flumen, ut pugnarent cum Carolo; habebat enim circa quinque millia militum. Et stante acie provincialium, cuius erat dux Henricus de Consentia, ad custodiam pontis, et resistente domino Henrico de Hispania, hispani cœperunt transire flumen, et repellere aciem provincialium. Conradinus et sui videntes, quod hispani transiverant, cœperunt transire; et furore theutonico invadentes gentem Caroli, in brevi hora fuderunt [2] omnes; prostrata itaque acie provincialium domino Henrico de Consentia, qui mentiebatur personam Caroli, dominus Henricus hispanus credens vicisse regem, invasit aciem francorum et italorum dure. Ex quo fugientibus omnibus ex parte Caroli, et deserentibus campum, germani victores apparenter [3] cœperunt discurrere per campum et rapere prædam. Tunc Carolus, qui erat in colliculo cum domino Alardo et Guidone de Monforte, videns utramque aciem suam fusam, multis fugientibus ad eum, videbatur mori præ dolore et volebat omnino succurrere suis. Sed prudens Alardus cum magno moderamine retinebat eum, persuadens, quod expectaret donec gens germana avida

---

(1) E. in uno vallabulo post.

(2) E. fuerunt omnes prostrati, ita quod acie provincialium in fugam versa, et interfecto domino Henrico.

(3) E. asperiter cœperunt currere.

prædæ spargeretur per campum. Et sic paulo post videns germanos nihil sibi timentes dispersim intendere prædæ, dixit: Tempus est. Tunc veniente acie Caroli, Conradinus cum suis putans, quod esset de gente sua, non occurrit illi. Quod videns Carolus cum sua acie stricta ruit (1) super aciem, ubi erat Conradinus: ibi (2) fuit acre prœlium, sed breve, quia gens Conradini erat pauca et fatigata, cæteris sparsis ad prædam. Unde acies eius continuo diminuebatur, et acies Caroli augebatur, quia multi, qui fugerant a primo conflictu, revertebantur ad eum, cognoscentes insignia (3) regalia: et sic cito gens Conradini fuit fusa. Conradinus videns fortunam belli tam cito mutatam, de consilio baronum suorum exposuit se fugæ cum duce Austriæ (4), et quibusdam comitibus. Tunc circumspectus Alardus cernens fugam hostium clamabat altis vocibus, rogans regem et duces, ne recederent ab acie (5) pro persequendo hostes, aut capiendo prædam, timens ne gens Conradini dispersa colligeretur aut detegerentur insidiæ. Et bene erat opus tam salubri admonitione, quia statim dominus Henricus, qui cum suis hispanis (6) et germanis sequuti fuerant fugam provincialium et italorum (7) per unam vallem, et nihil viderant de pugna Caroli et fuga Conradini, collecta gente sua revertebantur ad campum. Qui videns aciem Caroli, credens esse Conradinum, tandem appropinquans, cognita fraude stupefactus, sed tamquam vir cordatus, non territus in tanto discrimine, restrinxit se cum suis; ita quod gens Caroli fessa, non tentavit invadere aciem (8) eius, ne fortunam suam exponeret periculo. Unde acies stetit firma contra aciem fere per horam;

---

(1) E. irruit.
(2) E. ubi.
(3) S. signa.
(4) E. austriensi.
(5) E. acie persequendo.
(6) E. hispanis sequuti.
(7) E. e 116, italicorum.
(8) S. gentem.

lis, pulveris et venti turbante oculos et facies romanorum. Sicut enim ad Trebiam frigus militavit contra romanos pro hostibus, et apud Transimenum nebula, sic ad Cannas quasi omnia elementa. Consul Paulus innocens vulneratus cum posset evadere, potius voluit honeste (1) mori. Varro causa totius mali turpiter fugiens cum quinquaginta equitibus Venusiam pervenit: perierunt in eo prœlio octuaginta senatores, duo quæstores, tribuni militum viginti unus, et aliquot viri consulares, prætorii, ædilicii; perdita sunt quadraginta millia peditum, equitum duo millia septingenti. Aliqui tamen scripserunt quod omnes isti pedites (2) et equites fuerunt legionarii, et quod fuerunt totidem numero ex civibus et sociis romanis. Ipse crudelis Hannibal ex cadaveribus occisorum fecit fieri pontem in flumine proximo per quem suum traduxit (3) exercitum. Et certe illo die romanum imperium fuisset in summo discrimine, si Hannibal voluisset uti consilio Maherbalis, qui unus ardentissimus suorum ducum, cum Hannibal cum suis gloriaretur de tam felici victoria clamavit: *Hannibal, die quinto epulaberis in Campitolio.* Vere enim si Hannibal sicut erat armatus et cruentus accessisset Romam, vel ipsum præmisisset, poterat forte Romam capere. Sed, Hannibale interponente moram, clamavit iterum Maherbal, indignanter (4): *non omnia dii tibi dederunt; vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.* Post hæc Hannibal misit Magonem fratrem suum Carthaginem; qui extollens in senatu victorias Hannibalis, inter alia dixit, quod Hannibal triennio trucidaverat ultra ducenta millia romanorum, et captivaverat plusquam (5) quinquaginta; et ad finem victoriæ cannensis fecit effundi in introitu curiæ magnam copiam anu-

(1) E. hostiliter.
(2) E. pedites fuerunt.
(3) S. e 116, transduxit. — E. deduxit.
(4) E. indignanter dicens: *non.*
(5) E. plusquam quinquaginta millia.

lorum extractorum ex digitis interfectorum. Ex prædictis ergo potes colligere quot et quanta vulnera facta sunt in Italia tempore Hannibalis et maxime in Apulia; fecit etiam multa alia prœlia cum romanis nunc victor, nunc victus, et singulariter cum Marco Marcello, a quo sæpe victus, tandem illum captum insidiis interfecit. Huius ducis tam fortunati, tam victoriosi impetum Fabius tardando fatigavit; Marcellus (1) audendo compressit; Scipio ultimo experiendo confregit. Hannibal volens liberare Capuam ab obsidione romanorum, quæ se primo dederat sibi, et in qua (2) ipse iverat (3) cum exercitu suo in deliciis, posuit castra tribus milliaribus longe ab urbe, et ipse cum duobus millibus equitum electorum ivit ad portas urbis; contra quem exiverunt romani cum indignatione et ira furiosa, sed duobus diebus subita et terribilis tempestas inhibuit pugnam, ad quam continuo secuta est clara serenitas, cum partes ad castra rediissent (4) non tam naturaliter quam divinitus ad auxilium almæ urbis. Quo miraculo Hannibal turbatus (5) dixisse fertur, quod ad capiendam Romam nunc deficiebat sibi voluntas animi, nunc fortuna. Ipse etiam Hannibal recepit in Italia a romanis simile damnum quod dederat ad Cannas illis. Nam frater eius Asdrubal, veniens ex Hispania per Galliam in Italiam, fuit infelicissime (6) debellatus a Claudio Nerone et Livio Salinatore consulibus apud flumen Methaurum quod intrat mare apud Fanum. Demum cum stetisset sedecim annis cum exercitu in Italia revocatus est ad patriam cum Scipio Carthaginem premeret bello, ut habebis plene infra capitulo XXXI. De laudibus et fraudibus Hannibalis dicetur plenius capitulo VI Paradisi. Nunc revertere ad literam,

---

(1) E. Marcellus avertendo compressit.
(2) E. in quam.
(3) 116, vixerat.
(4) E. reduxissent.
(5) E. miratus dixisse.
(6) 116, infeliciter.

quam ordina sic, et repete: *o se s' adunasse ancor tutta la gente che fu dolente del suo sangue per la lunga guerra.* Et hic nota quod tria fuerunt bella punica quæ romani gesserunt cum carthaginensibus; scilicet primum, quod duravit vigintiquatuor [1] annis tempore Hamilcaris prædicti patris Hannibalis, in quo carthaginenses victi tandem fecerunt pacem, relictis Sicilia [2] et Italia, pro quibus pugnabatur. Secundum bellum punicum duravit septemdecim annis tempore Hannibalis, de quo dictum est, in quo Scipio victor Hannibalis fecit Carthaginem tributariam, data pace, et de isto loquitur autor; licet enim primum bellum fuerit longius isto secundo, istud tamen fuit gravius, imo nullum fuit unquam periculosius romano imperio, quia gestum est intra viscera Italiæ. Tertium duravit solum quatuor annis, quod consumatum est per Africanum minorem qui Carthaginem evertit. Et specificat istud bellum secundum per unum signum memorabile, dicens: *che fee sì alte spoglie dell' anella.* Et hic nota quod aliqui scripserunt quod anuli mensurati in aula carthaginensi [3] fuerunt tres modii cum dimidio, alii quod unus; et non accipias modium pro eo quod continet [4] multos sextarios, sicut capitur apud multos, sed pro uno sextario, ut [5] capitur in Evangelio; et credo etiam quod fuerit valde parvus: et dicunt aliqui quod solum nobiles portabant anulos; et istas opiniones [6] tangit Livius veritatis custos, ideo allegat ipsum tanquam idoneum testem in tali materia, dicens: *come Livio scrisse.* Hic namque princeps omnium historicorum Livius patavinus, qui stylum habuit parem romano gladio, omnia memoranda gesta romanorum descripsit mirabili eloquentia ab origine urbis usque ad

(1) 116, trigintaquatuor annis. (2) E. Cicilia. (3) 116, Carthaginis.
(4) E. continet multos, sed pro uno stario, ut capitur.
(5) 116, sicut capitur. (6) 116 e E. varias opiniones.

Cæsarem Augustum inclusive, cuius tempore claruit, gesta dico septingentorum annorum in CXLII libris. De cuius abundantissimo fonte cæteri scriptores rerum romanarum hausisse videntur, ut patet apud Valerium. Ideo bene dicit autor in eius approbationem, *che non erra:* nam in omnibus [1] prudenter et fideliter recitat dicta aliorum autorum, et adhæret quantum potest veriori sententiæ, aut relinquit dubia judicio lectorum. — *Con quella.* Hic autor tangit tertium prœlium [2] magis modernum. Ad cuius intelligentiam oportet præscire, quod anno Domini MLXX Robertus Guiscardus filius Ricardi ducis Normandiæ non habuit dominium paternum, sed dimissa hæreditate Ricardo fratri suo primogenito, secundum consuetudinem regionis, tamquam magnanimus voluit experiri virtutem et fortunam suam; ideo pauper et egenus veniens in Italiam appulit Apuliam. Quo tempore quidam Robertus Apulus erat dux Apuliæ. Cuius Robertus Guiscardus primo factus est scutifer, postea probitate sua accinctus [3] militia; pro quo multa victoriose fecit, cum haberet bellum cum principe Salerni. Guiscardus itaque magnifice remuneratus, redivit in Normandiam; et ostentans divitias et delicias Apuliæ, duxit equos frœnatos [4] aureis frœnis et ferratos ferris argenteis. Propter quod multi nobiles animati cupiditate lucri et gloriæ, secuti sunt eum. Ipse reversus in Apuliam, fideliter pugnabat pro dicto duce Apuliæ; et non post multum temporis Robertus dux Apuliæ veniens ad mortem, de voluntate suorum [5] baronum reliquit Guiscardum successorem in ducatu; et sic ducatum, quem dimiserat [6] in Normandia, recuperavit in Italia. Rober-

---

(1) E. in omnibus fortiter, prudenter et fidenter.
(2) E. bellum.
(3) S. factus est caput militiæ, pro quo.
(4) E. frœnatos frœnis argenteis. Propter.
(5) 116, suorum, reliquit.
(6) S. relinquerat.

uti logica in fallendo conscientiam tuam, quæ est justus judex; ideo bene dicit: *a Minos mi portò,* qui figurat judicium conscientiæ, ut jam sæpe dictum est, et tangit actum judicis dicens, *e quegli,* scilicet, Minos de more suo, *attorse otto volte la coda al dosso duro,* quia in fine conscientia post examinatam causam se condemnat; ideo Minos damnavit eum ad octavam bulgiam, *e disse: questi è de' rei,* idest de peccatoribus, *del fuoco furo,* quia omnis flamma involat unum peccatorem, ut dictum fuit supra in litera, *poi ch' ella si morse,* scilicet illam caudam, *per gran rabia,* scilicet desperationis. Et concludit comes suam narrationem, dicens: *perchè,* idest, propter quod peccatum principale, *son perduto, là dove vedi,* scilicet inter istas vulpes [1] veternosas, *e andando sì vestito,* scilicet flamma ardenti, *mi rancuro,* idest, doleo vel conqueror. — *Quand' egli.* Hic ultimo autor describit recessum comitis Guidonis a se, et recessum eorum de [2] octava cum accessu ad nonam, dicens: *la fiamma si partio dolorando,* quasi diceret: quid valent nostra ingenia? quid cautelæ? [3] melior et utilior erat bona simplicitas. Ideo dicit: *torcendo e dibattendo il corno acuto,* idest, linguam, quia commemoratio præteritorum malorum auxerat sibi pœnam, vel quia cum aliquali alleviatione pœnæ fuerat locutus cum autore, ut dictum est supra; nunc revertebatur ad primum [4] statum facto fine suæ narrationi; ideo dicit: *quand' egli ebbe così compiuto il suo dir,* et ipso sic recedente, *noi et io e 'l duca mio, passammo oltre,* quasi dicat: ambo recessimus simul, *su per lo scoglio;* steterant enim in medio culmine pontis, donec Virgilius fuerat locutus cum Ulyxe et Dantes cum comite, et nunc transiverunt reliquam medietatem pontis, et pervenerunt ad introitum alterius bulgiæ nonæ. Unde

---

(1) E. nubes veternosas.
(2) E. de octava bulgia et accessio ad.
(3) 116, cautelæ ibi? melior.
(4) E. pristinum.

dicit: *infino in su l' altro arco,* idest pontem (1) novum curvatum in modum arcus, *che copre il fosso,* idest bulgiam nonam concavam et capacem multarum pœnarum unius culpæ, quia in ea puniuntur scismatici; et sic tangit materiam sequentis capituli, cum dicit: *in che si paga il fio,* idest, in quo fosso solvitur feudum, idest, debita solutio et punitio, *a quei,* scilicet, scismaticis, *che acquistan carco,* idest, onus culpæ vel pœnæ, *scommettendo,* idest, detrahendo et seminando discordiam. Et in hoc terminatur capitulum præsens, in cuius expositione fuit opus pluribus verbis, quia nova moderna sunt magis ignorata quam vetera.

(1) 116 e E. pontem nonum.

CANTUS VIGESIMUS OCTAVUS, *in quo tractatur de nona bulgia, in qua ponit scismaticos fessos a dæmonibus et scissos membris multis modis sub titulo Machometti et Pieri de Medicina decurii de Roma; et domini Beltrami del Bornio, et Muscæ de Lambertis et aliorum multorum.*

Chi poria mai pur con parole sciolte. Postquam in duobus capitulis proxime præcedentibus autor noster tractavit et determinavit de pœna astutorum, qui puniuntur igne in octava bulgia, nunc consequenter in presenti capitulo XXVIII agit et tractat de pœna scismaticorum qui puniuntur ferro in nona bulgia. Et totum capitulum potest dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor describit pœnam scismaticorum in generali. In secunda describit pœnam unius scismatici [1] antiqui, qui excessit omnes scismaticos mundi, qui explicat modum pœnæ omnium, et unum modernum prænuntiat ibi damnandum, ibi: *Già veggia.* In tertia, describit pœnam alterius scismatici moderni qui prænunciat mortem miserabilem quorumdam, et manifestat unum socium antiquum, ibi: *Un altro.* In quarta et ultima describit pœnas duorum modernorum scismaticorum, ibi: *Et un ch' avea.* Ad primum dico quod autor agit et tractat de pœna generali scismaticorum: et quia ista pœna consistit in multitudine et diversitate plagarum incomprehensibili, ideo autor incipit a quadam exclamatione et petit cum admiratione; et dicit breviter et summarie: quis scriptor rerum gestarum posset describere sufficienter in prosa, nedum in versu, varietatem et in-

---

[1] E. scismatici antiqui in speciali, qui.

finitatem vulnerum quæ nunc vidi? quasi dicat: certe nullus; ideo expone sic literam: *chi*, idest, quis historiographus, *poria mai dicere;* dicere est proprium oratorum [1], *del sangue e de le piaghe a pieno, ch' i' ora vidi*, scilicet, modo cum oculo mentali in nona bulgia, *per narrar* vel *parlar più volte*, quasi dicat: posito quod repeteret pluries, nedum semel, eamdem materiam, *pur con parole sciolte*, idest, solutis a lege metri, solum in stylo prosaico, nedum aliquis poeta in metrico. Unde nota quod facilius est scribere prosaice quam metrice, sive quis scribat literaliter, sive vulgariter; nam prosa assimilatur stratæ per quam late et publice incedunt homines, animalia [2], plaustra et omnia; metrum vero assimilatur [3] semitæ per quam itur anguste et cum difficultate. Unde videmus quod mille scribunt in prosa, non unus in versu; vult ergo autor in effectu dicere, quod nullus posset facere in prosa illud quod ipse [4] attentat facere in metro. Et respondet sibi ipsi dicens, quod vere nullus posset hoc facere plene, dicens: *ogni lingua*, quæcumque esset lingua, et quantumcumque diserta, *per certo verria meno*, idest deficeret in tali narratione etiam si esset ferrea: et reddit rationem, *per lo nostro sermone*, qui [5] non sufficeret ad explicandam innumerabilitatem, *e per la mente*, quia nulla memoria sive naturalis, sive artificialis esset susceptiva vel retentiva tot et tam variarum formarum. Ideo autor dicet tantum de quibusdam speciebus, *c' hanno poco seno*, idest, modicam capacitatem, *a comprender tanto*, idest, tantam quantitatem et tantum numerum. Et hic nota quod autor merito hoc fingit, quia neque ingenio potest comprehendi, nec sermone explicari multitudo plagarum factarum in mundo

---

(1) E. oratoris.
(2) E. et animalia omnia.
(3) 116, assimilatur monti per quem.
(4) E. quod ipse in metro.
(5) 116, quia non.

isto per linguas maledicas [1] detractorum. — *Se s' adunasse.* Hic autor ad roborationem [2] sui dicti ostendit, quod non potest reperire comparationem dignam ad explicandam tantam multitudinem vulnerum; unde breviter percurrit et perstringit multa prœlia facta diversis temporibus in Italia, in quibus facta fuit magna cædes et strages hominum; et ex hoc concludit quod multitudo et multiplicitas vulnerum factorum in illis prœliis est nulla respectu plagarum quas vidit hic. Tangit ergo quinque prœlia, quorum primum [3] est illud antiquissimum, quod gestum est inter Eneam [4] quando primo venit in Italiam, et Turnum regem Rutilorum, in quo facta est magna cædes hominum, de quibus [5] plene dixi primo capitulo huius Inferni; ideo [6] nihil repeto quia alia sunt necessario dicenda hic. Dicit ergo: *se s' adunasse ancor,* idest, resurgeret et congregaretur in unum, *tutta la gente,* scilicet bellatrix, *che già fu dolente del suo sangue,* idest, de sui sanguinis effusione, quia cæsa et vulnerata in prœlio, *per li troiani,* scilicet qui venerunt in Italiam cum Enea, qui [7] fuerunt victores cum eo; ideo dicit: *in su la fortunata terra di Puglia,* quæ fuit fortunata victoribus, sicut a simili in capitulo XXXI vocat terram fortunatam in Africa, ubi Scipio habuit victoriam de Hannibale; vel appellat [8] forte terram Apuliæ fortunatam, quia in ea facti sunt tot terribiles conflictus bellorum, sicut statim sequitur de aliquibus. — *E per.* Hic tangit secundum prœlium quod factum est in terra Apuliæ famosissimum omnium prœliorum romanorum; ad quod plene sciendum, longam historiam brevi narratione perstringam. Est igitur sciendum quod Amilcar dux car-

---

(1) S. maledictas.
(2) E. probationem.
(3) S. unum, scilicet primum.
(4) E. Eneam et Turnum regem.
(5) E. de quo.
(6) E. ideo non repeto.
(7) E. et qui.
(8) E. appellat terram fortunatam Apuliæ infelicem, scilicet quia.

thaginensium, qui a suis dictus est alter Mars deus belli, habuit quatuor filios, scilicet, Hannibalem, Asdrubalem, Hannonem et Magonem, quos gloriabatur enutrisse (1) tamquam quatuor leunculos, in perniciem populi romani, sed verius in excidium (2) ipsorum, et suæ patriæ, ut ait Valerius. Huius filius primogenitus Hannibal natus cum armis, ardens odio romanorum, armis a pueritia assuetus, cum esset novem annorum, secundum Livium, vel undecim, secundum Plinium, patre sacrificante accedens ad aram juravit se, quam prius facultatem haberet, futurum inimicum populi romani; quod sacramentum ferox postea semper servavit usque ad mortem pertinacissime, ita ut nullum hostem infestiorem unquam Roma habuerat (3). Hannibal Sagunto capta et eversa, cum hyemasset (4) apud Carthaginem novam in Hispania, quæ Spartana dicta est, primo vere descendit in Galliam, et conciliatis sibi regulis (5) gallorum, magnis muneribus deduxit exercitum per medium gallorum usque ad Alpes, quæ dividunt Italiam a Gallia, spatio quinque mensium; cui ab (6) Alpibus descendenti primo occurrit Scipio pater Africani magni, et apud fluvium Ticinum (7), et Ti-

---

(1) E. enutrivisse. (2) 116, punitionem.

(3) 116, *habuerit. Hannibal igitur nondum aptus imperio per ætatem, primo juvenis valde militavit in Hispania sub Asdrubale cognato suo cum tanto favore militum, ut crederent patrem esse redditum sibi in filio, qui, patrem quem repræsentabat aspectu, in brevi factis antecessit. Igitur Asdrubale genero Hamilcaris interfecto in Hispania manibus cuiusdam hispani probissimi civis, dum Asdrubal interfecerat, Hannibal factus dux in locum cognati sui, totam Hispaniam ad sui placitum composuit; tandem quærens causam belli invasit Saguntum civitatem citerioris Hispaniæ, quæ libera erat ex pacto, sed semper amicissima romanorum non ignorans id esse principium belli romani, quam civitatem spatio sex mensium vel idcirca oppugnavit cum 150 militibus pugnatorum; et romanis trahentibus tempus in legionibus deduxit ad tantam extremitatem necessitate famis, quod saguntini pro magna parte aurum et argentum et omnia cara iniecerunt in ignem factum ad hoc in publico foro. Et aliqui usque ad mortem indomita virtute certaverunt, ita quod quasi omnes inter se consumpti sunt, pauci capti, civitas in cineres redacta. Hoc fuit primum opus Hannibalis, principium multorum et magnorum malorum.* Hannibal Sagunto capta etc.

(4) E. vernasset. (5) E. regibus. (6) E. ab aliquibus Alpibus.

(7) E. Ticinum a Ticinia cinctus, sic denominatus a flumine quæ hodie dicitur Papia et sic vocatur, vicit.

cinum civitatem sic denominatam a flumine, quæ hodie vocatur Papia, vicit Scipionem equestri certamine, qui graviter vulneratus fuit in acie, sed liberatus a filio, qui postea istud [1] bellum feliciter terminavit, perductus est Placentiam. Ibi fuit secundum prœlium Hannibalis apud flumen Trebiam cum Sempronio Longo collega ipsius consulis Scipionis, qui veniens de Sicilia per mare Ariminum, et deinde Placentiam per terram, videns socium vulnere gravatum, desiderans solum gloriam victoriæ, pugnavit incaute [2] cum Hannibale duce cautissimo; qui cum esset frigus rigidissimum, positis primo insidiis, provocavit eum in pugnam ultra flumen, ita quod exercitus romanus fame affectus [3] et frigore contractus, fuit faciliter debellatus a militibus Hannibalis, qui fuerant præparati ad pugnam cibo et igne refecti et resumpti; multi ergo prostrati fuerunt in prœlio, multi suffocati in flumine, plures Placentiam evaserunt. Ideo bene eleganter Florus breviator Livii ait: horribile dictu, homines a meridie et sole venientes nostra nos hyeme vicerunt. Deinde Hannibal transivit Apenninum montem in Tusciam, contra quem venit Gaius Flaminius consul vir ardentis ingenii, animosior quam cautior vel felicior, qui concurrit cum Hannibale apud lacum Transimenum, qui nunc dicitur Perusinus, sub montibus Cortonæ. Ibi Hannibal usus est artibus suis; nam exercitum romanum clausum a dextra lacu, a sinistra monte, a tergo circumvenit insidiis, et eius consilium adiuvit nebula ex lacu proximo surgens tam densa, ut quasi omnem [4] usum visus eriperet: ibi pugnatum est cum tanto fervore, quod in pugna, quæ duravit tribus horis, nullus sensit terræmotum, qui tunc fuit tam terribilis, quod concussit terras et maria per totam Italiam, urbes ever-

---

(1) S. e E. illud.
(2) E. tandem.
(3) S. afflictus.
(4) 116, omnem visum eriperet.

tit, flumina retrovertit [1], juga montium subvertit. Consul, cuius temeritate exercitus erat perductus ad tantum discrimen, ardenter et fortiter pugnavit, donec transfixus fuit hasta a quodam equite [2] italicæ originis; quo mortuo, fuga omnium facta est multis periculis. Quindecim millia romanorum in eo prœlio perierunt secundum sententiam [3] Titi Livii; alii tamen scripserunt vigintiquinque; decem millia evadentes Romam [4] redierunt: ex hostibus solum mille quingenti ceciderunt, et tale fuit tertium prœlium [5] Hannibalis. Quartum prœlium pessimum omnium fuit apud Cannas vilem vicum Apuliæ, qui nobilitatus est clade romanorum. Ibi Hannibal locaverat castra apud ripam fluminis Aufidi versus septemtrionem, ita ut haberet a tergo solem, et ventum illius regionis, qui [6] continuo ibi jacit arenam et pulverem aridam. Romani vero habentes castra in eadem ripa illius fluminis per contrarium habuerunt omnia adversa. Sed nihil infestius fuit quam discordia consulum; quorum alter Lucius Æmilius Paulus, vir vere nobilis et prudens, et qui, secundum consilium sanissimum sibi datum a sapientissimo Fabio Maximo, deliberate et provide omnia volebat; alter vero consul Varro plebeius filius macellarii, et ipse macellarius, vir præceps, temerarius, quem magna pars exercitus sequebatur. Hannibal astutissimus qui nihil ignorabat, primo dispositis de more insidiis, provocavit Varronem in pugnam die qua habebat imperium, quem Paulus invite [7] subsecutus est, ne rempublicam desereret trementem in illius temeritate; crudele et cruentum prœlium factum est non solum opera providentissimi [8] Hannibalis, sed incommoditate so-

---

[1] E. divertit
[2] S. summam.
[3] S. e E. bellum.
[4] 116, invicem.
[5] S. milite italicæ.
[6] E. Romani.
[7] E. quia continuo ibi jacet.
[8] E. prudentissimi.

lis, pulveris et venti turbante oculos et facies romanorum. Sicut enim ad Trebiam frigus militavit contra romanos pro hostibus, et apud Transimenum nebula, sic ad Cannas quasi omnia elementa. Consul Paulus innocens vulneratus cum posset evadere, potius voluit honeste [1] mori. Varro causa totius mali turpiter fugiens cum quinquaginta equitibus Venusiam pervenit: perierunt in eo prœlio octuaginta senatores, duo quæstores, tribuni militum viginti unus, et aliquot viri consulares, prætorii, ædilicii; perdita sunt quadraginta millia peditum, equitum duo millia septingenti. Aliqui tamen scripserunt quod omnes isti pedites [2] et equites fuerunt legionarii, et quod fuerunt totidem numero ex civibus et sociis romanis. Ipse crudelis Hannibal ex cadaveribus occisorum fecit fieri pontem in flumine proximo per quem suum traduxit [3] exercitum. Et certe illo die romanum imperium fuisset in summo discrimine, si Hannibal voluisset uti consilio Maherbalis, qui unus ardentissimus suorum ducum, cum Hannibal cum suis gloriaretur de tam felici victoria clamavit: *Hannibal, die quinto epulaberis in Campitolio.* Vere enim si Hannibal sicut erat armatus et cruentus accessisset Romam, vel ipsum præmisisset, poterat forte Romam capere. Sed, Hannibale interponente moram, clamavit iterum Maherbal, indignanter [4]: *non omnia dii tibi dederunt; vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.* Post hæc Hannibal misit Magonem fratrem suum Carthaginem; qui extollens in senatu victorias Hannibalis, inter alia dixit, quod Hannibal triennio trucidaverat ultra ducenta millia romanorum, et captivaverat plusquam [5] quinquaginta; et ad finem victoriæ cannensis fecit effundi in introitu curiæ magnam copiam anu-

---

(1) E. hostiliter.
(2) E. pedites fuerunt.
(3) S. e 116, transduxit. — E. deduxit.
(4) E. indignanter dicens: *non.*
(5) E. plusquam quinquaginta millia.

lorum extractorum ex digitis interfectorum. Ex prædictis ergo potes colligere quot et quanta vulnera facta sunt in Italia tempore Hannibalis et maxime in Apulia; fecit etiam multa alia prœlia cum romanis nunc victor, nunc victus, et singulariter cum Marco Marcello, a quo sæpe victus, tandem illum captum insidiis interfecit. Huius ducis tam fortunati, tam victoriosi impetum Fabius tardando fatigavit; Marcellus (1) audendo compressit; Scipio ultimo experiendo confregit. Hannibal volens liberare Capuam ab obsidione romanorum, quæ se primo dederat sibi, et in qua (2) ipse iverat (3) cum exercitu suo in deliciis, posuit castra tribus milliaribus longe ab urbe, et ipse cum duobus millibus equitum electorum ivit ad portas urbis; contra quem exiverunt romani cum indignatione et ira furiosa, sed duobus diebus subita et terribilis tempestas inhibuit pugnam, ad quam continuo secuta est clara serenitas, cum partes ad castra rediissent (4) non tam naturaliter quam divinitus ad auxilium almæ urbis. Quo miraculo Hannibal turbatus (5) dixisse fertur, quod ad capiendam Romam nunc deficiebat sibi voluntas animi, nunc fortuna. Ipse etiam Hannibal recepit in Italia a romanis simile damnum quod dederat ad Cannas illis. Nam frater eius Asdrubal, veniens ex Hispania per Galliam in Italiam, fuit infelicissime (6) debellatus a Claudio Nerone et Livio Salinatore consulibus apud flumen Methaurum quod intrat mare apud Fanum. Demum cum stetisset sedecim annis cum exercitu in Italia revocatus est ad patriam cum Scipio Carthaginem premeret bello, ut habebis plene infra capitulo XXXI. De laudibus et fraudibus Hannibalis dicetur plenius capitulo VI Paradisi. Nunc revertere ad literam,

---

(1) E. Marcellus avertendo compressit.
(2) 116, vixerat.
(3) E. in quam.
(4) E. reduxissent.
(5) E. miratus dixisse.
(6) 116, infeliciter.

quam ordina sic, et repete: *o se s' adunasse ancor tutta la gente che fu dolente del suo sangue per la lunga guerra.* Et hic nota quod tria fuerunt bella punica quæ romani gesserunt cum carthaginensibus; scilicet primum, quod duravit vigintiquatuor [1] annis tempore Hamilcaris prædicti patris Hannibalis, in quo carthaginenses victi tandem fecerunt pacem, relictis Sicilia [2] et Italia, pro quibus pugnabatur. Secundum bellum punicum duravit septemdecim annis tempore Hannibalis, de quo dictum est, in quo Scipio victor Hannibalis fecit Carthaginem tributariam, data pace, et de isto loquitur autor; licet enim primum bellum fuerit longius isto secundo, istud tamen fuit gravius, imo nullum fuit unquam periculosius romano imperio, quia gestum est intra viscera Italiæ. Tertium duravit solum quatuor annis, quod consumatum est per Africanum minorem qui Carthaginem evertit. Et specificat istud bellum secundum per unum signum memorabile, dicens: *che fee sì alte spoglie dell' anella.* Et hic nota quod aliqui scripserunt quod anuli mensurati in aula carthaginensi [3] fuerunt tres modii cum dimidio, alii quod unus; et non accipias modium pro eo quod continet [4] multos sextarios, sicut capitur apud multos, sed pro uno sextario, ut [5] capitur in Evangelio; et credo etiam quod fuerit valde parvus: et dicunt aliqui quod solum nobiles portabant anulos; et istas opiniones [6] tangit Livius veritatis custos, ideo allegat ipsum tanquam idoneum testem in tali materia, dicens: *come Livio scrisse.* Hic namque princeps omnium historicorum Livius patavinus, qui stylum habuit parem romano gladio, omnia memoranda gesta romanorum descripsit mirabili eloquentia ab origine urbis usque ad

---

(1) 116, trigintaquatuor annis. (2) E. Cicilia. (3) 116, Carthaginis.
(4) E. continet multos, sed pro uno stario, ut capitur.
(5) 116, sicut capitur. (6) 116 e E. varias opiniones.

Cæsarem Augustum inclusive, cuius tempore claruit, gesta dico septingentorum annorum in CXLII libris. De cuius abundantissimo fonte cæteri scriptores rerum romanarum hausisse videntur, ut patet apud Valerium. Ideo bene dicit autor in eius approbationem, *che non erra:* nam in omnibus (1) prudenter et fideliter recitat dicta aliorum autorum, et adhæret quantum potest veriori sententiæ, aut relinquit dubia judicio lectorum. — *Con quella.* Hic autor tangit tertium prœlium (2) magis modernum. Ad cuius intelligentiam oportet præscire, quod anno Domini MLXX Robertus Guiscardus filius Ricardi ducis Normandiæ non habuit dominium paternum, sed dimissa hæreditate Ricardo fratri suo primogenito, secundum consuetudinem regionis, tamquam magnanimus voluit experiri virtutem et fortunam suam; ideo pauper et egenus veniens in Italiam appulit Apuliam. Quo tempore quidam Robertus Apulus erat dux Apuliæ. Cuius Robertus Guiscardus primo factus est scutifer, postea probitate sua accinctus (3) militia; pro quo multa victoriose fecit, cum haberet bellum cum principe Salerni. Guiscardus itaque magnifice remuneratus, redivit in Normandiam; et ostentans divitias et delicias Apuliæ, duxit equos frœnatos (4) aureis frœnis et ferratos ferris argenteis. Propter quod multi nobiles animati cupiditate lucri et gloriæ, secuti sunt eum. Ipse reversus in Apuliam, fideliter pugnabat pro dicto duce Apuliæ; et non post multum temporis Robertus dux Apuliæ veniens ad mortem, de voluntate suorum (5) baronum reliquit Guiscardum successorem in ducatu; et sic ducatum, quem dimiserat (6) in Normandia, recuperavit in Italia. Rober-

(1) E. in omnibus fortiter, prudenter et fidenter. (2) E. bellum.
(3) S. factus est caput militiæ, pro quo.
(4) E. frœnatos frœnis argenteis. Propter.
(5) 116, suorum, reliquit. (6) S. relinquerat.

tus igitur accepta filia Roberti in uxorem, sicut promiserat, vi armorum subiugavit Apuliam, Calabriam, et totum regnum [1] Siciliæ, quod occupaverat Alexius imperator græcorum. Deinde succurrit ecclesiæ, veniens Romam in favorem Gregorii VII contra Henricum IIII. Huius successores regnaverunt in Sicilia usque ad Henricum patrem Federici II. De Roberto Guiscardo plura dicentur Paradisi capitulo XVIII. Nunc ad literam; dicit autor: *con quella,* scilicet, gente, *che sentì doglie di colpi,* quia scilicet fuit trucidata, *per contrastare a Roberto Guiscardo.* Et hic nota quod Robertus non habuit magnam resistentiam in acquirendo Apuliam, quia apulii faciliter cesserunt sibi; sed in acquirendo Siciliam [2] plus laboravit. — *E l' altra.* Hic autor tangit quartum bellum [3] et est satis modernum, scilicet bellum quod gestum est contra Manfredum per Carolum I. Ad cuius notitiam [4] est breviter sciendum, quod Carolus frater Ludovici regis Franciæ, dux Andagaviæ, et comes provinciæ, de quo sæpe dictum est, et sæpius dicetur, vocatus ab ecclesia contra regem Manfredum, qui post mortem Federici II, patris sui, et Conradi fratris, occupaverat regnum Siciliæ et Apuliæ, venit per mare Romam cum paucis, et eius exercitum duxit per terram comes Guido de Monforte anno Domini MCCLXV. Qui susceptus honorifice a romanis, expectans gentem suam per totam æstatem, consultabat, quomodo intraret regnum Manfredi. Et coronatus deinde a papa, cœpit ire versus Apuliam per Campaniam. Manfredus dolens gentem Caroli transisse [5] libere per Lombardiam, ubi habebat magnam gentem ad obviandum, dedit operam ad custodiam pontis Ceperani. Sed Carolus transito ponte per fraudem, cepit Aquinum sine

(1) 116 e E. regnum, et deinde regnum Siciliæ, quod.
(2) E. Ciciliam.
(3) E. bellum, quod gestum.
(4) E. prænotitiam.
(5) E. intrasse libere.

resistentia, deinde sanctum Germanum viribus. Manfredus audito excidio sancti Germani, de consilio suorum comitum venit Beneventum ([1]), quia ibi poterat melius eligere potestatem ([2]) pugnandi, et impedire Carolum, qui non poterat intrare principatum, nec transire in Apuliam nisi per Beneventum. Carolus hoc sentiens ([3]) recessit a sancto Germano et non tenuit iter versus Capuam per Terram Laboris, quia non potuisset transire ad pontem fortissimum Capuæ, quem fecerat fieri Federicus II, sed transivit Vulturnum apud Tulivernum, ubi poterat vadari, et per aspera itinera montium Beneventanorum cum maximo labore et defectu victualium pervenit Beneventum prope per duo milliaria. Manfredus statim cepit consilium pugnandi, ne permitteret hostibus fessis tempus refocillandi; sed certe electio fuit perniciosa sibi, quia si distulisset tantum uno vel duobus diebus, gens Caroli erat perdita sine cæde, ex defectu victualium hominum et equorum. Nam die præcedenti oportuerat milites vivere ex foliis caulium et dare thyrsos equis suis: et præterea gens Manfredi erat valde dispersa, unde si aliquantulum distulisset ([4]), multum crevissent vires eius. Sed quem Deus odit, infatuat. Manfredus ergo egressus Beneventum, transivit per pontem flumen, quod dicitur Calor. Et in plano quod dicitur Sanctæ Mariæ *de la Grandella,* in loco dicto Petra Arosetti, fecit tres acies; primam ex theutonicis mille ducentis, quibus multum fidebat; et huic aciei præfecit comitem Calvagnum; secundam ex lombardis, tuscis, et aliis theutonicis mixtim, quam tradidit ducendam comiti Jordano, quia ([5]) erat sibi junctus affinitate, et fidelitate junctissimus ([6]); tertia fuit ex apulis et sa-

([1]) S. Beneventum, ubi poterat.
([2]) E. partitum.
([3]) 116. sciens.
([4]) 116, distulissent.
([5]) 116, qui erat.
([6]) 116, amantissimus.

tatem Nuceriæ, quam pater suus Fredericus ex Sicilia posuerat ibi; et hanc aciem curabat ipse Manfredus, quæ erat ex mille trecentis militibus, absque arciferis, saracenis et peditibus in magno numero. Carolus autem videns Manfredum paratum ad bellum, habuit consilium suum. Plures persuadebant quod differendum erat prœlium in crastinum ad resumptionem militum et equorum. Carolus avidus pugnæ alte clamavit super suos: Venit dies, quam tamdiu desiderastis. Et ipse tres acies ordinavit; primam ex militibus francis numero mille, cuius fuit dux Philippus de Monforte: secunda fuit ex nongentis militibus electis, quam Carolus retinuit sub suo ducatu, et Guidonis de Monforte: tertiam aciem recepit Robertus comes Flandriæ, gener Caroli, et Ægidius Brunus conestabilis Franciæ, magister eius, quia adolescentulus (1) erat. Et ista acies constabat ex flandriensibus, barbanzonibus, picardis, et italicis, quibusdam romanis, campanis (2) et tuscis. Concursum est utrimque magno ardore animorum, et acris pugna inchoata est inter (3) duas primas acies duorum exercituum theutonicorum et francorum. Sed theutonici fortiores francis, fecerunt eos magno impetu resilire. Tunc Carolus videns francos suos, in quibus spem posuerat, tam dure opprimi, non servato ordine succurrit sibi cum sua acie; similiter comes Flandriæ cum magistro suo et acie sua. Et diu fuit prœlium dubium, quia theutonici mirabiliter cum magnis ensibus suis trucidabant francos; sed subito ortus est clamor inter francos: Cum mucronibus feriantur equi. Quo facto, germani cœperunt deficere vulneratis equis. Tunc Manfredus cœpit hortari suam aciem apulorum, ut sequerentur eum probiter in bello. Sed male fuit auditus, quia pro magna parte baro-

---

(1) 116, adolescens erat. (2) S. capuanis. (3) E. inter primas.

nes regni deseruerunt eum, aliqui ex vilitate, aliqui ex illegalitate. Manfredus remanens cum paucis equitibus, tanquam magnanimus, elegit potius mori fortiter in prœlio, quam viliter fugere. Et ingerens se in (1) mediam aciem densissimam hostium, fortissime dimicans, cecidit in prœlio. Carolus victor adveniente nocte, persequens gentem victam fugientem, cepit Beneventum. Multi ex militibus Manfredi capti sunt: uxor, soror, et filii Manfredi, qui erant Nuceriæ, redditi sunt Carolo, quos omnes fecit mori in carcere suo. De sepultura Manfredi dicetur plene capitulo III Purgatorii. Nunc ad literam; dicit autor: *e l' altra*, supple, et si congregaretur alia gens cæsa in prœlio, *il cui ossame ancor s' accoglie a Ceperano,* idest, ad pontem Ceperani. Et hic nota, quod ista clades non fuit apud Ceperanum, sed apud Beneventum, ut clare patet ex jam dictis; sed passus permissus Carolo apud Ceperanum fuit causa istius conflictus: nam Carolus non poterat debellare regem nec obtinere regnum, si fuisset sibi vetitus transitus Ceperani. Ideo ulterius debes scire, quod Manfredus deputaverat ad custodiam Ceperani comitem Jordanum et comitem Casertæ cum duobus millibus militum; sed comes Casertæ fraudulenter consuluit comiti Jordano, ut permitteret transire partem inimicorum, quia postea facilius et tutius debellarent cæteros. Et cum aliquot transissent, dicebat comes Jordanus: aggrediamur eos; respondit comes Casertæ: non est amplius tempus, quia nimis multi transiverunt. Et continuo cum sua acie divertens, redivit Casertam. Erat enim jam in conventione cum hostibus. Comes Jordanus cognita proditione, non valens per se resistere, reversus est Beneventum (2) ad Manfredum. Et sic vide, quomodo Manfredus fuit derelictus apud Ceperanum et apud Be-

(1) E. in magnam.

(2) E. Beneventum. Et sic vide.

racenis Nuceriæ, quos pater suus Federicus ex Sicilia posuerat ibi; et hanc aciem ducebat ipse Manfredus, quæ erat ex mille trecentis militibus, absque arciferis, saracenis, et peditibus in magno numero. Carolus autem videns Manfredum paratum ad bellum, habuit consilium suum. Plures persuadebant, quod differendum erat prœlium in crastinum ad resumptionem militum et equorum. Carolus avidus pugnæ alte clamavit super suos: Venit dies, quam tamdiu desiderastis. Et ipse tres acies ordinavit; primam ex militibus francis, numero mille, cuius fuit dux Philippus de Monforte; secunda fuit ex noningentis militibus electis, quam Carolus retinuit sub suo ducatu, et Guidonis de Monforte; tertiam aciem recepit Robertus comes Flandriæ, gener Caroli, et Ægidius Brunus conestabilis Franciæ, magister eius, quia adolescentulus (1) erat. Et ista acies constabat ex flandriensibus, barbanzonibus, picardis, et italicis, quibusdam romanis, campanis (2) et tuscis. Concursum est utrimque magno ardore animorum, et acris pugna inchoata est inter (3) duas primas acies duorum exercituum theutonicorum et francorum. Sed theutonici fortiores francis, fecerunt eos magno impetu resilire. Tunc Carolus videns francos suos, in quibus spem posuerat, tam dure opprimi, non servato ordine succurrit sibi cum sua acie; similiter comes Flandriæ cum magistro suo et acie sua. Et diu fuit prœlium dubium, quia theutonici mirabiliter cum magnis ensibus suis trucidabant francos; sed subito ortus est clamor inter francos: Cum mucronibus feriantur equi. Quo facto, germani cœperunt deficere vulneratis equis. Tunc Manfredus cœpit hortari suam aciem apulorum, ut sequerentur eum probiter in bello. Sed male fuit auditus, quia pro magna parte baro-

---

(1) 116, adolescens erat. (2) S. capuanis. (3) E. inter primas.

nes regni deseruerunt eum, aliqui ex vilitate, aliqui ex illegalitate. Manfredus remanens cum paucis equitibus, tanquam magnanimus, elegit potius mori fortiter in prœlio, quam viliter fugere. Et ingerens se in (1) mediam aciem densissimam hostium, fortissime dimicans, cecidit in prœlio. Carolus victor adveniente nocte, persequens gentem victam fugientem, cepit Beneventum. Multi ex militibus Manfredi capti sunt: uxor, soror, et filii Manfredi, qui erant Nuceriæ, redditi sunt Carolo, quos omnes fecit mori in carcere suo. De sepultura Manfredi dicetur plene capitulo III Purgatorii. Nunc ad literam; dicit autor: *e l' altra*, supple, et si congregaretur alia gens cæsa in prœlio, *il cui ossame ancor s' accoglie a Ceperano*, idest, ad pontem Ceperani. Et hic nota, quod ista clades non fuit apud Ceperanum, sed apud Beneventum, ut clare patet ex jam dictis; sed passus permissus Carolo apud Ceperanum fuit causa istius conflictus: nam Carolus non poterat debellare regem nec obtinere regnum, si fuisset sibi vetitus transitus Ceperani. Ideo ulterius debes scire, quod Manfredus deputaverat ad custodiam Ceperani comitem Jordanum et comitem Casertæ cum duobus millibus militum; sed comes Casertæ fraudulenter consuluit comiti Jordano, ut permitteret transire partem inimicorum, quia postea facilius et tutius debellarent cæteros. Et cum aliquot transissent, dicebat comes Jordanus: aggrediamur eos; respondit comes Casertæ: non est amplius tempus, quia nimis multi transiverunt. Et continuo cum sua acie divertens, redivit Casertam. Erat enim jam in conventione cum hostibus. Comes Jordanus cognita proditione, non valens per se resistere, reversus est Beneventum (2) ad Manfredum. Et sic vide, quomodo Manfredus fuit derelictus apud Ceperanum et apud Be-

(1) E. in magnam. (2) E. Beneventum. Et sic vide.

neventum [1], sicut a comite Acerræ, qui sentiebat cum comite Casertæ: et multi alii dimiserunt Manfredum, qui postea spoliati fuerunt eorum terris et castellis. Ideo bene dicit autor: *là dove fu bugiardo ciascun pugliese,* quia nullus dixit sibi verum, nec servavit sibi promissam fidem. Ideo forte Manfredus cognoscens mores eorum, acceleravit prœlium. — *E là da Tagliacozzo.* Hic [2] tangit quintum prœlium modernum, quod sequitur in ordine ad præcedens, quod [3] gestum fuit per dictum Carolum contra Conradinum nepotem Manfredi. Et ad huius prœlii magis memorabilis cognitionem est præsciendum [4], quod Carolus præfatus post victoriam de Manfredo habitam obtinuit libere regnum, et vocatus est rex et elatus. Nam factus est generalis vicarius imperii per papam in Tuscia, cœpit movere bellum contra civitatem Pisarum. Pisani facta confœderatione cum senensibus et cum domino Henrico fratre regis Hispaniæ, qui tunc senator urbis erat inimicus Caroli, licet esset consanguineus eius, miserunt in Alemanniam pro Conradino; et dederunt operam, quod multæ terræ rebellarent Carolo in regno et Sicilia: et miserunt Conradino centum millia Florenorum [5], qui erat juvenculus sexdecim annorum. Qui recedens de Alemannia contra voluntatem matris, filiæ ducis Austriæ, transivit in Italiam, et pervenit Veronam sociatus decem millibus germanorum; ex quibus elegit tria millia quingentos, cæteris remissis in Germaniam. Deinde transiens per Papiam et Januam, per Pisas, per Senas, pervenit Romam, ubique receptus magnifice tamquam imperator [6]. Carolus recedens de Tuscia magnis dietis pervenit in Apuliam, dimisso ma-

---

(1) 116, Beneventum in prœlio, sicut.
(2) S. Hic autor tangit.
(3) E. e 116, quia gestum fuit.
(4) 116, sciendum.
(5) S. Florenorum quos sibi miserunt, qui erat.
(6) E. imperator. Idem postea Carolus.

rescalco suo in Tuscia ad obviandum Conradino. Conradinus recedens ab urbe cum magno exercitu germanorum et italorum ([1]), sociatus cum domino Henrico, qui habebat fere octingentos fortes milites hispanos, noluit facere viam per Campaniam, quia sensit quod passus Ceperani erat bene munitus; sed fecit viam inter montes Aprutii et Campaniæ per Vallem Cellæ, et sine aliqua resistentia transiens pervenit in planum sancti Valentini in contrata, quæ dicitur Tagliacozzo. Carolus sentiens adventum Conradini, recessit a ([2]) Nuceria, ubi erat in obsidione, et magnis dietis pervenit ad Aquilam. Qua civitate confirmata in fide sua per transversum montium pervenit prope exercitum Conradini in dicta planitie, et habebat minus quam tria millia hominum, et solum flumen erat in medio duorum exercituum. Tunc quidam miles francus senex, bonus et prudens, vocatus dominus Alardus, qui rediens de ultra mare a Terra Sancta illis diebus appulerat in Apuliam, videns paucam ([3]) gentem Caroli, et paucas vires, dixit fideliter Carolo, quod si volebat esse victor, oportebat uti magis arte belli quam viribus. Carolus multum fidens prudentia senis, commisit Alardo totum negotium illius belli. Alardus ergo ordinavit de gente Caroli tres acies; et de prima fecit capitaneum dominum Henricum de Consentia militem magnum corpore, quem fecit armari armis et supersignis regalibus ([4]), loco Caroli, qui ducebat provinciales, lombardos, tuscos et campanos. Secunda acies fuit ex francis, cuius fecit ducem Guiglielmum Ostendardum ([5]), et posuit provinciales ad custodiam ([6]) pontis dicti fluvii, ne exercitus Conra-

([1]) 116, italicorum. ([2]) E. a Luceria, ubi.
([3]) E. e 116, parvam gentem Caroli et parvas vires.
([4]) 116, regalibus Caroli. ([5]) E. Ordandum.
([6]) E. custodiam dicti fluminis.

dini posset transire impune. Tertio mandavit, quod rex Carolus cum flore totius nobilitatis reponeret se in insidiis in una [1] vallula post unum colliculum; et fuerunt octingenti strenuissimi bellatores: et ipse Alardus remansit cum ipso Carolo. Ex alia parte Conradinus fecit similiter tres acies; unam ex germanis, cuius fuit caput ipse, et dux Austriæ cum multis comitibus et baronibus; secundam aciem fecit ex italicis, cuius fuit dux comes Calvagnus cum aliquot theutonicis; tertia acies fuit ex hispanis, cuius fuit dux dominus Henricus. Conradinus igitur et sui ordinatis aciebus, pleni spe tentaverunt transire flumen, ut pugnarent cum Carolo; habebat enim circa quinque millia militum. Et stante acie provincialium, cuius erat dux Henricus de Consentia, ad custodiam pontis, et resistente domino Henrico de Hispania, hispani cœperunt transire flumen, et repellere aciem provincialium. Conradinus et sui videntes, quod hispani transiverant, cœperunt transire; et furore theutonico invadentes gentem Caroli, in brevi hora fuderunt [2] omnes; prostrata itaque acie provincialium domino Henrico de Consentia, qui mentiebatur personam Caroli, dominus Henricus hispanus credens vicisse regem, invasit aciem francorum et italorum dure. Ex quo fugientibus omnibus ex parte Caroli, et deserentibus campum, germani victores apparenter [3] cœperunt discurrere per campum et rapere prædam. Tunc Carolus, qui erat in colliculo cum domino Alardo et Guidone de Monforte, videns utramque aciem suam fusam, multis fugientibus ad eum, videbatur mori præ dolore et volebat omnino succurrere suis. Sed prudens Alardus cum magno moderamine retinebat eum, persuadens, quod expectaret donec gens germana avida

[1] E. in uno vallabulo post.

[2] E. fuerunt omnes prostrati, ita quod acie provincialium in fugam versa, et interfecto domino Henrico. [3] E. asperiter cœperunt currere.

prædæ spargeretur per campum. Et sic paulo post videns germanos nihil sibi timentes dispersim intendere prædæ, dixit: Tempus est. Tunc veniente acie Caroli, Conradinus cum suis putans, quod esset de gente sua, non occurrit illi. Quod videns Carolus cum sua acie stricta ruit (1) super aciem, ubi erat Conradinus: ibi (2) fuit acre prœlium, sed breve, quia gens Conradini erat pauca et fatigata, cæteris sparsis ad prædam. Unde acies eius continuo diminuebatur, et acies Caroli augebatur, quia multi, qui fugerant a primo conflictu, revertebantur ad eum, cognoscentes insignia (3) regalia: et sic cito gens Conradini fuit fusa. Conradinus videns fortunam belli tam cito mutatam, de consilio baronum suorum exposuit se fugæ cum duce Austriæ (4), et quibusdam comitibus. Tunc circumspectus Alardus cernens fugam hostium clamabat altis vocibus, rogans regem et duces, ne recederent ab acie (5) pro persequendo hostes, aut capiendo prædam, timens ne gens Conradini dispersa colligeretur aut detegerentur insidiæ. Et bene erat opus tam salubri admonitione, quia statim dominus Henricus, qui cum suis hispanis (6) et germanis sequuti fuerant fugam provincialium et italorum (7) per unam vallem, et nihil viderant de pugna Caroli et fuga Conradini, collecta gente sua revertebantur ad campum. Qui videns aciem Caroli, credens esse Conradinum, tandem appropinquans, cognita fraude stupefactus, sed tamquam vir cordatus, non territus in tanto discrimine, restrinxit se cum suis; ita quod gens Caroli fessa, non tentavit invadere aciem (8) eius, ne fortunam suam exponeret periculo. Unde acies stetit firma contra aciem fere per horam;

(1) E. irruit.
(2) E. ubi.
(3) S. signa.
(4) E. austriensi.
(5) E. acie persequendo.
(6) E. hispanis sequuti.
(7) E. e 116, italicorum.
(8) S. gentem.

sed Alardus astutus opposuit cautelam contra [1] vim, quia per simulationem fugæ cum paucis electissimis recessit ab acie; hispani tracti vana spe disgregati sunt ad persecutionem illorum, et continuo Carolus invasit hispanos et germanos jam dissolutos; et Alardus cum suis recollectis, reconiunxit se aperte cum acie Caroli. Tunc reintegratum est acerrimum prœlium; nam hispani bene armati non sternebantur ictibus ensium; sed franci cœperunt eos amplecti, quia velociores et expeditiores erant, et [2] trahebant eos ab equis, et sic obtinuerunt victoriam. Multi ex utraque acie ceciderunt. Dominus Henricus cum paucis fugit ad Montem Cassinum, et captus est ab abbate illius terræ [3] domino. Carolus cum suis de consilio domini Alardi remansit in acie usque ad noctem, ut sui recolligerentur, et [4] potiretur plena victoria. Hic conflictus fuit in vigilia sancti Bartholomæi die XXIV augusti, currentibus annis Domini MCCLXVIII [5]. Et in loco dictæ victoriæ Carolus fecit fieri unam nobilem [6] abbatiam pro anima mortuorum ibi [7], vel ad memoriam et gloriam sui, quæ vocatur Victoria. Postea bellum solum remansit contra pisanos. Sed rex Franciæ Ludovicus frater Caroli conciliavit eos Carolo, ut haberet iter securum, quia volebat facere passagium in Barbariam, ut posset habere victualia et necessaria de Sardinia, quam tenebant tunc pisani [8]. Carolus inflatus tot victoriis decrevit invadere imperium Constantinopolitanum; sed infeliciter sibi cessit, sicut dicetur plene capitulo VIII Paradisi. De morte vero Conradini dicetur plene capitulo XX Purgatorii. Nunc ad literam; dicit autor: et si congregaretur adhuc tota illa gens, quæ fuit cæsa: *e là*

---

(1) E. contra eum, quia per similitudinem fugæ.
(2) E. et retrahebant eos.
(3) 116 e E. terræ; et dominus Carolus.
(4) E. et reportaretur plena.
(5) E. 1267.
(6) S. novam.
(7) E. ibidem.
(8) E. pagani.

da Tagliacozzo, ove il vecchio Alardo, qui bene ostendit prudentiam senilem, *vinse senz' arme:* et ideo non intelligas, quod Alardus inermis pugnaverit, sicut multi exponunt; imo armatus intravit aciem, sicut et reliqui; sed autor vult dicere, quod victoria parta extorta fuit de manibus hostium, non tam viribus armorum Caroli, quam consiliis domini Alardi de Vallari, senis prudentissimi, ita quod laus illius victoriæ fuit singulariter domini Alardi. Ex præmissis autor concludit suum propositum; et dicit breviter, quod si omnis cæsus vel vulneratus in omnibus prædictis prœliis resurgeret (1) et ostenderet diversitatem et deformitatem vulnerum suorum, non posset fieri comparatio vel adæquatio ad vulnera quæ modo vidit. Dicit ergo: *e qual,* idest, aliquis, *mostrasse suo membro forato,* percussum punctim (2), *e qual mozzo,* percussum cæsim (3), *sarebbe nulla,* idest, nihil, *da equar,* idest, ad æquandum et ad parificandum, *il modo sozzo de la bolgia nona,* in qua continuo cæduntur et perforantur scismatici crudeliter ab ense diaboli (4), ut statim dicetur. Et hic nota quantum (5) autor dat pœnam proportionabilem delicto scismaticorum; sicut enim patet ex dictis, pœna istorum est quod sunt omnes lacerati, divisi, truncati, et sanguinati in variis et diversis membris, secundum quod plus et minus deliquerunt; et hoc ideo quia propter ea per quæ peccaverit homo punietur (6); isti autem diviserunt corda unita et mentes unanimes ratione fidei vel amicitiæ vel civilitatis (7) vel consanguinitatis, et sæpe deduxerunt homines ad bella, ad mortes, ad vulnera, ad odia, ad scandala. Nihil enim acutius lingua maligna, quæ animas credulas et benignas penetrat, vulnerat et dissociat.

(1) E. resurgeret cum diversitate et deformitate.
(2) 116 e E. punctum. (3) E. cæsum. (4) E. judiciali.
(5) E. quod autor. (6) 116, punitur. (7) 116, fidelitatis.

Già veggia. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit in speciali unum antiquum scismaticum famosissimum et alium modernum imitatorem eius. Ad cognitionem primi, omnium pessimi, oportet primo scire quod circa annos Domini sexcentos Macomethus falsus [1] propheta saracenorum surrexit, qui a fide catholica multos avertit [2], et fidem fœdam disseminavit astute. Nam quidam monacus nomine Sergius, ut fertur, in errorem Nestorii incidens, expulsus [3] a monacis fratribus venit in Arabiam, et adhærens Macometho docuit ipsum plura de veteri et novo testamento. Macomethus siquidem patre orbatus remansit pupillus et pauper sub tutela et custodia patrui sui, quemadmodum ipse testatur in Alcorano suo deum dixisse sibi: Orphanus fuisti et suscepi te; pauper eras et locupletavi te. Macomethus itaque armatus naturali astutia et scientia scripturarum prorupit in tantam audaciam quod concepit arripere regnum arabum. Sed cum videret se impotentem ad tantum opus, confinxit falso se fore prophetam, ut quos non posset viribus subiicere, sub falsa religione alliceret. Igitur utebatur consilio Sergii, quem apud se tenebat occulte, asserens se uti [4] colloquio Gabrielis Archangeli, et variis artibus ingenii obtinuit principatum suæ gentis; fingebat [5] se frequenter narrare; utebatur habitu monacali. Et quia judæi erant versus occidentem, christiani versus orientem, docuit arabes orare versus meridiem, quod adhuc hodie servant; et orantes confitentur unum Deum sine compari, vel Macomethum

---

(1) E. fuit falsus propheta saracenorum; subtraxit enim a fide catholica multos et avertit; et fidem suam astute disseminavit; nam.

(2) S. evertit.

(3) E. expulsus a fratribus monasterio venit in Arabiam adhærens Macometho et docens ipsum.

(4) E. uti consilio Gabrielis Archangeli; et tandem his fraudibus et variis.

(5) E. fingebat enim se frequenter orare; utebatur et habitu monacali; et quia perfidi judæi.

prophetam eius, quem dicunt cœlitus missum eis, sicut Christus missus est christianis, et Moyses judæis. Macomethus multas leges tradidit suis, vel præcepit, quod semel in anno visitarent urbem Mecham, ubi est eius mirabile sepulcrum. Dicebat (1) Christum fuisse magnum prophetam, sed se maiorem omnibus; quia antequam Deus (2) creaverit materiam rerum, nomen Macomethi erat in conspectu eius, et decem angelos a Deo collatos ministrantes (3) ei: dixit (4) non esse disputandum de eorum fide, et (5) statim eos trucidandos ense qui sibi contradicunt; unde malitiose fecit exterminari omnes viros literatos ne possent refellere fidem suam. Multa (6) alia dicentur Purgatorii finali capitulo. Nunc ad literam: autor describit Macomethum et eius pœnam per unam comparationem communem et claram; et dicit breviter quod vidit quemdam divisum per (7) totum a summo capite usque ad culum, sicut apparet veges quæ in fundo perdidit dogam de medio vel a latere. Dicit ergo: *veggia non se pertugia,* idest, non perforatur, *già per perder mezzul,* idest, mediam partem sui fundi, ubi aperitur, *o lulla,* idest, aliquam dogam collateralem. Est enim lulla pars fundi vegetis juxta extrema ad modum lunæ, unde appellatur lulla, quasi parva luna, sicut et culla quasi parva cuna, *così com' io vidi un,* scilicet, Macomethum, *fesso dal mento infin dove si trulla:* idest, ab ore usque ad anum ubi prædictus erat totus divisus ab inde infra; et nota quod vulnus istius incipiebat a gutture, ubi est lingua, cum qua iste commisit pessimum scisma. Nota etiam quod autor proprie assimilat Macomethum vegeti, quia fuit vas magnæ capacitatis, plenum nequi-

---

(1) E. Asserebat enim Christum.
(2) E. Deus omnipotens creaverit naturam rerum.
(3) 116, ministrabant ei. (4) E. dixit etiam non. (5) E. sed statim.
(6) E. Multa etiam alia dicentur de eo Purgatorii.
(7) E. per corpus a summo.

tia et malitia, quam pleno ore et aperto effudit secundum quod dicit Horatius: *sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.* Ideo bene subdit quod ex tam inepta scissura apparebant turpiter omnia interiora [1], dicens: *le minugia*, idest, viscera, vel intestina, *pendevan tra le gambe*, et ideo, *la corata*, sicut cor, epar [2], splen invicem ligata, *pareva*, idest, apparebat [3], *el tristo sacco*, scilicet, stomachus, *che fa merda di quel che si trangugia:* idest, de cibo qui deglutitur. Stomachus enim tamquam lebes decoquit cibum acceptum, et puriorem partem transmittit ad epar, superfluitatem vero trasmittit ad intestina. Et hic nota quod autor noster, licet videatur loqui [4] hic minus honeste, tamen valde subtiliter et pulcre. Vult enim per hoc dare intelligi, quod omnis cibus qui intravit per os in ventrem istius, conversus est totus in fœtidam fæcem; quia omnis doctrina quæ intravit animum eius produxit errorem horribilem, quo totum fere mundum polluit et infecit. Hic enim impudicus, adulter, ut traheret ad se multitudinem laxivientem [5], quæ sequitur voluptates, fundavit sectam suam in rebus inhonestis, permittendo multas uxores vel concubinas quotquot vellent, non solum contra fidem christianam et legem evangelicam, sed etiam contra philosophum [6] et contra leges paganorum romanorum et græcorum, asserens quod servantes legem suam, in Paradiso deliciarum fruerentur amplexibus puellarum cum vellent, et multa [7] talia. — *Mentre.* Hic autor ostendit quomodo Macomethus met explicaverit sibi formam suæ pœnæ, dicens: et ille Macomethus, *guardomi, mentre che 'n lui veder tutto m' attacco*, idest dum totum animum

---

(1) 116, viscera.
(2) E. epar specialiter invicem.
(3) 116 e E. apparebant.
(4) E. loqui nimis inhoneste.
(5) E. lascivientem.
(6) E. philosophiam et leges.
(7) E. multa alia turpia et abhominabilia. — *Mentre.*

intendissem ad considerandum talem hominem, *e s' aperse il petto con le man,* quasi dicat: et evomuit apostema quod diu conceperat in pectore, *dicendo: or vedi com' io mi dilacco,* idest, dilacero me; et manifestat se nominatim dicens: *vedi, com' èe storpiato,* idest, impeditus, *Maometto,* et est nomen conveniens sibi. Dicitur enim Macomethus, quasi malus comitus, idest gubernator navis, idest ecclesiæ Dei, quam deduxit ad naufragium, quia nec antea nec postea fuit maior ruina in ecclesia Dei. Et tangit suos complices et sequaces, dicens: *Alì sen va piangendo dinanzi a me,* Aly fuit patruus Macomethi, unus de principalibus fautoribus [1] et fundatoribus istius sectæ, *fesso nel volto dal mento al ciuffetto,* quasi dicat: habens totam faciem per longum divisam, ita quod est parum divisus [2], sed in parte corporis honestiori et principaliori, quia Macomethum instruxit et juvit ad tantum errorem, licet non tantum deliquerit. Et concludit generaliter: *e tutti gli altri che tu vedi qui,* scilicet, in ista bulgia nona, *fur seminator di scandalo e di scisma,* cum eorum lingua venenosa, *vivi,* idest, quamdiu vixerunt in mundo, *e però son fessi così,* idest, sicut vides plus et minus secundum diversitatem scismatis. — *Un.* Hic Macomethus tangit autorem et ministrum istius pœnæ respondens quæstioni tacitæ, quia autor poterat petere: quis facit in vobis tot et tantas plagas? [3] dicit, quod est unus diabolus, qui ex officio suo facit hoc. Unde, quia ista litera est fortis, volo te bene notare quod autor hic fingit pulcre, quod isti scismatici continuo discurrunt per istam bulgiam nonam, et unus diabolus stat in medio, quia locus est circularis, ita quod omnis pars est media, et ipse cum ense nudo ferit illum qui transit ante faciem eius, et ita alium et alium succes-

(1) 116, autoribus. (2) S. divisus in parte corporis.
(3) E. plagas? Respondet, dicens, quod.

sive, ita quod nunquam vacat a labore et opere: et quod est mirabile, vulnus illatum unicuique consolidatur antequam revertatur ad locum pœnæ, et iterum de novo percutitur a (1) dæmone et renovatur plaga. Modo considera quid importet allegorice ista fictio; isti scismatici discurrunt continuo per orbem vel per aliquam urbem seminando dissidia (2) et disturbia; diabolus, idest, instigatio diabolica continuo movet ensem, idest, linguam maledicam (3), quæ est incidens et bis acuta faciens vulnera multa et magna, vel, una lite et discordia sopita, suscitant aliam, ita quod diabolus iterum incitat eos ad idem (4). Nunc ad literam; dicit Macomethus: *un diavol èe qua dietro,* Macomethus recenter (5) vulneratus a dæmone dum transisset (6) per manus eius, et fugiens, vidit autorem in culmine pontis sine pœna, et firmans se, ostendebat (7) se ita scissum ipsi. Ideo bene dicit quod dimisit post se illum dæmonem; ideo dicit: *che n' accisma,* idest exornat et polit nos, *rimettendo ciascun di questa risma,* idest, istius ordinis, quia unus sequitur post alium, sicut folia cartarum in rismate. Risma enim est certus numerus cartarum continens vigintiquinque quaternos (8), *sì crudelmente al taglio de la spada;* nullus ensis est incidentior, nullus gladius est acutior lingua maligna (9); imo sagipta acuta non ita penetrat, et carbo ignitus non ita incendit (10); et hoc facit iste diabolus, *quando avem volta la dolente strada,* idest, cum fecimus totam revolutionem per istam vallem dolorosam in reversione. Et ecce quia repercutit nos cum ense; *però che le ferute son richiuse,* idest, vulnera (11) sunt solidata (12) antequam si-

(1) E. ab illo dæmone. (2) E. discordiam. (3) S. maledictam.
(4) E. idem, et sic de novo illos ferit et vulnerat. Nunc ad literam.
(5) E. e 116, fuerat recenter. (6) 116, e E. transiret. (7) E. ostenderat.
(8) E. quinternos. (9) E. maligna; sagipta enim acuta.
(10) E. incendit sicut lingua maledica; et.
(11) 116, quia vulnera. (12) E. resolidata.

mus reversi ad præsentiam illius (1) diaboli; ideo dicit: *prima ch' altri,* idest, aliquis nostrum vulneratus ab eo *li rivada,* idest, iterum vadat, scilicet revertatur. Non vult aliud dicere nisi quod omnia vulnera sunt sanata antequam aliquis iterum revertatur ad ensem vulnerandus (2) ab eo. — *Ma tu.* Macomethus, postquam manifestavit (3) pœnam sui et suorum, petit ab autore quis sit et quare sine pœna, dicens: quandoquidem non requisitus a te, dixi tibi et ostendi formam supplicii mei et meorum; ergo: *ma tu chi sie' che 'n su lo scoglio muse,* idest, qui in ponte badas et circumspicis, quasi dicat: qui stas altus in ponte extra ordinem aliorum, nec sentis ictus ensis diabolici; et tangit causam dubiam quare sic stet ad respiciendum, scilicet ut redimat tempus; unde dicit: *forse per indugiar d' ir a la pena,* quasi dicat: forte de industria interponis tempus, ut prolonges pœnam, quam tamen vitare non possis; ideo dicit: *ch' è giudicata,* scilicet per Minos (4) judicem generalem inferni, ut patuit in præcedenti capitulo, *in su le tue accuse,* quia judex inflingit pœnam secundum qualitatem criminis, quo quis est accusatus et juste convictus. Et subdit responsionem Virgilii ad interrogationem Macomethi, quia semper assumit partes autoris, quando responsio videtur spectare ad laudem eius. Dicit ergo: *il mio maestro rispose: nè morte il giunse ancor,* quasi dicat: iste non est scismaticus, vel detractor (5); ideo non est mortuus in isto vitio, sicut tu et tui, nec per consequens meretur pœnam inter (6) vos. Ideo dicit: *nè colpa il mena a tormentarlo,* scilicet ad ensem diaboli; et quia posset dicere Macomethus: quid ergo vadit faciendo per regnum scismaticorum? respondet Virgilius: *ma a me, che morto son,* quia

(1) E. illius dæmonis sic ferientis; ideo.
(2) E. vulnerandus. — *Ma tu.* Nunc Macomethus. (3) 116, manifestaverit.
(4) E. Minoem. (5) E. destructor. (6) 116, sicut vos.

sum de numero damnatorum in inferno, *conven menarlo per l' inferno qua giù di giro in giro,* idest, de circulo in circulum, per quos tenditur semper deorsum. Et ecce causam utilem et honestam, *per dar lui esperienza piena,* de ista pœna sicut et de aliis. Et hic nota quod vir prudens discit exemplis [1] aliorum refrœnare linguam, et cavere sibi a disseminatione scandalorum, quando considerat pravos effectus qui inde sequuntur, juxta illud: *Felix quem reddunt aliena pericula cautum ;* et confirmat dictum [2], dicens: *e questo è ver così com' io ti parlo,* quasi dicat: non fingo tibi in hac parte. Deinde autor ponit effectum responsionis Virgilii, dicens: *più fur di cento,* idest, multi, *che s' arrestaron nel fosso,* per quod prius ibant, *a riguardarmi per meraviglia,* quasi stupefacti, quia videbant ibi hominem vivum non in aliquo vulneratum ac [3] cæsum, *quando l' udiro,* scilicet a Virgilio; et dicit: *obliando il martiro,* quasi dicat, dimittentes viam suam per quam ibant ad pœnam recipiendam a dæmone. Et per hoc autor notat moraliter quod aliquando seminatores litium et discordiarum quando vident [4] et audiunt virum sapientem, emendantur ad persuasionem eius, et per consequens obliviscuntur ire ad martyrium, quia ubi culpa, ibi pœna; quod credo accidisse aliquibus legentibus [5] istud nobile capitulum. — *Or di'.* Hic autor nominat alium spiritum modernum eiusdem speciei; et artificiose fingit, quod Macomethus, maximus princeps scismatis, audiens quod autor erat vivus, et reversurus ad mundum, imponit sibi, quod prædicat uni amico suo, licet ignoto, quod provideat sibi a periculo de proximo imminenti. Ad cognitionem autem istius Macomethi novelli est sciendum, quod sedente Bo-

---

(1) 116, expensis aliorum. (2) E. dictum suum. (3) E. e 116, nec cæsum.
(4) S. vident aliquem virum sapientem et audiunt, emendantur.
(5) S. hominibus legentibus.

nifacio VIII in sede Petri, circa tempora, quibus autor incœpit istud sacrum poema, in Lombardia ortum est pravum scisma, futurum perniciosum, si non (1) fuisset cito compressum, per fratrem Dulcinum novariensem. Hic quidem Dulcinus, ut ab origine repetam vitam suam, fuit de comitatu (2) Novariæ, de vico qui dicitur Pratum, quod subest castro Romagnano juxta flumen Siccidæ. Infantulus venit Vercellas; ibi (3) nutritus in ecclesia sanctæ Agnetis juxta portam Sarvi (4) fluvii, in quem intrat Siccida, sub presbytero, qui vocatus est Augustus, qui eum misit ad scholas sub magistro Syon (5) professore grammaticæ. Erat enim acutissimi ingenii, ita quod in brevi factus est optimus scholaris. Sed non diu occultavit pravitatem, quæ latebat sub egregia indole; cum esset parva (6) statura, facie læta, et gratus omnibus. Nam surripuit furto sacerdoti præfato certam summam pecuniæ, qui (7) nimis fidebat eo. Ideo, ut sæpe accidit, sacerdos imputabat hoc cuidam familiari suo, cui nomen erat Patras. Qui moleste ferens iniustam infamiam, clandestine Dulcinum captum compulit terrore privatæ torturæ ad confessionem furti, et iratus juste volebat ducere Dulcinum ad publicum supplicium; sed sacerdos Augustus prohibuit ne fieret irregularis. Dulcinus autem territus recessit, inscio sacerdote, et contulit se ad extrema Italiæ ad civitatem Tridenti. Ibi in montibus illis inter gentes rudes et credulas cœpit fundare novam sectam in habitu fraticelli sine ordine, prædicans se verum apostolum Dei et quod omnia debebant esse communia (8) in caritate; et quod licebat uti omnibus mulieribus indiffe-

(1) E. nisi fuisset occursum; cuius causa fuit frater Dulcinus novariensis. Hic siquidem Dulcinus.

(2) S. civitate.

(3) E. ubi nutritus est in.

(4) 116, Sarni. — E. Sarini.

(5) E. Ston.

(6) E. parvæ staturæ, facie lætus, et.

(7) E. quia nimis.

(8) E. debebant communicari in caritate.

renter, ita quod nullus concubitus erat damnatus, nisi in matre et filia (1), et multa similia. Episcopus tridentinus sentiens errorem pullulare (2) in diœcesi sua, expulit eum de montibus, in quibus adhuc inveniuntur aliquæ reliquiæ fratris Dulcini (3). Dulcinus autem transivit per montes multarum civitatum Lombardiæ, crescente (4) in dies multitudine magna, quia semper ibat per loca tuta (5), ubi non posset faciliter capi. Unde fecit aliquam moram in montibus Brixiæ, Bergami, Comi, ac Mediolani. Et tandem ex omnibus depulsus (6), reversus est ad partes natalis soli, et sedem suam posuit in monte alto inter Novariam et Vercellas; ubi habuit ultra tria millia hominum robustæ juventutis, inter quos erant aliqui nobiles et divites. Nec mirum, tum quia sectabantur voluptates, quarum erat ibi officina plena, tum quia frater Dulcinus erat intelligens et eloquentissimus, adeo quod suavissima facundia sua ita ligabat auditores, quod nullus accedens ad eum semel, poterat unquam recedere (7). Dulcinus igitur sentiens bellum parari contra se, munivit montem, qui usque in hodiernum diem denominatur ab eo Mons Gazari; et villam vocatam Triverium ad radices montis juxta fluvium Sesseram, transportaverunt in montem, et alias villas circumstantes, et omnia victualia et necessaria, quæ tumultuarie poterant rapere (8). Tunc populus Novariæ et Vercellarum cinxerunt montem obsidione cum machinis et aliis instrumentis bellicis aptis ad oppugnationem arcium. Et multi crucesignati venerunt non solum de terris Lombardiæ, quæ vocabatur (9) Gallia cisalpina, sed etiam de

(1) E. filia. Dicebat etiam et alia multum his similia. Episcopus.
(2) E. hunc pullulare.
(3) E. huius fratris Dulcini; qui inde recedens transivit.
(4) E. crescente omni die multitudine.
(5) E. tuta in quibus non. (6) E. expulsus. (7) S. reverti.
(8) E. reperire. (9) 116 e E. olim vocabatur.

Gallia transalpina, sicut de Vienna, Sabaudia, Provincia (1), et Francia, quæ crux prædicabatur ubique contra eos. Et feminæ porrexerunt manum huic bello; nam viduæ (2) de Janua miserunt quadringentos balistarios, et ut breviter dicam, oppugnatio fuit dura et diuturna; nam inclusi se pertinaciter defendebant: sed tandem fame, quæ expugnat omnes terras, urgente, non potuerunt ulterius pati arctissimam obsidionem; nam habebant magnam copiam pecuniarum, sed inopiam victualium. Comederunt enim usque ad pellicias. Tunc quidam consulentes suæ saluti redierunt ad veritatem, et dediderunt (3) se. Obsidio (4) duravit per annum et diem; et scisma duraverat (5) per biennium. Tandem Dulcinus captus cum uxore sua Margarita, quæ erat tridentina, et quibusdam aliis, et ductus Vercellas, et carceri mancipatus, multum et diu persuasus a magnis magistris numquam potuit convinci (6), ut vellet revocare errorem suum. Propter quod volente justitia cum tenaculis ignitis truncantibus carnes et spoliantibus usque ad ossa, fuit crudeliter laceratus, et ductus vicatim per civitatem. Et quod notatum fuit a videntibus, et est mirabile dictu, inter tot et tam amara (7) tormenta dicitur numquam mutasse faciem, nisi semel in amputatione nasi, quia strinxit parum spatulas; et in amputatione virilis membri juxta portam civitatis, quæ dicitur Picta, ubi traxit magnum suspirium contractione narium. Poterat martyr dici, si pœna faceret martyrium (8), non voluntas. Cum autem laceraretur (9) tormentis, continuo hortabatur suam Margaritam licet absentem, ut esset

(1) E. Proventia et Francia. Feminæ.
(2) E. viduæ feminæ miserunt quingentos balistarios.
(3) 116, reddiderunt se. — E. dederunt se.
(4) E. Sed obsidio prædicta duravit.
(5) E. duravit.
(6) E. converti.
(7) E. varia.
(8) 116 e E. martyrem et non.
(9) E. lacerabatur.

constans. Illa imbuta doctrina Dulcini numquam deseruit mandata eius, imo [1] pertinacius eo fuit firma, considerata infirmitate sexus. Nam cum multi nobiles quærerent eam in uxorem, tum propter illius pulcritudinem immensam, tum propter eius pecuniam magnam, numquam potuit flecti. Unde pari pœna cum [2] dulci Dulcino suo ferro et igne lacerata illum audacter sequuta est ad inferos. Huius Dulcini fuit medicus magister Raynaldus de Bergamo, cuius nepos mihi multa narravit de homine isto. Nunc ad literam. Dicit Macomethus Danti: *o tu, che forse vedrai il sol in breve,* idest, qui cito redibis ad mundum viventium, ubi lucet sol, qui nobis [3] non splendet. Et dicit forte, dubitative, vel quia non credebat istum rediturum aliquo modo ad mundum; vel si credebat, nesciebat, si cito vel [4] tarde: *or di' dunque a fra Dolcin;* nomen conveniens sibi, quasi [5] dulcia venena propinquans, *che s'armi,* idest, muniat et fulciat se, *sì di vivanda,* idest, ita victualibus, quia, ut patet ex narratis, expugnatus fuit fame, *che stretta di neve,* hoc dicit, quia adveniente hyeme, deficientibus omnino victualibus, in monte frigido, non potuerunt ulterius tolerare incommoda [6] famis, et aliorum incommodorum: *non rechi la vittoria al Noarese,* idest, non reddat eum victum et captum novariensibus civibus suis; et reddit rationem dicens: *ch' altrimenti non saria leve acquistar,* quasi dicat, quod si non fecerit de armando se et providendo sibi; non esset facile acquirere unde aleret et sustentaret se et gentem suam; et dicit Macomethus: *s' egli non vuol qui tosto seguitarmi:* quasi dicat, si non vult cito mori, et venire ad eamdem pœ-

---

[1] E. ideo pertinacius eo fuit firma in hoc errore, considerata.
[2] E. cum Dulcino suo dulcissimo ferro et igne.
[3] E. nobis latet, nec splendet.
[4] E. an tarde.
[5] E. quia venena.
[6] E. molestiam famis.

nam, qua hic crucior tamquam bene meritus. Et sic vide quod Macomethus prædicit sibi futuram mortem in brevi, quia erat excarnificandus ferro et igne; deinde post mortem erat lacerandus ferro simul secum, quamvis Macomethus in vita fuerit necatus veneno cum adhuc esset juvenis: et concludit autor quod Macomethus hoc sibi dixit postquam erat jam paratus ad recessum. Unde dicit: *Maometto mi disse esta parola,* scilicet quod deberem dicere fratri Dulcino ex parte sua, *poi che sospese,* idest, levavit, *l' un piè per girsene,* idest, causa recedendi, *indi,* idest, deinde, *lo distese in terra a partirsi,* quasi dicat: dicto hoc verbo, post pedem levatum reposuit pedem in terram et recessit. Et hic nota quod autor sub ista pulcra fictione vult ostendere quod Macomethus erat sollicitus de evasione Dulcini, quia vere Dulcinus fuit simia Macomethi; et si non fuisset cito præventus multum poterat sperare quod multum exaltaret legem suam, quia induceret (¹) eam in Italiam, ubi est caput universalis ecclesiæ romanæ, quia adhuc curia erat in Italia, licet cito recessura. Et hic nota quod frater Dulcinus adhuc vivebat tempore visionis autoris; nam, ut aliqui scripserunt, frater Dulcinus fuit (²) in MCCCV.

Un altro. Ista est tertia pars generalis huius capituli, in qua autor introducit unum spiritum modernum, qui seminavit scisma (³) inter dominos, qui nominat (⁴) alium scismaticum antiquum qui idem fecit. Ad cognoscendum autem primum est sciendum, quod Petrus de Medicina, quem autor introducit hic ad loquendum, fuit pessimus seminator scandali, in tantum quod se aliquandiu magnificavit et ditavit dolose ista arte infami. Et ecce modum gratia exempli: si sensisset Petrus de Medicina, quod dominus Malatesta de Arimino tractabat

(¹) E. duceret.
(²) E. fuit anno 1250.
(³) E. scismata.
(⁴) E. nominavit etiam alium.

contrahere affinitatem vel societatem cum domino Guidone de Ravenna (1), invenisset ergo Petrus a casu quemdam familiarem domini Malatestæ, et petivisset affectuose: Quomodo valet (2) Dominus meus? Et post longam confabulationem dixisset in fine (3): Dicas domino Malatestæ, ut mittat mihi fidum nuntium, cum quo loqui possim, sicut secum, aliqua non spargenda in vulgo. Et veniente (4) tali nuntio petito, dicebat Petrus: Vide, carissime, male libenter dicam, quia de honore meo esset forte tacere; sed sincera affectio, quam habeo ad dominum meum (5) dominum Malatestam, non permittit me amplius dissimulare. Res ita se habet: Caveat sibi dominus Malatesta ab illo de Ravenna, alioquin inveniet se deceptum. Et statim remittebat istum nuntium sic informatum: et deinde illud idem falso fingebat apud dominum Guidonem de Ravenna, persuadens, ut caveret sibi ab illo de Arimino. Tunc ergo dominus Malatesta concepta (6) suspicione ex verbis Petri, incipiebat remissius agere cum domino Guidone, et paulatim incipiebat revocare quod conceperat (7). De quo perpendens dominus Guido, dicebat: Bene dicebat mihi verum Petrus de Medicina. Et e contrario dicebat dominus Malatesta. Et uterque deceptus mittebat Petro equos, jocalia, munera magna, et uterque habebat ipsum in amicum, qui erat familiaris inimicus, * quo nulla pestis est efficacior ad nocendum, ut ait Boetius * (8). Non ergo mireris si autor noster introducit istum ad loquendum magna arte, quem primo describit a diversa forma pœnæ, dicens: *un altro,* scilicet, Petrus, *che forata avea la gola,* quia

(1) E. Ravenna; ivisset ergo Petrus a casu ad quemdam.
(2) E. convalet.
(3) E. ei in fine: Dicas ipsi domino meo domino Malatestæ quod mittat.
(4) 116 e E. Advenienti tali.
(5) E. meum Malatestam.
(6) 116, suscepta.
(7) E. cœperat.
(8) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 116 e Estense.

in gutture formatur vox, quam iste exercebat ad divisionem aliorum, *e tronco il naso fin sotto le ciglia,* per hoc figurat, quod perdiderat honorem frontis, quia cum esset vir nobilis dederat se tam vili et detestabili arti; *e non avea ma' ch' un' orecchia sola.* Ad quod nota, quod natura dedit homini duas aures et unam linguam (1), ut duplo plus audiret quam loqueretur; adhuc opposuit natura ante linguam sæpem dentium et claustrum labiorum, ut ait Homerus, ad illam refrœnandam. Iste autem faciebat oppositum; *ristato a riguardar per maraviglia,* scilicet (2), me vivum et sine pœna, *con gli altri,* ut dictum est supra, quia ultra centum remanserant, *aprì la canna ch' era vermiglia di fuor d' ogni parte,* idest, quæ erat tota sanguinolenta ex vulnere recenti (3), quod habebat in gutture, *innanzi agli altri.* — *E disse.* Hic autor ponit orationem (4) Petri ad se, qui captat benevolentiam primo a persona autoris (5) et eius familiaritate. Unde dicit : *e disse :* scilicet ille Petrus mihi : *o tu, cui colpa non condanna,* idest, o Dantes, qui non es damnatus ad pœnam propter culpam, sicut ego et alii infelices : *e cui già vidi su in terra latina,* idest in Medicina patria mea, quæ est inter Bononiam et Imolam; et dicit : *se troppa somiglianza non m' inganna.* Hoc dicit, quia nimia similitudo (6) formæ sæpe decepit hominem; quasi dicat : si non fallor, videtur mihi, te vidisse in vita (7) in patria mea ; et verum dicit, et non fallitur. Unde debes ulterius scire, quod Medicina est villa grossa et pinguis inter Bononiam et Imolam; et est territorium per se, et habebat olim arcem fortem. Et ibi regnaverunt olim quidam nobiles et potentes, qui vocati

(1) E. linguam ad hoc, ut.
(2) S. scilicet videndo me vivum.
(3) E. recepto, scilicet quod habet in gutture.
(4) E. narrationem Petri de se qui.
(5) E. auditoris.
(6) E. similitudo sæpe decipit hominem.
(7) E. vita mea, in patria mea.

sunt Catanei (1) de Medicina, quorum hodie nullus extat. De (2) ista domo fuit Petrus prædictus. Ad domum istorum pervenit semel Dantes, ubi fuit egregie honoratus. Et interrogatus quid sibi videretur de curia illa, respondit, se non vidisse pulcriorem in Romandiola, si ibi esset modicum ordinis. Ideo Petrus (3) reducit se ad memoriam, sibi dicens: *rimembriti,* idest, recordare, *di Pier da Medicina,* utitur vocabulo regionis, et dicit: *se mai torni a veder lo dolce piano,* idest, Lombardiam et Romandiolam, quæ est terra plana, dulcis et suavis. Et tangit confinia, dicens: *che declina da Vercelli a Marcabò.* Hoc pro tanto dicit, quia civitas Vercellarum est in extremo Lombardiæ et Marchabò quasi in fine fluminis Padi. Unde scias, quod Marchabò fuit unum castellum, quod ædificaverunt veneti in agro Ravennate juxta fauces Padi, ut haberent illum passum (4) in potestate sua, ut per manus eorum transirent omnia quæ devehuntur per mare in Padum. Istud autem castellum dominus Rambertus (5) de Polenta cepit, et evertit a fundamentis post conflictum quem receperant (6) veneti apud Ferrariam anno Domini MCCCVIII. Vult ergo dicere Petrus autori: si contingat unquam, te revidere terram a Vercellis usque Ravennam. Et hoc dicit Petrus signanter, quia ipse erat solitus texere retia (7) inter dominos Lombardiæ et Romandiolæ. — *E fa' saper.* Hic Petrus prædicit autori enorme facinus, quod committendum erat per unum dominum Romandiolæ contra duos nobiles vicinos suos. Hoc autem fingit autor, ut ostendat quod iste erat solitus (8) nosse decreta do-

---

(1) E. Capitanei.

(2) E. Et de hac domo fuit iste Petrus: et ad domum istorum pervenit sæpe Dantes. Et interrogatus.

(3) E. Petrus nunc reducit se ad memoriam, sic sibi dicens.

(4) 116. passum fluminis in potestate sua, quia stabat quasi in fine fluminis Padi, ut per manus (5) E. Robertus. (6) S. receperunt.

(7) E. retia sua inter. (8) E. solicitus noscere secreta.

minorum, et revelare; ideo hic detegit unum malum futurum. Ad cuius intelligentiam debes præscire, quod Malatestinus tyrannus in civitate Arimini, quem autor vocavit Mastinum novum in capitulo præcedenti, ordinavit fallaciter unum parlamentum in vico, qui dicitur Catholica; ad quod invitavit duos præcipuos cives de civitate Fani. Qui cum venirent per mare in navi, et pervenissent ad plagiam juxta montem, qui vocatur Focaria, fuerunt præcipitati in mare, et suffocati ab iis, qui erant in navi, sicut præordinatum erat per dictum Malatestinum. Dicit ergo Petrus autori : *e fa' saper a i due miglior di Fano,* idest duobus nobilibus de civitate (1), quæ dicitur Fanum, in litore maris adriaci, distans ab Arimino per triginta milliaria; scilicet, *a messer Guido;* hic erat nobilis miles illo tempore in dicta civitate, qui vocatus est dominus Guido del Cassaro; *et anco ad Angiolello,* iste fuit alius nobilis civis qui vocatus est Angiolellus de Carignano : et hi ambo erant principes dictæ civitatis; *che, saran gittati fuor di lor vasello,* idest, de corpore, vel de navi; utrumque enim verum est, quia fuerunt proiecti de navi in aquam, et privati simul vita; ideo dicit : *e macerati presso a la Cattolica;* Catholica enim est terra satis deserta hodie juxta mare inter Ariminum et Pissaurum (2); et specificat autorem huius mali, dicens: *per tradimento d' un tiranno fello,* scilicet, Malatestini (3) ferocis. Vere audax homo fuit, qui tyrannum tam astutum, tam (4) potentem et sibi vicinum, non erubuit tam aperte infamare adhuc viventem. Et dicit: *se l' antiveder qui non èe vano:* quasi dicat, si damnati in inferno possunt prævidere futura. — *Tra.* Hic Petrus de Medicina detestatur tam grave facinus et illius autorem aperiens formam

(1) S. civitate Fani in littore maris adriatici.
(2) E. Pensaurum. (3) S. Mastini ferocis.
(4) 116, tam audacem, tam potentem.

facti. Et quia litera est satis obscura, nota quod iste vult sententialiter dicere, quod in toto orbe christiano ab occidente usque in orientem nunquam factum fuit simile nefas. Dicit ergo: *Nettuno,* qui dicitur deus maris apud poetas, *non vide mai sì gran fallo,* supple fieri in elemento subiecto sibi, scilicet in aqua; et loquitur hyperbolice, *non da pirati,* idest (1) a prædonibus marinis, qui consueverunt facere (2) magna mala in mari jugulando homines impie pro nihilo vel modico lucro, *non da gente argolica,* idest græca, ab Argo nobili civitate. Unde Jason græcus primus cum magna navi Argo violavit mare et rapuit aureum vellus et exportavit (3) Ardeam, et decepit Isyphilem, ut hæc omnia dicta sunt supra capitulo XVIIII. Et dicit: *tra l' isola di Cipri e di Maiolica.* Cyprus est insula quasi extrema in oriente in mari christiano, et Maiorica in occidente; quasi dicat in toto orbe christiano non est factum simile scelus in mari. Unde nota quod de Cilicia (4), quæ est vicina Cypro, fuerunt olim piratæ, qui infestaverunt (5) quasi omnia (6) maria, quos Pompeius magnus cum magnis ducibus tam sagaciter quam celeriter vicit. Sextus etiam ipsius Pompei filius, occupata Sicilia (7) cum multitudine piratarum, magna bella navalia fecit contra Augustum, et ita de multis dicere possem; et explicat autorem et formam tanti mali. Autorem enim describit a notabili vitio corporis et animi, dicens: *quel traditor,* quia contra jus gentium violavit fidem legatis, quæ est etiam servanda hosti, *che vede pur con l' uno,* scilicet, oculo. Hoc est verum historice, quia realiter Malatestinus erat monoculus; unde ipse, cum quis dicebat sibi interdum: domine, vos non

(1) S. idest, non a prædonibus.
(2) E. committere.
(3) 116 e E. asportavit Medeam et decepit.
(4) 116, Sicilia. — E. Cicilia.
(5) 116, infestabant.
(6) E. omnia loca marina.
(7) E. Cicilia.

intelligitis me; erat solitus respondere: utinam viderem ita bene! Et de rei veritate, videbat plus uno oculo, quam alii duobus, sicut dicitur de Hannibale, de quo tot jam dicta sunt in principio capituli, qui fuit magni ingenii sed pravi, et perfidus (1); et similiter Philippus pater Alexandri magni, monoculus fuit astutissimus, magni et varii ingenii, sed parvæ (2) fidei. Ideo Malatesta, potest dici nomen per antifrasim, quia sanum caput habuerunt communiter. Potest etiam exponi ista litera moraliter; cum enim homo naturaliter habeat duos oculos, quorum unum debet habere ad cœlestia, alterum ad terrestria; iste, oculo meliore perdito, solum terrena cernebat. Describit etiam Malatestinum a dominio, dicens: *e tien la terra,* scilicet Ariminum, ut jam declaratum est in capitulo præcedenti, in qua unus maximus scismaticus olim commisit pessimum scisma. Unde dicit: *che tal èe qui meco,* scilicet in ista bulgia juxta me, quia deliquit in eadem specie scismatis mecum, *che vorrebbe esser digiuno da vederla.* Hic est Curio romanus qui vellet numquam vidisse Ariminum, quia non esset hic infeliciter damnatus, ut statim dicetur, *farà venirli,* idest, vocabit eos ad veniendum, *a parlamento seco,* et sub isto colore honesto, *poi farà sì,* idest tam perfide aget, *che voto nè preco non serà lor mestier al vento di Focara.* Ad cuius intelligentiam debes scire, quod Focaria est una alta montanea prope Catholicam juxta supra mare, ubi solent esse magnæ tempestates, et fieri magna naufragia; unde navigantes sæpe solent facere magna vota et preces. Unde conversum est in proverbium (3): ibi Deus custodiat te a vento focariensi. Vult ergo dicere Petrus in effectu, quod non casu fortuito vel divino judicio, submergentur in

(1) E. perfidi.

(2) E. pravæ fidei. Ideo iste Malatestinus, dici potest per antifrasim, quia sanum caput habuerit.

(3) E. proverbium illud: Deus.

undis, vi [1] ventorum, sed fraude hominum suffocabuntur ibi. — *Et io.* Nunc autor exquirit a prædicto Petro de illo magno scismatico antiquo, de quo incidenter fecerat mentionem, dum vellet nominare Ariminum. Et primo autor adiurat Petrum, ut sibi dicat, quis est ille, qui numquam voluisset videre [2] Ariminum. Unde annectens partem sequentem præcedenti, dicit: *et io a lui,* scilicet [3] dixi Petro: *dimostrami e dichiara chi è colui da la veduta amara,* idest, qui amare vidit Ariminum, et malo suo, *se vuoi ch' io porti novella di te su;* scilicet, ad mundum. Hoc enim petiverat supra Petrus, quando dixit: *Rimembrati di Pier da Medicina.* Et nota quanta arte autor utitur hic, qui fingit, quod Petrus de Medicina ita infamet et accuset unum tyrannum de Arimino, quia noverat eum, et eius mala. Et deinde confirmat et accusat unum antiquum, qui seminavit discordiam perniciosam Arimini, ubi ipse aliquando idem fecerat ibi inter dominos de Arimino et alios de Romandiola. — *Allor.* Hic autor ostendit quomodo Petrus satisfecerit petitioni eius, dicens: *allor porse le mani,* scilicet ille Petrus, *a la mascella d' un suo compagno.* Et adverte quod autor vocat Curionem socium Petri, qui tamen fuerat ante eum per mille trecentos annos vel circa, quia erat socius sibi in culpa et in pœna; unde dicit: *e la bocca gli aperse,* ut ostenderet formam pœnæ, *gridando: questi è desso,* idest, hic est ille de quo quæris, *e non favella;* quia est sine lingua, ut statim dicetur. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod Curio civis romanus fuit eloquens orator tribunus plebis in urbe tempore belli civilis; qui expulsus ex patria quia favebat [4] enixissime parti Cæsaris, venit Ariminum ad Cæsarem, ut scribit

---

(1) S. non vi.
(2) 116 e E. vidisse.
(3) S. supple, dixi Petro.
(4) E. faciebat scismata parti Cæsaris.

Lucanus, et inveniens ibi Cæsarem adhuc trepidum (1) et dubium, gravi oratione ipsum animavit ad bellum; inter alia multa dicens: *Dum trepidant nullo firmatæ robore partes, Tolle moras; semper nocuit differre paratis.* Et istud consilium fuit causa suæ damnationis. Et hoc solum dictum tangit Petrus cum dicit: *questi, scacciato,* scilicet a senatu et nobilibus, qui favebant parti pompeianæ, *sommerse,* idest, sopivit, et abstulit, *il dubitar in Cesare, affermando,* idest, asserens, *che 'l fornito,* idest, quod homo præparatus (2) et præmunitus, *sempre sofferse,* idest, substinuit, *l' attender,* idest, expectare, *con danno,* quia mora vertit periculum in morosum. — *O quanto.* Hic autor facit unam exclamationem in confusionem Curionis tangens specialem pœnam eius. Est ergo hic notandum, quod pœna specialis Curionis est, quod autor ponit ipsum cum lingua evulsa de gutture. Sed quare autor hoc singulariter fingit de Curione? Dicunt (3) communiter exponentes, quia persuasit bellum civile Cæsari. Sed certe istud non sufficit; quia licet ponatur hic damnatus in ista bulgia ista de causa, tamen non apparet, cur potius debeat poni sine lingua quam Macomethus, qui tam multa locutus est cum autore. Ideo dico, quod autor eleganter dat pœnam pulcerrimam Curioni. Nam sicut ipse autor (4) supra capitulo XIII scribit: *non èe licito aver ciò che uom si toglie;* modo iste Curio privavit se sponte lingua, quia vendidit eam; ergo merito ponitur (5) sine ea. Nam Curio primo fuerat propugnator publicæ libertatis, sed corruptus muneribus et auro Cæsaris, factus est fautor et protector Cæsaris (6); cum enim alii formidarent potentiam Pompeii, alii Cæsaris, Curio se obtulit senatui, ut uterque simul ab armis discederet.

---

(1) E. territum. — 116, tepidum.
(2) E. paratus.
(3) E. Dicunt aliqui et communiter.
(4) E. auctor noster supra.
(5) S. ponit eum sine lingua.
(6) E. eiusdem Cæsaris.

Scribit autem Svetonius primo de duodecim Cæsaribus, quod Cæsar, Paulum Æmilium unum consulum, et Gaium Curionem violentissimum tribunorum multa et larga largitione conciliavit sibi, ne aliquando defensores deficerent sibi, vel in senatu, vel in populo. Unde et Virgilius sexto Eneidos (1): *vendidit hic auro patriam,* et Lucanus in fine tertii dicit: *emere alii, hic vendidit urbem.* *De eo autem dicit Plinius: *Curio nihil in censu habuit præter discordiam civium* * (2). Nunc ad literam dicit autor exclamative: *O quanto Curio;* vir eloquentissimus; eloquentia enim fuit quasi hæreditaria in domo Curionum, quia tres fuerunt Curiones magni oratores successive; quorum Curio pater nimis inhonesta de Cæsare dixit, quæ modo referre prohibet pudor, et dicit: *che fu così ardito a dir!* Unde Lucanus: *Audax venali comitatur Curio lingua; — mi parea sbigottito,* idest, territus et attonitus (3), *con la lingua tagliata nella strozza,* idest, in gula: vel potest aliter exponi, quia isti tales qui detractant inter magnates et potentes, sicut iste Curio fecerat sæpe, avelluntur lingua de facto, vel quia imponitur eis silentium perpetuum detecta fraude, quia erubescunt amplius loqui, quando sunt ita vituperati et confusi. Et ulterius volo te scire quod hic Curio turbator curiæ fuit (4) vere cæsus, vulneratus et laceratus. Nam cum missus a Cæsare venisset in Africam et effugasset (5) Varum, qui pro Pompeio præerat illi provinciæ, victum prœlio elatus juventute et nova victoria, incautus (6), fuit oppressus a rege Juba exercitu amisso. Et cum fugere posset voluit potius mori cum suis quos deduxerat ad mortem animose, et corpus illius inhumatum, laceratum

(1) 116 e E. Eneidos dicit: *vendidit.*

(2) Questo passo di Plinio dal Codice Estense è posto invece in fine di questa parte terza.

(3) E. attritus.

(4) E. fuit venenosus, vulneratus.

(5) S. fugasset. — E. subiugasset Barum.

(6) E. incaute.

est ab avibus, sicut (1) Julius Celsus dicit et Lucanus, qui pro magna parte sequitur illum.

Et un. Ista est quarta pars generalis capituli in qua autor describit duos spiritus modernos, quorum alter seminavit magnum scisma in patria, alter inter parentes; describit ergo primum a sua speciali pœna. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste fuit quidam nobilis miles de Lambertis de Florentia, nomine Musca, qui persuasit palam in consilio nobilium ghibellinorum de Florentia, ubi erant Uberti, Lamberti, Amidei, et alii multi, quod quidam egregius juvenis, vocatus Bondelmontus de Bondelmontibus trucidaretur, quia dimissa temere una de Amideis, quæ erat sibi promissa, duxerat aliam de Donatis in uxorem. Et cum quidam seniores in consilio (2) dissuaderent, et dicerent, quod finis erat prospiciendus (3), Musca dixit illud vulgare proverbium: *Res facta finem capit.* Deinde ipse cum quibusdam aliis de parte sua iverunt et trucidaverunt dictum militem Bondelmontem; ex quo postea nata est tanta (4) lis, quod magnates de parte ghibellina sunt expulsi. Hæc historia tangitur plenius Paradisi capitulo XVI; ideo breviter (5) ipsam perstrinxi. Ad literam ergo; dicit autor: *et un ch'avea l' una e l' altra man mozza;* et hic nota quod autor dat isti debitam pœnam, quia ex consilio eius deventum est ad sanguinem, ad mortes, ad vulnera; et quia Musca non solum cum lingua, sed cum manibus procuravit dictam discordiam; ideo bene ab autore ponitur sine manibus, ista enim mors fuit potissima causa bellorum civilium, et scandalorum Florentiæ. Dicit ergo*: levando i moncherin,* idest, brachia truncata manibus, *per l' aer*

---

(1) S. sicut scribunt Julius Celsus et Lucanus, qui.
(2) E. consilio illud dissuadentes, dicerent.
(3) 116, perspiciendus.
(4) S. talis lis.
(5) E. breviter eam prætermisi. Ad.

fosca, sicut solent sic truncati facere ad movendum alios ad compassionem et commiserationem; et levabat brachia super faciem suam; ideo dicit: *sì che 'l sangue facea la faccia sozza,* Musca [1] fuerat recenter truncatus a diabolo, ideo sanguis cadens maculabat faciem eius; quia de rei veritate sanguis fusus per eum recidebat super caput suum et suorum, vel quia ista fusio sanguinis horribiliter maculavit faciem, idest famam et honorem istius militis, qui alias fuerat vir prudens et probus: unde supra capitulo VI autor numeravit [2] eum inter illos cives suos qui exposuerunt ingenium ad benefaciendum, *gridò: recorderati anco del Mosca,* scilicet, ut de eo etiam memoriam relinquas penes [3] posteros; et ecce causam, *che dissi, lasso!* idest miser, *capo à cosa fatta,* idest, res facta habet finem, et dicit: *che fu mal seme per la gente tosca;* quia cum Florentia caput et decus Tusciæ movetur, tota regio turbatur; unde jam dictum est qualiter propter mortem unius secuta est discordia civilis et expulsio unius partis potentis, ex qua multa bella nata sunt, quibus diu quassata est tota Tuscia, sicut jam satis dictum est supra capitulo X; et subdit autor: *et io gli aggiunsi: e morte di tua schiatta,* quasi dicat: non solum fuisti mala [4] sementis pro gente Tusciæ in generali, sed etiam in speciali tuæ nobilis familiæ Lambertorum [5]. Et concludit effectum, dicens: *perch'elli accumulando duol con duolo,* idest, dolorem supra dolorem; quia ubi habebat [6] primo solum simplicem dolorem suæ pœnæ, nunc duplicatus est sibi dolor ex improperio [7] autoris, qui exprobravit sibi quod ipse fuerat destructio [8] suæ domus; *sen gío,* idest, recessit ad

---

(1) E. Musca iste fuerat.
(2) E. nominavit.
(3) S. apud posteros.
(4) E. malum semen pro.
(5) E. Ubertinorum.
(6) 116, habebat simpliciter dolorem.
(7) E. improperatione.
(8) E. destructor.

viam suam post alios, *come persona trista e matta*. Fuerat enim olim lætus in magno flore cum familia Lambertorum (1) ante istud consilium suum, sed postea fuit tristis, et alii simul secum, sicut autor expresse scribit Paradisi capitulo XVI: reputatus fuerat ante sapiens, sed post istud factum reputatus fuit semper insanus; talis est ergo fructus quale semen (2). — *Ma io*. Nunc autor describit unum alium spiritum modernum, de quo dixi quod seminavit discordiam inter parentes, scilicet inter patrem et filium. Et quia intendit describere (3) pœnam novam et mirabilem præmittit excusationem suam, ut reddat lectorem attentum, et continuans dicta dicendis, dicit: *ma io rimasi a riguardar lo stuolo,* quasi dicat: Musca recedente cum cive meo, ego non recessi, imo remansi ad considerandum exercitum, idest, multitudinem numerosam, in qua vidi aliam pœnam miraculosam; unde dicit: *e vidi cosa,* numquam visam per alium, *ch' io avrei paura di contarla solo senza più prova,* quam (4) sit solum testimonium meæ vocis, quia istud verum habet faciem mendacii, *se non che bona conscientia m' assicura,* quæ est bonus testis; unde dicit appositive: *la buona compagnia,* idest quæ bona conscientia est bonus socius (5) homini, ita quod illa comitante, numquam homo potest esse solus nec timidus, *che francheggia,* quia facit animum hominis liberum et audacem, *sotto l' osbergo,* idest sub protectione, *di sentirsi pura.* — *Io vidi.* Hic autor præmissa laudabili excusatione describit ipsam pœnam notabilem (6). Ad cuius intelligentiam claram oportet præscire, quod iste scismaticus ultimus commisit pessimum particulare scisma. Fuit igitur (7) quidam nobilis miles de Anglia, vel ut alii (8) dicunt, de

(1) E. Ubertorum. (2) E. semen est. — *Ma.* (3) E. declarare.
(4) S. quamquam. (5) E. testis. (6) E. nobilem.
(7) 116, enim quidam. (8) S. alii volunt. — E. aliqui dicunt.

Vasconia, nomine Beltrandus de Bornio, datus et deputatus ad curam et custodiam Johannis filii Henrici regis Angliæ, qui Johannes cognominatus est Juvenis. Hic Juvenis, dum puer educaretur in aula regis Franciæ, accidit, quod quidam nobilis petivit certam (1) gratiam a rege Franciæ, cui rex omnino denegavit: ex quo ille erubescens recedebat confusus. De quo rex perpendens, convertens se ad circumstantes, dixit: Est ne aliquid tam grave et molestum (2), sicut petere et negare? Tunc Juvenis reverenter respondit: Certe, inclyte princeps: negare est molestius egregio animo. Rex admiratus grave verbum (3), quod prodierat ex ore Juvenis, commendavit magnifice puerum, asserens ipsum futurum vere magnanimum: quod cuncti audientes confirmaverunt. Revocato itaque illo, qui petiverat gratiam, fecit sibi libere, quod petebat (4), contemplatione pueri. Beltrandus (5) autem ex tunc captus amore pueri, decrevit vivere et mori cum Juvene (6), et numquam dimittere ipsum usque ad mortem. Juvenis ergo pubescens factus est liberalissimus et munificentissimus omnium, et omnia effusissime erogabat, nemini aliquid denegando; propter quod Henricus pater assignavit sibi certam partem regni, secundum quam cito pauperavit sua liberalitate immensa. Deinde pater transtulit eum ad aliam partem regni. Sed nulli redditus sufficiebant largitati eius, imo continuo recipiebat (7) mutuo ab aliis, et semper erat debitor multis. Cum autem fatigasset fere regnum (8) suum curialitate sua, Beltramo semper laudante et confirmante sumptus eius, factus est odiosus patri, qui ve-

(1) E. quamdam gratiam regi Franciæ.
(2) E. molestum quantum est petere.
(3) E. responsum.
(4) 116, petiverat.
(5) E. Beltramus tunc.
(6) E. cum puero.
(7) E. e 116, accipiebat.
(8) E. regnum liberalitate sua, Beltrando.

nit contra eum cum exercitu. Et cum obsedisset eum in quadam terra quæ vocatur Altaforte, rex Juvenis die quadam egressus, valenter pugnans, percussus est lethaliter cum balista; et relatus intra fortilitiem, cum (1) sui dicerent, quod disponeret de factis suis, dicebat Juvenis: Quid habeo disponere, cum nihil habeam? Tunc quidam Factor unius magnæ societatis de Florentia, scilicet Bardorum, qui præstiterat sibi maximam summam, forte centum millium aureorum, lacrymabiliter (2) dixit: Et ego, bone domine, quid faciam? Tunc Juvenis suspirans dixit: Tu solus cogis me facere testamentum. Et continuo, vocato notario, condidit testamentum, et inter alia fecit mirabile legatum, dicens: Relinquo animam meam diabolo, nisi pater meus integre solverit omnia debita mea. Rege Juvene mortuo, Castrum redditum (3) est regi Henrico patri, et Bertrandus captus (4). Cui rex fertur dixisse: Bertrande, audio te sæpe inaniter jactasse, quod numquam fueras operatus medietatem tuæ prudentiæ; nunc est opus, quod exerceas totum scire tuum. Cui Beltrandus sagacissime respondit: Inclyte domine, mortuo rege Juvene, mortua est omnis prudentia mea, ingenium et cautela. Tunc rex pietate motus libere pepercit sibi. Deinde cum rex familiariter increparet Bertrandum, cur numquam reprehenderat et revocaverat Juvenem a vanis operibus suis, respondit Bertrandus prudenter: quia numquam vidi ipsum errare in re minima. Tunc renovatus est planctus (5) patris super mortem nobilissimi filii, non aliter quam David deploravit suum primogenitum Absalonem. Nunc potes secure reverti ad literam, quæ declarat formam pœnæ istius Bertrandi. Dicit ergo autor: *Io vidi certo,* scilicet cum oculis speculatio-

(1) E. cum suis, dixerunt ei quod.
(2) E. lacrymabat, dicens: Et.
(3) S. deditum est.
(4) S. est captus.
(5) E. ploratus patris.

nis (1), *et ancor par che 'l veggia,* quia scilicet tam firmiter et attente notavi, quod adhuc imago huius rei remanet impressa menti meæ, *un busto,* idest, corpus, *andar senza capo,* quod amputatum erat a trunco; et dicit: *sì come gli altri de la trista greggia.* Non intelligas quod alii irent sine capite, sed volens ostendere rem mirabilem dicit, quod iste, quamvis haberet caput divisum a corpore, tamen ibat simul cum aliis de illa mœsta turba, qui habebant caput; ideo miraculosum erat videre truncum sine capite ambulantem. Et tangit modum dicens: *e tenea il capo trunco,* idest, truncatum a busto, *preso con mano,* vel secundum aliam literam *pesol,* idest, pendulum sive pendens, *per le chiome,* idest per crines, sive capillos, et dicit: *a guisa di lanterna,* et est similitudo propria: sicut enim portans lanternam videt cum lumine quod est in ea, ita iste videbat cum luminibus, idest oculis qui erant in capite, quod ipse portabat in manibus; et ostendit actum et sermonem (2) dicens: *e quel mirava noi,* quia videbat me et Virgilium sine pœna, et me vivum, *e dicea omè,* idest, heu mihi! quam amara est pœna mea inaudita! Et ipse Bertrandus, *facea di se,* idest, de parte sui corporis, scilicet capite, *lucerna,* idest, lucem vel lumen, et ostendit quomodo dicens: *et eran due in uno, et uno in due.* Nam licet esset unus homo solum (3), tamen erat duplex, quia mens erat divisa, et lingua divisa: et quia videtur difficile cognoscere istud in homine, scilicet qualiter sit alius a se ipso; ideo dicit: *com' esser può quei sa che sì governa,* quasi dicat: Deus bene novit quomodo hoc sit, qui tam sapienter gubernat mundum, et tam juste distribuit et dispensat (4) pœnas delinquentibus. — *Quando.* Hic autor describit

---

(1) 116, intellectualibus speculationis.
(2) S. e E. sermonem eius, dicens.
(3) E. e 116, solus.
(4) E. disponit.

orationem Bertrandi ad se, et primo præparat ipsum ad loquendum, dicens: et ille Bertrandus, *levò il braccio alto con tutta la testa,* et ecce [1] ad quid, *per appressarne le parole sue,* quia scilicet Bertrandus erat inferius in fundo bulgiæ, et autor erat superius in culmine pontis; et hoc fecit, *quando fue dritto al piè del ponte,* scilicet ex opposito autoris, de loco ubi poterat facilius audiri ab autore, et dicit: *che furo,* idest, quæ verba fuerunt talia: *tu che spirando,* idest, qui vivens, *vai veggendo i morti,* idest, mortuorum pœnas et miserias ad correctionem tui et aliorum, *or vedi la pena molesta,* molestum certe est esse divisum in se ipso; *vedi s' alcuna èe grande come questa,* quasi dicat: ista est maior cæteris, ita videtur unicuique pœna sua. — *E perchè.* Hic Bertrandus manifestat se a nomine et a vitio, dicens: *E sappi ch' io son Bertram dal Bornio, quelli che diedi i mal conforti,* idest pravas persuasiones, *al re Giovane.* Et hic nota quod Juvenis [2] fuit quasi alter Titus Vespasiani filius, qui teste Svetonio dictus est amor et deliciæ generis humani. Et fuit liberalissimus ut ille, et placidissimus, pulcerrima schomata semper faciens; et parum vixit, sicut et Titus, et mortuus est [3] sine liberis; cui successit Richardus strenuissimus bellorum, qui fecit magnalia in capiendo civitatem Acon, de qua dictum est in capitulo præcedenti. Et dicit: *perchè tu porti,* idest, hoc dico, ut possis portare *di me vere novelle,* scilicet ad mundum, ad quem audio te rediturum; et specificat formam suæ culpæ, dicens: *io feci il padre e 'l figlio in sè ribelli,* idest, feci regem Juvenem et Henricum veterem patrem eius hostes infestos inter se. — *Achitofel.* Hic autor noster per modum comparationis subtili arte subannectit alium scismaticum antiquissimum qui deliquit eadem culpa, et

---

(1) E. et ecce causam ad quid.

(2) S. iste Juvenis.

(3) E. est in bellis.

punitur pari pœna secum. Et ad cognitionem claram istius oportet breviter scire historiam quæ scribitur secundo libro Regum valde diffuse, cuius hæc est summa. David rex habuit filium primogenitum nomine Amon, qui infelix captus est amore sororis suæ, quæ dicta Thamar erat pulcerrima mulierum quæ tunc essent in Hierusalem, et moriebatur propter ipsam; quare de consilio unius amici simulavit se ægrotum, et David patrem qui venerat visitatum eum, rogavit, ut mitteret ad eum Thamar sororem suam, quæ faceret sibi epulum. Quod cum factum esset Amon, remotis arbitris et clauso ostio, in secreto cubiculo illam nolentem et contradicentem violenter oppressit; sed flagitio perpetrato, statim amor conversus est in odium maius, et (1) ipsam fecit turpiter expelli. Thamar (2) recedens in habitu mœsto cum clamore et querela occurrit Absalon (3) fratri suo uterino, qui, visa re (4) atroci, tace, inquit, frater tuus est; et dissimulavit factum per biennium cum magno odio occulto. David autem (5) contristatus valde, noluit contristare spiritum Amon, quem diligebat ratione primogenituræ. Absalon, quando credidit fratrem oblitum iniuriæ fecit convivium magnum in loco suo extra urbem, ad quod invitavit patrem et omnes fratres (6); ad quod David nolens accedere, misit ad preces Absalon Amon cum omnibus (7) filiis, et in fine convivii, cum Amon esset temulentus, multi ministri ad hoc parati trucidaverunt Amon sicut mandaverat eis Absalon; et fugientibus fratribus suis præ timore, Absalon fugit in Syriam, ubi stetit tribus annis; tandem Joab qui erat princeps militiæ David sagaciter reconciliavit Absalon patri suo, opera cuiusdam

(1) E. unde ipsam.
(2) E. Hinc Thamar.
(3) S. Absaloni.
(4) E. rei atrocitate, inquit.
(5) E. autem consternatus in corde, valde tristis noluit contristari spiritum.
(6) E. fratres; at David.
(7) E. reliquis filiis suis, et.

sapientis mediante, qui mansit duobus annis in Hierusalem in domo sua, quibus non vidit faciem regis, nec rex locutus est sibi. Sed Joab compulsus ab Absalone, tantum fecit quod David illum supplicantem recepit ad osculum pacis: et breviter Absalon aspirans ad dominium conabatur adulationibus et promissis conciliare sibi corda omnium; deinde de licentia patris simulans se ire ad solvenda vota concitavit omnes tribus Israel contra (1) patrem faciens se vocari regem, et traxit ad se Achitophel consiliarium David (2). Cum autem rumor rebellionis pervenisset ad regem, timens furorem Absalon, recessit festinanter de Hierusalem cum sexcentis viris electis; recedebat autem David in habitu miserabili, cooperto capite et nudis pedibus, et totus populus qui erat cum eo plorans; et audiens David quod etiam Achitophel quo tantum fidebat erat in coniuratione cum Absalon, rogavit Deum quod infatuaret consilium eius. Et cum David ascenderet summitatem montis, in quo erat adoraturus Dominum Deum, occurrit sibi amicus nomine Chusi, cui David persuasit ut non sequeretur eum, quia esset sibi ad onus, sed (3) reverteretur in Hierusalem et adhæreret Absalon, simulans se servitorem eius, sicut fuerat David, ut cum tali fraude posset dissipare consilium Achitophel, et indicare regi quicquid ageretur; et sic factum est. Absalon igitur (4) in Hierusalem voluit consilium Achitophel. Achitophel autem sua lingua fellea consuluit, quod Absalon intraret ad concubinas patris, quas David reliquerat ad custodiam domus suæ, ut omnis Israel, audiens (5) quod filius maculasset thorum patris, confirmaretur cum Absalon, quia esset vere infestus patri suo. Absalon ergo tenso tabernaculo in solario coram uni-

(1) E. contra ipsum patrem suum, faciens.
(2) E. regis David.
(3) 116, quod reverteretur.
(4) E. igitur ingressus Hierusalem.
(5) E. audito quod.

verso populo intravit ad concubinas patris quæ erant decem numero. Tunc enim consilium Achitophel reputabatur quasi consilium Dei, et cum erat cum David, et cum erat cum Absalon. Deinde Achitophel dixit Absalon quod volebat eligere duodecim millia virorum, et persequi David illa nocte, et opprimere illum fatigatum et imparatum (1), ut rege percusso reduceret populum fugientem ad civitatem, dicens: tu unum hominem quæris, et omnis populus erit in pace. Et placuit sermo Achitophel Absalon et cunctis maioribus Israel; tamen Absalon fecit vocari Chusi, et interrogavit si deberet facere secundum consilium Achitophel. Chusi autem dixit, quod non erat bonum consilium Achitophel, illa vice dicens: tu nosti patrem tuum fortissimum habere fortissimos bellatores (2), qui sæviet velut ursa ereptis sibi filiis; sed consilium rectum mihi videtur quod, congregato universo Israel, tu sis in medio, et irruamus super eum ne evadat unus; et si David intraverit aliquam civitatem, obsidemus eam, et trahemus in fluvium, ita quod non invenietur lapillus; et (3) omnes viri Israel plus laudaverunt consilium Chusi, cum tamen consilium Achitophel esset utilius: et hæc omnia Chusi fecit significari David, et dici (4) quod nocte illa non staret in campis deserti, sed recederet ultra fluvium Jordanem (5). David ergo transito Jordane venit in castra, optimam (6) et munitissimam civitatem. Achitophel autem videns (7) quod consilium eius erat spretum ascendit asinum suum et ivit in civitatem suam; et in domo sua ex ira et indignatione amaricatus suspendit se laqueo, sicut dignum erat. Absalon autem cum maximo exercitu veniens contra patrem trans-

(1) E. vituperatum.
(2) E. bellantes qui sævit.
(3) E. e 116, Absalon et omnes.
(4) E. et dixit.
(5) E. Jordanum.
(6) E. optima et munitissima civitatis.
(7) 116, videns consilium suum spretum.

ivit Jordanem [1] et castrametatus est in terra Galaad. David autem, considerato populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones, et dedit tertiam partem exercitus Joab, et alias duas partes duobus aliis ducibus; et ipse de consilio suorum remanens in civitate, mittens duces cum exercitu contra filium, mandavit ut in omnem eventum salvarent filium suum Absalon. Factum est autem prœlium acre in monte Ephraim, et populus Israel cæsus est a populo David cum strage magna; nam viginti millia hominum ex exercitu Absalon in acie ceciderunt, et fuga maxima facta est. Absalon autem fugiens supra mulo transivit sub quercum densam et magnam, et caput eius adhæsit quercui, et illo remanente suspenso, mulus eius pertransivit. Hoc autem nunciato Joab accurrit cito et cum tribus lanceis transfixit cor Absalon; et cum adhuc palpitaret cucurrerunt [2] decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum, sicut ipse decem concubinas patris maculaverat. Joab autem revocavit exercitum ne persequeretur populum fugientem, volens parcere multitudini [3]. Corpus autem Absalon proiecerunt in foveam grandem, et superiecerunt acervum lapideum magnum nimis. David autem expectans inter duas portas urbis, audita morte Absalon, prorupit in fletum magnum; et deambulans clamat [4]: fili mi, Absalon, Absalon, fili mi; et in die illa victoria conversa est in luctum omni populo; tamen Joab increpans David retraxit eum in [5] planctu. Nunc ad literam redeundo, dicit Bertramus [6] confitens grave delictum suum: *Achitofel non fee più d'Absalone e di David,* quasi dicat: non seminavit maius scisma inter Absalon filium et David patrem, quam ego fecerim [7] inter Juvenem filium

---

(1) E. Jordanum.
(2) S. venerunt. — E. occurrerunt.
(3) S. cæcæ multitudini.
(4) 116 e E. clamabat.
(5) S. e E. a planctu.
(6) S. Bertrandus.
(7) 116, feceram.

et Henricum patrem, *con malvagi pungelli,* idest, iniquis stimulis pungentibus pravarum suggestionum. Et hic nota quantum comparatio ista est (1) propriissima per omnes partes sui: sicut de rege patre ad regem patrem, de filio regis ad filium regis, de consiliario pravo ad consiliarium pravum. Sicut ergo Absalon juvenis pulcerrimus omnium devenit ad bellum contra patrem suum David opera Achitophel; ita Juvenis placidissimus omnium devenit ad bellum contra patrem suum Henricum opera Bertrami; et sicut par fuit culpa filiorum, ita par pœna: nam sicut Absalon victus transfixus fuit triplici telo ex quo mortuus est, ita Juvenis victus transfixus est hasta vel sagitta ex quo mortuus est; et sicut David amare flevit filium suum Absalonem quamvis rebellem, ita Henricus acerbe flevit suum filium Juvenem quamvis rebellem, et uterque autor rebellionis punitur pari pœna; quia debes imaginari quod Achitophel incedit in ordine (2) cum Bertramo del Bornio portans caput truncatum a corpore in manibus suis. Et concludit Bertramus causam suæ divisionis, dicens: et ego: *porto partito il mio cerebro, lasso* (3), idest, divisum et separatum meum cerebrum miserum (4), *dal suo principio ch' èe in questo troncone,* scilicet a corde quod erat in trunco, scilicet in pectore, quod quidem cor est principium cerebri et omnium membrorum; et ecce causam, *perch' io partii sì congiunte persone,* sicut est pater et filius, qui una et eadem persona censentur; et ideo, *così s' osserva in me lo contrapasso,* quasi dicat: ita recipio vicem meam. Et hic ultimo nota quod autor noster non capit hic scisma stricte prout capitur in sacro canone, sed large pro omni divisione et disseminatione scandali, sicut satis patet ex dictis.

(1) E. sit. (2) 116, in ordinem. (3) E. *basso.* (4) E. bassum.

CANTUS VIGESIMUS NONUS, *in quo ponit falsatores coniorum, et de omnibus in facto et dicto, qui omnes sunt leprosi; et de modo pœnæ eorum sub titulo magistri Adami de Romena, et aliorum multorum ad eamdem pœnam existentium.*

La molta gente e le diverse piaghe. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit (1) et determinavit de pœna scismaticorum, qui puniuntur in nona bulgia, diversis vulneribus; nunc consequenter in præsenti capitulo XXVIIII agit et tractat de pœna falsatorum, qui puniuntur in decima bulgia variis morbis. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor (2) retangit aliquid de materia præcedenti faciens mentionem de uno spiritu suæ stirpis, qui fuit de numero scismaticorum. In secunda describit pœnam et supplicium falsatorum in generali, ibi: *Quando noi fummo.* In tertia tractat de una specie falsationis, quæ vocatur Alchimia, in duobus spiritibus alchimistis qui fuerunt tempore suo moderni, ibi: *Passo passo.* In quarta et ultima facit unam exclamationem digressorie contra gentem senensium vanissimam, de qua incidenter facta erat mentio, ibi: *Et io dissi.* Ad primum ergo veniens dico, quod autor adhuc insistens materiæ prædictæ facit mentionem de quodam scismatico de domo sua damnato inter superiores; et (3) continuans se ad præcedentem materiam dicit, quod erat ita abstractus ad considerandum multitudinem et multiplicitatem pœnarum, quod nesciebat recedere inde. Dicit ergo: *La molta gente,* idest, multitudo scismaticorum

(1) E. tractavit pœnas scismaticorum.
(2) S. autor tangit.
(3) 116 e E. et primo continuans.

nonæ bulgiæ, *e le diverse piaghe,* idest, diversitas vulnerum, *avean sì inebriate le mie luci*, idest, ita gravaverant meos oculos intellectuales, *che eran vaghe de lo star a piangere:* quia quanto magis scrutabatur (1) inter istos, tanto magis invitabatur (2) ad planctum ex compassione humana, videns tot vulnera et tantum sanguinem humanum fusum sæpe vitio pravæ linguæ, et specialiter occurrebat sibi unus de sua stirpe, super cuius mortem violentam lacrymabatur. Et hic nota, quod per verba prædicta autor vult dicere in effectu: ego eram adhuc (3) totus intentus cum animo circa dictam materiam, et multa restabant dicenda propter magnitudinem (4) materiæ; sed Virgilius retraxit eum, quia liber non patitur (5) quod plus dicatur, potissime, quia autor tam multa comprehendit in uno capitulo. Unde est valde dignum notatione, quod autor in præcedenti capitulo in uno genere vitii posuit tot species pœnarum diversarum (6), quia posuit Macomethum totum divisum omnibus visceribus horribiliter (7) apparentibus; Aly in facie scissum; Petrum de Medicina foratum in gutture sine naso et auribus; Curionem sine lingua; Muscam sine manibus; Bertramum (8) sine capite. — *Ma.* Hic autor ostendit quomodo Virgilius arguerit eum de mora et invitaverit eum ad celeritatem. Unde dicit: *Ma Virgilio mi disse: che pur guate?* idest, quid amplius frustra respicis? *perchè la vista tua,* idest, speculatio tua, *pur si soffolge là giù,* scilicet in fundo bulgiæ nonæ, *tra l' ombre triste smozzicate?* scilicet, scismaticorum privatorum diversis membris; ideo bene tristes, quia nullus est integer corpore, ut jam ostensum est discurrendo per multos. Et tangit causam

(1) E. scrutabantur. (2) E. invitabantur.
(3) E. adhuc intentus circa prædictam materiam, quia multa.
(4) S. multitudinem. (5) S. patiebatur.
(6) S. prædictarum diversarum. (7) S. turpiter.
(8) E. Beltrandum.

suæ petitionis, quia scilicet autor non consuevit sic facere in aliis pœnis. Unde dicit: *tu non hai fatto sì all' altre bolgie:* et quia posset dicere Dantes: hoc ideo facio (1) hic, quia vellem alia videre; dicit Virgilius: nimis haberes facere; unde statim tangit magnitudinem loci, dicens: *pensa che la valle,* idest, ista bulgia nona, *volge miglia ventidue.* Et hic nota quod aliqui dicunt quod autor vult per hoc innuere, quod unaquæque bulgia sit maior duplo sua sequenti, unde decima bulgia sequens continet undecim milliaria, sicut infra dicetur; et (2) octava, quadraginta quatuor, et ita gradatim ascendendo vel descendendo; sed forte, secundum istam computationem infernus ascenderet ad nimis magnam quantitatem; tu vero videas: et tacta magnitudine loci, Virgilius tangit parvitatem temporis, dicens: *e già la luna èe sotto i nostri piedi.* Per hoc autor dat intelligi quod erat quasi meridies, ita quod steterant duobus diebus et duabus noctibus, et medietate tertiæ diei in inferno, ita quod sol, secundum dispositionem dictam XX (3) capitulo, transiverat mediam diem tanto, quanto luna transcurrebat (4) in quarta parte diei, ita quod largo modo poterat esse plusquam meridies per viginti minuta. Ideo bene dicit: *Lo tempo èe poco omai che n' èe concesso,* quia habemus stare in inferno solum mediam (5) diem, et unam noctem; quod est dicere: materia est longa, sed tempus breve, quia cito oportet perficere istum primum tractatum Inferni, *et altro èe da veder che tu non vedi,* quia aliæ fraudes restant describendæ, scilicet falsatio et proditio, quæ multum nos occupabit, quia est materia difficilis ad describendum (6). — *Se tu.* Hic autor facit suam

(1) E. facio, quia hic veni alia videre. (2) E. et ita octava.
(3) E. dictam in proximo cantu transiverat medietatem tanto.
(4) E. transiverat. — 116, transcurrerat.
(5) E., S. e 116, per mediam diem et per unam noctem.
(6) E. e S. scribendum.

excusationem, respondens Virgilio, et dicens: *rispos' io dappresso,* idest, statim post reprehensionem ([1]) Virgilii, *forse m' avresti ancor dimesso lo star,* idest, forte concessisses ([2]) mihi, quod ego adhuc remansissem ibi aliquandiu, *se tu avessi atteso a la cagion perch' io guardava.* Et hic adverte quod Dantes loquitur hic ad modum passionati, quia non videtur recordari quod Virgilius noverit omnem intentionem suæ mentis, quamvis secretissimam, ut jam sæpe dixit, et dicet. Et intersecat ([3]) autor artificiose quod Virgilius continuo recedebat, ipso sic loquente; ideo ordina sic literam quæ videtur intricata: *lo duca,* scilicet Virgilius, *sen gía parte,* idest, interim, ita quod *parte* non est hic nomen, imo adverbium, et est vulgare florentinum, quasi dicat: Virgilius ibat continuo dum responderem ([4]) sibi; hoc ideo fingit quia nolebat amplius expendere tempus circa ([5]) rem de qua non erat facienda mentio, nisi leviter in transitu; unde dicit: *et io li andava dietro già facendo la risposta,* scilicet, de causa speciali quæ me detinebat ([6]) ad respiciendum adhuc ibi, unde dicit: *e sogiugnendo: credo ch' un spirto del mio sangue,* idest, quidam de genere Aldigheriorum, *pianga la colpa,* idest, crimen detractionis ([7]), *che tanto costa là giù,* idest, quæ tam gravi pœna punitur in fundo, *dentro a quella cava,* idest, intra illam bulgiam nonam cavatam, quam modo dimisimus, *dov' io tenea or gli occhi,* scilicet intellectuales, *sì a posta,* idest, tam fixos de industria, cum tanto studio. Et hic adverte, lector, quod autor non pepercit proprio sanguini in dicenda veritate, minus ergo mirari potes si non parcit aliis. — *Allor.* Hic autor ponit consilium Virgilii circa istam

---

([1]) S. reversionem. — E. responsionem. ([2]) 116, commisisses.
([3]) 116 e E. interserit. ([4]) S. dum responderet.
([5]) E. circa rem ad quam non erat amplius redeundum, nec de ea mentio facienda nisi leviter in transitu; et ideo dicit. ([6]) E. retinebat.
([7]) S. detestationis, detractionis.

materiam, dicens: *allor disse il maestro,* scilicet Virgilius, qui dabat mihi bonam doctrinam in omnibus, *lo tuo pensier non si franga,* idest, non fatigetur, *da qui inanzi sovr' ello,* quasi dicat: non expendas amodo tempus circa ipsum, quia aliud est dicendum; unde dicit: *attendi ad altro,* scilicet ad novam pœnam falsatorum, *et ei là si rimanga,* quasi dicat: remaneat in pœna sua, quam bene promeruit; et ad quietandum animum autoris [1] Virgilius dicit se vidisse hominem, et qualiter se habebat; unde dicit: *ch' io vidi lui a piè del ponticello,* idest, juxta pontem nonæ bulgiæ, ubi erat Bertramus del Bornio, *mostrarti e minacciar forte col dito;* iste enim quamvis fuisset juste trucidatus, tamen appetebat vindictam; et specificat ipsum per nomen, dicens: *et udì' nomar Geri del Bello.* Ad cognitionem istius nominati est sciendum, quod Gerius iste vir nobilis fuit frater domini Cioni del Bello de Aldigheriis; qui homo molestus et scismaticus fuit interfectus ab uno de Sacchettis nobilibus de Florentia, de quibus fiet mentio capitulo XVI Paradisi, quia seminaverat discordiam inter quosdam; cuius mors non fuit vindicata per spatium triginta annorum. Finaliter filii domini Cioni et nepotes præfati Gerii, fecerunt vindictam [2], quia interfecerunt unum de Sacchettis in ostio suo. Et respondet Virgilius quæstioni tacitæ, quia enim Dantes dicere posset: et quomodo ego non vidi ipsum? dicit Virgilius: *tu eri allor sì del tutto impedito,* idest, penitus occupatus cum oculis defixis [3], *sovra colui,* scilicet Bertramum del Bornio, *che già tenne Altaforte,* quod est unum oppidum in Anglia quod olim Bertramus tenuit, ut jam dixi in capitulo præcedenti. Et nominat istam terram nunc incidenter, quia non nominaverat eam supra, ubi agebatur de principali ma-

(1) E. auditoris. (2) E. vindictam interficiendo unum. (3) 116, affixis.

teria: *che non guardasti in là; sì fu partito.* Et bene dicit, quia de rei veritate autor debuit esse valde (1) abstractus in fictione profunda, quam superius fecit in descriptione illius pœnæ mirabilis; ideo menti suæ occupatæ circa illam speculationem non occurrit Gerius del Bello, qui videbatur nominandus inter istos scismaticos vulneratos et laceratos; qui (2) in vita fuit truncatus ferro ob istam culpam, et post mortem cæditur a diabolo, sicut et alii. Et forte autor nominat ipsum post Bertramum del Bornio, quia ipse detractaverat inter consanguineos; et ideo autor vult dicere tacite, quod ipse voluit potius facere fictionem pulcerrimam, utilem et fructuosam lectori de Bertramo viro probo, quam occupare cartam inutiliter de consorte suo Gerio del Bello, de quo non erat pulcrum facere sermonem longum, licet amor consanguinitatis (3) stimularet eum. — *O duca.* Hic autor assignat causam Virgilio unius quod (4) dixerat. Virgilius enim dixerat quod viderat illum Gerium del Bello minari fortiter cum digito; dicit ergo autor quod attinens suus hoc fecit ex indignatione mortis inultæ. Unde dicit: *diss' io: o duca mio,* idest, o Virgili, qui non. permisisti me videre eum, *la violenta morte che non gli èe ancor vindicata per alcun che sia consorte de l' onta,* idest, ad quem spectet (5) ultio, quasi dicat: nec per alium consanguineum, nec per me. Et hic dicunt aliqui quod Dantes fuit ille qui finaliter fecit vindictam de ista morte; sed istud non videtur verisimile, quia si ista vindicta nondum erat facta in MCCC, Dantes non potuit postea vacare talibus, qui habuit dare operam tanto operi, ut alias curas omittam; ideo dicit: *fece lui disdegnoso,* scilicet requirendi me, sicut fecerant multi alii socii eius, *ond' el sen gìo senza parlarmi,* ideo di-

---

(1) E. saltem. (2) 116, quia in vita. (3) S. et consanguinitas.
(4) E. quod ipse dixerat. (5) S. spectat.

cit: *e fatto m' ha a se esser più pio in ciò,* quasi dicat: in hoc magis doleo et compatior, quia pulcrum et pium videtur facere vindictam de parentibus in isto mundo. Et hic volo te notare, quod cum omnes homines (1) naturaliter tendant ad vindictam, florentini maxime ad hoc sunt ardentissimi et publice et privatim; quod bene ostenderunt his temporibus ecclesiæ romanæ, cui fecerunt rebellare magnam partem Italiæ, cum magna (2) desolatione omnium terrarum et excidio multorum. Unde credo quod signanter autor fecerit hic istam fictionem singulariter ista de causa, in qua ostendit, istum spiritum florentinum adeo indignari de vindicta non facta de eo, et se assentire (3) illi. Unde audivi optimos florentinos maxime damnantes genus florentinorum (4) a nimio appetitu vindictæ; ideo bene autor introducit Virgilium virum sapientem, qui dissuadet sibi hoc. Nota etiam quod, licet pulcrum videatur facere vindictam, tamen multo pulcrius est remittere; quoniam pulcrum genus vindictæ est parcere cum possis ulcisci. Hoc autem est proprium magnanimi, quod bene magnanimus Cæsar ostendit, qui raro vel numquam fecit vindictam de offensoribus, imo omnibus clementer pepercit, sicut patet apud Julium Celsum, Plinium, Svetonium et multos, de quo dicetur plene Paradisi capitulo VI. Et concludit autor in hac materia, dicens: *così parlammo,* de dicta materia, *infino al loco primo,* idest, usque ad principium pontis decimi, scilicet ad ripam, quæ dividit nonam bulgiam a decima, *che,* idest, qui locus primus, *mostra l' altra valle,* scilicet decimam et ultimam bulgiam, *de lo scoglio,* idest desuper ponte; et vult breviter dicere, quod a medio culmine noni pontis iverunt loquendo simul usque ad

(1) S. homines ad vindictam sint ardentes, florentini maxime ad hoc sunt.
(2) S. maxima. (3) E. absentare illi. Bene audivi.
(4) E. florentinorum animo et appetitu.

introitum alterius pontis decimi. Et dicit: *se più lume vi fosse tutto ad imo.* Vult dicere, quod de isto ponte decimo, ad quem noviter appulerant (1), posset videri quidquid est in fundo illius vallis subiectæ, si ibi esset plus luminis quam sit; et bene fingit, quia ista decima bulgia est (2) maxime obscura, quia in ea puniuntur falsatores, sicut statim dicetur.

Quando noi fummo. Ista est secunda pars generalis, in qua autor tractat de generali pœna falsatorum, quorum multæ sunt species. Ad cuius rei evidentiam est notandum, quod autor dat meritam pœnam istis falsatoribus. Fingit enim quod omnes sunt affecti variis morbis, languoribus et passionibus, sicut lepra, hydropisi, ethica, furia, febre; et sic omnes sunt corrupti in carne sua in dissolutionem suæ naturæ, per quod figurat quod isti falsatores corrupti mente, corruperunt (3) omnia in destructionem naturæ ipsarum rerum; et ex infirmitatibus et corruptionibus istis emanant magni fœtores, quia isti corrumpentes naturalia et artificialia dicta et facta inficiunt alios, et eorum labes contagiosa polluit (4) aerem vicinum, idest, gentes vicinas; et sæpe pestis se extendit ad bene longinquos, sicut videmus de facto, quod una ars vel mercantia corrupta ultra montes, cito transit citra montes, et similiter corrupta citra mare, cito transit ultra mare, et e converso. Magni etiam dolores audiuntur hic, quia tales falsatores communiter incurrunt magna mala, pericula, et damna, quibus non est remedium nisi dolor, planctus, lacrymæ, suspiria, querelæ, sicut patebit infra in singulis speciebus istorum. Et sicut genera ægritudinum et species passionum sunt

---

(1) S. appulerunt. — E. appulerant, possent videre.
(2) E. est valde obscura, maxime quia.
(3) E. corrumpuntur etiam in destructionem.
(4) E. solvit aerem.

innumerabilia, infinita in corporibus humanis, ita quod tot libri physicorum adhuc non potuerunt comprehendere omnes, ita incomprehensibilia et inexplicabilia sunt genera fraudium et species falsitatum ([1]) corrumpentia animas hominum, sicut est videre in omni minima arte mundi. Nunc ad literam veniendo dico, quod autor designat primo causam per effectum, idest pœnam per dolorem, dicens : *i versi,* idest, dura et dolorosa lamenta, *lor,* idest, illorum falsatorum, *che,* idest, qui versus, *avean li strali,* idest, sagittas et tela, *ferrati di pietà,* idest, pungentia hominem ad pietatem et compassionem ; ideo bene dicit : *ferrati,* quia illa lamenta erant ([2]) efficacia ad penetrandum corda dura, et inhumana, *saettarmi la mente,* idest, sagittaverunt et vulneraverunt animam meam ad compassionem et misericordiam, *quando noi fummo sull' ultima chiostra,* idest, in ponte qui est super decimum claustrum, *di Malebolgie,* et appellat decimam bulgiam ([3]), quæ est ultima, claustrum metaphorice ; quia sicut claustrum continet religiosos ad ferendam pœnitentiam, ita bulgia continet damnatos inclusos ad ferendam pœnam. Ideo dicit : *sì che i suoi conversi,* idest, falsatores, qui sunt conversi istius falsæ religionis ; et conservat ([4]) metaphoram : quia enim locum appellaverat claustrum, ideo habitatores talis claustri appellat conversos ; *potean parere a la veduta nostra,* idest poterant apparere speculationi nostræ ; et quia isti versus ([5]) erant ita horribiles, dicit : *ond' io copersi l' orecchie con le mani,* scilicet ne audirem tam ([6]) terribilem sonum, quia auditus humanus non poterat pati. — *Qual.* Hic autor explicat dolorem et fœtorem prædictum, utrumque per comparationem ; et vult sen-

([1]) E. falsificatorum corrumpentium animas.
([2]) E. essent.
([3]) E. bulgiam ultimam, quia est.
([4]) S. e E. servat.
([5]) 116, conversi.
([6]) 116, tam horribilem.

tentialiter dicere, quod si omnis dolor procedens (1) ex tribus locis pestilentibus esset simul collectus in una fovea, esset talis qualis est dolor qui procedebat hic ex una cavea, scilicet ex bulgia decima. Dicit ergo primo de dolore: *il dolor era tal quivi,* idest, tam miserabilis, *qual esce fuor degli ospitali di Valdichiana.* Ad hoc est sciendum, quod Chiana est quædam vallis palustris, mortua et marcida in Tuscia inter Clusium, Aretium et Cortonam, in territorio civitatis Senarum, quæ reddit aerem pestilentem in æstate, quando est intensus calor; de qua etiam fit mentio in capitulo Paradisi. Juxta autem vallem istam erat illo tempore hospitale de Altopassu, ubi solebant esse multi pauperes infirmantes, et per consequens magnus dolor, *tra 'l luglio e 'l settembre,* idest, de mense augusti. Sicut enim locus est causa infirmitatis, ita et tempus; maxime autem augustus est infirmus mensis etiam in locis sanis. Et dicit: *e i mali,* idest, qualia mala exeunt, *di Maremma,* idest, de Maritima: in Maritima etiam romana (2) solent multi infirmari dicto tempore, *e di Sardegna,* quia in Sardinia similiter multi infirmantur. Et hic nota, quod in prædictis locis causa infirmitatum est corruptio aeris et aquæ propter ventos meridionales et excessum caloris (3): unde insula Sardiniæ habet aerem pestilentem, maxime circa extrema litora sua; non sic in mediterraneis montibus et locis; et tamen sardi magis habitant litora ad defensionem insulæ quæ est (4) exposita barbaris. Unde medici et mercatores accedentes de Italia in Sardiniam, cito infirmantur et moriuntur; *fossero tutti insembre in una fossa,* quasi dicat: si omnia mala narrata, quæ sunt in his diversis locis et similibus, essent omnia aggregata in

---

(1) S. qui procedebat ex. (2) S. toscana.
(3) E. et excessivum calorem.
(4) E. quæ est ex opposito Barbariæ. Unde.

unum, talis esset dolor in tali fossa, qualis erat hic in una bulgia. Et explicat fœtorem [1] post dolorem per unam comparationem communem et claram, dicens: *e tal puzzo n' usciva,* idest, tam horribilis et abhominabilis, *qual suol venir dalle membre marcide;* intellige vivorum potius quam mortuorum, quia comparatio est [2] convenientior. Et hic nota quod utraque comparatio est propria: sicut enim in prædictis locis palustribus et planis sunt multi et diversi planctus infirmorum laborantium [3] diversis morbis propter humores corruptos ex aere pestilentiali; ita erant hic multi et diversi gemitus falsatorum laborantium diversis falsitatibus propter voluntatem animi corruptam ex aere infernali, idest inspiratione diabolica; et talis fœtor [4] imo multo peior tanto quanto morbus animi est peior quam morbus corporis. — *Noi.* Nunc autem præmissis signis indicantibus pœnam, describit ipsam pœnam; et primo ostendit, quomodo declinaverit ad ipsam pœnam cernendam, dicens: *noi discendemmo in su l' ultima riva,* idest, transivimus totum pontem usque ad extremum ubi terminatur, ut sic de loco bassiore possemus melius videre pœnas istorum, *del lungo scoglio,* idest, recte, in recta [5] linea pontis, *pur da man sinistra,* quia semper in inferno itur ad sinistram; talis enim est via vitiorum. Et dicit: *ed allor la vista mia fu più viva,* idest, vivacior et acutior ad videndum, *giù per lo fondo,* idest, illius bulgiæ, ubi erat pœna, quam venabatur [6] cum oculis, *là ove la giustizia infallibil,* quia justitia Dei non est fallibilis, sicut humana, *ministra de l' alto Sire,* scilicet omnipotentis [7] Domini, *punisce i falsatori che registra*

---

[1] S. hic fœtorem. [2] E. est propria, et convenientior.
[3] E. tabentium.
[4] E. fœtor multo est peior quam morbus corporis. — *Noi.* Nunc autor præmissis.
[5] E. in rectam lineam. [6] S. venabantur. — E. videbat.
[7] E. e 116, scilicet Dei omnipotentis.

qui, idest, quos punit in ista bulgia decima; quando enim sententia datur contra reum, tunc registrari solet. — *Non credo.* Nunc autor volens describere pœnam falsatorum præmittit unam comparationem, cuius hæc est breviter sententia: quod ita erat tota gens istius bulgiæ corrupta et infirma, sicut olim populus civitatis Eginæ tempore cuiusdam pestis. Ad intelligentiam autem claram istius comparationis, quam autor valde aperte tangit, est utile præscire fabulam, quam diffuse scribit Ovidius VII maioris. Est ergo sciendum quod olim in Græcia in regione Athica, tempore quo rex Minos venit contra Athenas ob indignam mortem filii sui Androgei, regnavit quidam rex nomine Eacus pater Pelei et avus [1] Achillis, in civitate quæ vocata est Egina; quo regnante, pessima pestis invasit hanc urbem opera Junonis iratæ. Nam aer primo corruptus est spiratione ventorum calidorum australium, qui regnaverant per quatuor menses. Deinde corruptæ sunt aquæ, et multa millia serpentum vagabantur per terras inficientia aquas venenis suis; et vis morbi primo invasit aves, canes et boves, nec pepercit nobilibus et fortibus equis; nec lupi audebant tangere cadavera. Deinde pestis cœpit serpere ad agricolas, deinde intravit ipsam urbem, et cives moriebantur morbo igneo cum facie inflammata rubore, nec medicamina proderant aliquid, imo pestis citius prosternebat eos; et ardore impellente recurrebant ad flumina, fontes et puteos, nec sitis extincta prius est quam vita bibendo; fugiebant lectum velut igneum [2], et debiles trahebant corpus per terram deserentes singuli domos suas, quia omnis locus videbatur infectus: et breviter terra erat repleta mortuis, qui cadebant sicut glandes de quercu, quando quatitur, nec poterat turba defunctorum sepeliri, imo multi cre-

(1) E. et etiam patruus. (2) 116 e E. ignem, et debiles.

mabantur uno rogo, et multi remanebant insepulti. Tunc rex Eacus attonitus tanta strage omnium, rogavit Jovem, ut vel redderet sibi suos, vel (1) redderet eum numero aliorum. Deinde videns quercum magnam consecratam Jovi, per quam ascendebant et descendebant formicæ portantes grana longa acie, quarum multitudinem (2) Eacus miratus rogavit Jovem ut daret sibi totidem cives. Adveniente vero nocte cum rex obdormisset (3) vidit in somnis prædictam quercum in prima (4) forma plenam formicis, quæ mota excutiebat formicas a se, quæ cadentes in terram videbantur subito consurgere (5) et paulatim crescere in rectum assumentes novam figuram (6), deponentes maciem (7) et pedes et colorem nigrum. Rex tandem excitatus, dum crederet somnium (8) fuisse vanum, reperit in veritate viros renatos (9) ex formicis, qui primo salutaverunt Eacum regem. Rex vero divisit civitatem novo populo, et cives suos vocavit Mirmidones; nam Mirmidon græce, latine (10) formica. Hæc est breviter fictio, quæ pro magna parte continet historiam veram. Et primo quidem ista pestis fuit olim magna, quæ spoliavit quasi totam dictam civitatem habitatoribus primis; sicut simile vidimus (11) diebus nostris in multis terris, et de aliquibus audivimus, sicut in MCCCXLVIII (12) quæ orta in partibus Orientis, ita fatigavit humanum genus, quod multæ terræ desertæ (13) sunt etiam in Occidente nostro; et præcipue Sicilia fuit vexata ista epidemia, et Sardinia multo plus, quia ex decem, novem periisse dicuntur. Postea in

---

(1) E. vel recederet cum numero.
(2) E. multitudine Eacus miratus rogavit iterum Jovem ut daret sibi tot cives.
(3) E. obdormuisset.
(4) 116, dicta.
(5) 116, surgere.
(6) E. formam, deponentes maciem, pedem et.
(7) 116, manus et pedes.
(8) S. somnium vidisse vanum.
(9) S. natos.
(10) S. latine dicitur formica.
(11) 116, videmus.
(12) 116, 1358.
(13) E. destructæ.

MCCCLXII fuit alia pestis magna; et pridie alia tertia. Hæc autem pestis Eginæ venit (1) ex mala corruptione aeris; ideo bene fingitur (2), quod fuerit causata ex ira Junonis, quia Juno dicitur Dea aeris a poetis; quod autem rex optaverit sibi mortem, satis videtur credibile visa tanta amissione suorum, sed quod invenerit magnam (3) multitudinem formicarum sub quercu (4) ferentium (5) fruges, credo ego quod figurat quod rex, spoliata civitate civibus, collegit ex agris novos habitatores, quorum officium et exercitium erat circa fruges colligendas, et victum quærendum sub quercu, cuius fructu olim vixerunt homines. Ideo bene fingit, quod ex formicis reformatum est genus perditum; quia isti erant parvi corpore, fortes viribus, patientes laborum, parci, sobrii, solliciti ad acquirendum, tenaces ad conservandum (6), sicut sunt formicæ, quales olim fuerunt rustici. Unde Virgilius describens hanc vitam rusticanam, quam vocat beatam, dicit: *Hanc olim vitam veteres coluere Sabini:* et antiqui Romani qui habuerunt ortum a pastoribus fuerunt tales. Isti ergo deposuerunt primam formam et colorem nigrum, quem contraxerant stantes ad solem, et induerunt novam figuram, scilicet humanam, quia facti sunt civiles ex rusticis. Nunc ad literam; dicit autor: *non credo che maggior tristizia fosse,* imo vere minor fuit, quia corruptio quæ fuit in Egina fuit a natura, hic (7) vero a malitia mentis, *a vedere il popol tutto infermo in Egina;* de ista civitate facit frequentem (8) mentionem Titus Livius, *quando fu l' aer sì pien di malizia,* idest, mala pestilentia contagiosa, *che gli animali cascaron tutti,* scilicet, maiora et minora, *infino al*

---

(1) E. provenit. (2) 116 e S. fingit. (3) S. tantam.
(4) E. quercu quæ fruges ferant, credo ego figurare quod rex.
(5) 116, quærentium. (6) 116, servandum.
(7) E. hæc vero. (8) E. frequenter.

picciol vermo; et tacta dissolutione, tangit reformationem istius generis, dicens: *e poi le genti antiche,* scilicet, primi incolæ civitatis Eginæ, *si ristorar di seme di formiche.* Et ut videas quantum comparatio sit propria est notandum, quod formica vermis parvus habet hoc proprium, quod [1] in maiori ætate crescit in maiori virtute, et providus [2] quærit sibi escas, non faciens ut apis, sed congregans et recondens grana sicca colligit, et si sint maiora ultra vires earum scindunt illa [3]; vias autem ordinate observant, ne exeuntes impediant intrantes obviando; grana humida siccant ne putrescant; pronosticantur ventos, quia ante tempus tempestatis reducunt se ad domos, et dicuntur ferre mortuas ad sepulturam; et dicit, *secondo che i poeti hanno per fermo,* quia licet fingant non mentiuntur; poeta enim quantum est ex officio suo dicit verum, nam mendacium est falsa [4] vocis significatio cum intentione fallendi: poeta autem non intendit fallere, sed potius instruere. Non ergo erat maior tristitia videre populum infirmum in Egina, *ch'era a veder li spiriti languire,* scilicet falsatorum, *per quella oscura valle,* idest, bulgiam decimam, quæ est valde obscura, ut jam dictum, *per diverse biche,* idest, diversas species. Et hic nota quod pestilentia istius vallis est maior quam pestilentia Eginæ, quia pestis Eginæ corrumpebat solum corpora morientium; ista vero animas operantium [5]. Unde autor per istam corruptionem corporalem, quam hic fingit, dat intelligi spiritualem. Unde anima peccatrix facit carnem corruptibilem, non caro corruptibilis facit animam peccatricem, ut ait Augustinus in libro de Civitate Dei; et specificat diversas pœnas falsatorum, dicens: *qual,* idest, aliquis, *giacea sopra 'l ventre,*

---

(1) S. quia. (2) E. provide.
(3) E. illa per medium; vias autem ordinatas servant ne.
(4) E. falsæ vocis. (5) S. operantium falsitatem.

scilicet resupinate (1) et extense per terram, *qual sopra le spalle l' un dell' altro,* idest, quod aliqui stabant unus super tergum alterius, *e qual,* idest, aliquis, *si trasmutava,* idest, falsificabat se, *carpon,* idest, eundo cum pedibus et manibus, *per lo tristo calle,* idest, per istam bulgiam tristem; et sic tetigit tres diversitates falsatorum. Est (2) et quarta species falsatorum, qui stant sedentes adhærentes unus alteri, de qua dicit statim immediate; ideo forte non tetigit ipsam sub ista generali explicatione et distinctione.

Passo passo. Ista est tertia pars generalis, in qua autor agit et tractat de prima specie falsitatis (3) quæ appellatur Alchimia; et primo ostendit processum ipsorum ad istam materiam, dicens: *andavam,* scilicet, nos ambo, *passo passo,* quasi dicat: lento passu, *senza sermone.* Et hic nota (4) quod autor fingit quod hic ibant tarde et tacite, ubi supra ibant cito et continuo loquendo, ad indicandum quod modo tendebat (5) ad materiam subtilem et occultam (6), ideo cum magna præmeditatione et abstractione; ideo dicit: *guardando et ascoltando,* idest, speculando attente, *gli ammalati,* idest, falsatores infirmos, *che non potean levar le lor persone;* licet enim aliqui moverentur (7), non tamen levabant corpus sursum, quia discurrebant cum manibus et pedibus more bestiarum. — *Io vidi.* Hic autor describit ipsam pœnam Alchimistarum, quæ quia obscura est, ad illius claritatem volo te notare cum tota attentione et intentione animi, quod numquam per Virgilium vel alium fuit inventa pœna curiosior ista. Est ergo pœna Alchimistarum talis, quod stant simul sociati et appodiati unus alteri, sicut

(1) E. resupinatus, et extense super.
(2) E. Est etiam quarta.
(3) S. falsatorum et falsitatis.
(4) E. e 116, adverte.
(5) S. tendebant. — E. ibant.
(6) E. obscuram; ideo dicit: *guardando.*
(7) E. levarentur.

tegula coniuncta cum tegula, et sunt toti scabiosi et leprosi habentes squamas et maculas ad modum squamarum piscis ([1]); et continuo habent ardentissimum pruritum, et continuo se scalpunt cum tanto fervore ([2]) quod continuo excutiunt a se maculas et bullas. Imo ([3]) ad propositum considera quomodo ista figura debeat intelligi: primo isti Alchimici ([4]) stant sicut tegulæ appodiati, quia tota die stant inclusi ad insufflandum in cineracium; et stant sociati simul, quia de rei veritate Alchimistæ communiter colloquuntur ([5]), conversantur simul. Unde sicut videmus de facto, nulli sunt artifices ita inter se familiares sicut Alchimici: nam si duo sunt in una terra, statim unus invenit alterum, et contrahit societatem secum. Ulterius isti habent maximum pruritum, idest, insatiabilem appetitum ([6]), sicut vidi in multis; et continuo se scalpunt quia continuo se exercent ut possint adimplere appetitum suum, et excutiunt sibi crustas magnas et parvas, quia scilicet florenos anconitanos, bononinos et alios nummos expendunt et consumunt, et sic ([7]) se expoliant, et denudant et pauperantur infeliciter. Et adverte quod recte accidit Alchimistæ sicut scalpenti ([8]). Homo enim scalpit se cum delectatione, et quanto magis se scalpit, tanto magis intenditur, et incenditur pruritus, et ultimo quando est bene fatigatus, quid consequitur ex hoc? certe dolorem, et brusorem; ita ([9]) recte est de Alchimista, quia post omnes labores, curas, impensas et damna, nihil lucratur nisi dolorem, angustiam, anxietatem; quia vivit in paupertate et calamitate, et efficitur ludibrium omnium. Nunc ad literam: dicit autor: *io vidi*

([1]) E. piscium. ([2]) E. furore.
([3]) S. e E. Modo ad. ([4]) S. e E. Alchimistæ. — 116, Alchimisti.
([5]) E. convivunt, colloquuntur, communicant, unde inter se sunt familiares; nam si duo. ([6]) E. e S. et interminabilem appetitum.
([7]) E. et sic pauperantur. ([8]) E. e 116, scalpenti se. Homo.
([9]) E. ita certe est de Alchimistis, quia Alchimista post omnes.

duo seder poggiati a sè, idest, adhærentes unus alteri, *come tegghia se poggia a tegghia a scaldar,* sicut quando fiunt adipata, sive herbulata; ita Alchimistæ quotidie calefiunt ad ignem, et sæpius sudant calore interiori quam exteriori, quando ars non (1) respondet eis ad votum, *maculati di schianze,* idest, maculis malæ scabiei, *dal capo ai pei,* idest, per totum corpus. Et explicat furiosam scalpedinem istorum per unam comparationem domesticam, dicens: *e non vidi giamai menare stregghia sì,* idest, cum tanta festinantia, *dal ragazzo aspettato dal signorso;* tunc enim stabularius festinat multum strigilare (2) equum quando expectatur a domino suo, qui vult equitare, *o da colui che mal volentier vegghia,* idest, vel a famulo pigro, qui vult cito ire dormitum, et ideo festinanter ducit strigilim (3), *come ciascun menava spesso el morso de l'unghie sopra sè,* scalpendo se furiose et quasi mordendo, *per la gran rabbia del pizzicore,* idest, pruritus magni, *che non ha più soccorso,* scilicet, quam solam scalpedinem unguium, quia nunquam consequuntur (4) fructum, nisi quod habent delectationem in operatione, sicut scabiosus in scalpsione. Et hic nota quantum comparatio ista, quæ videtur grossa, est subtilissima (5). Nam sicut ragatius in dies est pauperior et infamior, ita Alchimista; et sicut ragatius vult purgare animal brutum, nam (6) strigilat equum ut excutiat ab eo superfluitatem accidentalem, quam acquisivit in sterquilinio; ita Alchimista vult purgare metallum immundum, unde plumbum est argentum leprosum, ut dicit philosophus. Ad quod est hic sciendum, quod metalla sunt differentia (7)

(1) E. non succedit ad votum.
(2) E. stregiare equum quando spectatur a domino.
(3) E. streghiam. — 116, strigilem.
(4) S. consequitur.
(5) E. subtillima; nam sicut ragatius omni die est.
(6) E. nam strigiat equum ut excutiat ab eo superficiem actualem quam acquirit in sterquilinio.
(7) E. differentiata.

inter se solum per accidentalem formam, non per substantialem, quoniam ([1]) omnia metalla generantur ex argento vivo et sulphure. Natura autem in suo principio intendit adducere perfectionem metalli, quia agit propter finem, ut dicitur secundo Physicorum. Manifestum est ergo, quod si adducit aliquid aliud quam perfectionem, hoc est præter intentum ([2]), et sic est per accidens. Igitur in generatione auri concurrit sulphur rubeum mundum, et argentum vivum purificatum; in * generatione argenti sulphur album mundum et argentum vivum purificatum; in * ([3]) generatione cæterorum concurrit sulphur album vel rubeum corruptum et argentum vivum putrefactum in vena putrida terræ. Unde inter omnia metalla duo sunt solummodo perfecta, scilicet aurum et argentum. Et ista producuntur secundum intentum ([4]) naturæ; cætera propter corruptionem ([5]) suarum partium sunt insana et imperfecta. Quam malitiam si Alchimista intendit sanare, reducendo illa in suas primas partes, scilicet in sulphur et in argentum vivum, cum calcinatione vel distillatione, non peccat. Et ista purgata ([6]) refrigere simul cum certis aquis vel succis herbarum. Verumtamen licet ars ista forte sit vera, tamen non videtur possibilis ([7]) apud modernos. Unde videmus de facto, quod omnes veniunt consumti; et si reperitur aliquis antiquorum, nullus tamen modernorum, quem adhuc scire potuerim, consequitur finem suum. Et sic loquendo de inferno morali, omnis Alchimista, sive licite sive illicite operetur, habet pœnam suam, quia semper frustra laborat, ut acquirat inopiam et egestatem, ut supra demonstratum est. Et ostendit excussionem crusta-

---

([1]) S. quia. ([2]) E. intentionem.
([3]) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Strozziano.
([4]) E. intentionem.
([5]) E. corruptionem naturæ et suarum partium.
([6]) E. purgatio refrigeratur. ([7]) 116, possibile.

rum per comparationem claram et propriam squamarum piscis, dicens: *e l' unghie traevan sì la scabbia giù,* idest, maculas scabiei, quas supra vocavit schiancias, *come coltello,* supple trahit, *le scaglie di scardova.* Est enim *scardova* quidam piscis vallinus albus, amplus, brevis, habens magnas squamas et spinas spissas, et est piscis sanus inter vallinos, *o d' altro pesce che l'abbia più larghe,* sicut forte est alius piscis vallinus maior prædicto, qui vocatur *regina* apud quosdam, apud alios vocatur *scarpa.* — *O tu.* Nunc autor ostensa pœna Alchimistarum vult manifestare qui sunt (¹) isti duo Alchimistæ ita certatim se scalpentes; et primo ostendit quomodo Virgilius allocutus fuerit alterum illorum (²) exordiendo, dicens: *el duca mio cominciò,* idest, Virgilius incœpit dicere, *a l' un di loro: O tu che ti dismaglie,* idest, spolias te maglis (³), idest maculis, *con le dita,* idest, cum unguibus digitorum, *e che fai talvolta tenaglie d' esse,* idest, de ipsis unguibus, quibus uteris tamquam tenaculis mordacibus et tenacibus, quasi dicat: o tu qui laboras ita valenter ducendo continuo manus; et petit dicens: *dimmi s' alcun latino èe tra costoro,* idest, si aliquis italicus est inter istos se scalpentes, *che son quincentro,* et adiurat eum, dicens: *se l' unghia ti basti eternalmente a cotesto lavoro;* delectabile enim videtur scabioso scalpere; ideo optat sibi instrumentum indeficiens quo possit semper delectari, quasi dicat: si Deus det semper tibi ad laborandum. Hoc enim summe appetit Alchimista, unde totum æs mundi consumeret, ut satisfaceret isti appetitui canino. Et subdit autor responsionem illius (⁴) spiritus interrogati, dicens: *l' un,* scilicet ille interrogatus, *rispose piangendo: noi che tu vedi sì guasti qui,* idest, ita excoriatos, *siam ambi dui latini;* et

(¹) S. sint isti. — E. sint prædicti duo.
(²) E. istorum.
(³) E. squaliis.
(⁴) S. istius.

quia videtur respondisse quæsito, ideo statim sine alio exordio petit quis sit qui interrogavit, dicens: *ma tu chi se' che di noi dimandasti?* quasi dicat tacite: et an tu es latinus, qui petis de latinis? videtur quod sic. Et ponit responsionem Virgilii, dicens: *el duca disse: Io son un che discendo con questo vivo,* * quasi dicat: sum unus mortuus qui olim in vita ostendi istam viam, et nunc intendo ostendere uni vivo * (1) per omnia loca. Unde dicit: *di balzo in balzo,* idest, de gradu in gradum, et de circulo in circulum, et dicit: *e intendo di mostrar l'inferno a lui,* quasi dicat: non venio huc, ut doceam istum alchimiam (2), vel tamquam puniendus hic pro alchimia, imo potius ut ostendam isti pœnam Alchimistarum, et aliorum damnatorum, ut discat expensis (3) vestris cavere tam vana et damnosa studia. — *Allor.* Hic autor ponit (4) effectum responsionis Virgilii, et breviter dicit, quod prædicti duo spiritus, audito quod ibi erat unus vivus de quo non perpenderant, quia erant nimis occupati ad scalpendum, convertunt (5) se ambo statim versus eos. Unde dicit: *il comun rincalzo si ruppe allor,* quia isti qui primo stabant simul appodiati sustentantes alter alterum, disiuncti et dissociati fuerunt ab invicem ad respiciendum autorem; unde dicit: *e ciascun si volse a me tremando,* quia non poterat unus se substinere sine adhæsione alterius socii, et dicit: *con altri che l' udiron di rimbalzo,* idest, ex transverso, ex (6) superventione, quia scilicet non erat principaliter dictum eis: et nota quod isti affectuose verterunt se moti novitate rei mirabilis, scilicet quod vivus venerat (7) ad infernum. Et

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(2) E. alchimiam, imo potius.
(3) S. exemplis vestris et expensis cavere. — E. exemplis vestris cavere.
(4) E. ponit breviter istam responsionem Virgilii, et dicit.
(5) 116 e E. converterunt.
(6) E. ex transitis ex transversa superventione. (7) E. venerit.

ostendit quomodo Virgilius moverit [1] eum ad loquendum istis, dicens: *lo buon maestro tutto s' accolse a me dicendo: di' a lor ciò che tu vuoli,* quasi dicat: vide quomodo facti sunt avidi, et audient te libenter, ideo potes secure petere; ideo dicit: *et io cominciai,* supple dicere in infrascripta forma, *poscia ch' ei volse,* idest, postquam ille Virgilius concessit mihi licentiam loquendi, et dixi, sic petens: *ditemi chi voi siete e di che genti,* idest, de qua natione vel patria; et captat benevolentiam, dicens: *se la vostra memoria non s' imboli da le menti umane,* idest, si vestra fama non auferatur, non perdatur apud homines viventes, *nel primo mondo,* scilicet vivorum, in quo prius fuistis et meruistis [2]; involare enim idem est quod furari, *ma s' ella viva sotto molti soli;* et facit confutationem, dicens: *la vostra pena sconcia e fastidiosa non vi spaventi di palesarvi a me.* Hoc dicit, quia est vere turpe et abhorrendum videre unum scabiosum, excoriatum, sanguinatum; et sic nota quod infirmitas corporalis inepta sæpe pohibet homini propalare se; sed allegorice loquendo Alchimistæ communiter erubescunt cognosci, et laborant in occulto, nec aperiunt artificium suum alteri, nisi Alchimistæ socio. — *Io fui.* Hic autor ostendit, quomodo unus illorum duorum responderit, specificans se per nomen, et causam suæ mortis, et aliam causam suæ damnationis. Ad cuius cognitionem est breviter sciendum rem jocosam: fuit igitur in nobili civitate Senarum circa tempora autoris quidam magister Grifolinus de Aretio, magnus naturalis et alchimicus [3], qui astutissimus contraxit familiaritatem magnam cum quodam filio episcopi senensis, cui nomen erat Albarus, a quo sagaciter emungebat pecuniam et munera multa, quia ille cum lingua sua mirabili pro-

---

(1) S. monuerit eum ad loquendum cum istis. (2) E. et vixistis.
(3) E. alchimista.

mittebat illi simplici et fatuo facere mirabilia magna. Inter alia, dum Albarus iste levissimus miraretur et laudaret Grifolinum, dicens: o quale est ingenium tuum! dixit Grifolinus: certe scirem facere impossibilia per naturam. Quid diceres, si videres me patenter volare more avis per aerem? Albarus pinguis et pecuniosus expensis Crucifixi, cœpit rogare, ut doceret eum artem volandi artificialiter, qui tamen erat per naturam levissimus ad volandum cum sua mente vanissima. Multa ergo dicebat, et plura promittebat. Sed Grifolinus ludificabatur eum, et dabat illi verba in solutum. Tandem Albarus videns se delusum et deceptum, conquestus est episcopo patri suo; qui accensus indignatione magna fecit formari unam inquisitionem contra eum, qualiter exercebat magicam, quam tamen ille ignorabat; et sub isto colore fecit eum (1) digne cremari. Nunc ad literam; dicit autor: *l' un,* scilicet, magister Grifolinus, *rispose,* scilicet petitioni meæ: *io fui d'Arezzo,* et est argumentum a loco, quia Aretium communiter habet acuta ingenia, *et Alberto da Siena,* quæ civitas aliquando producit gentem vanam, *mi fe' metter al fuoco;* et hoc dicit ad extenuandam suam infamiam (2) quod alia fuit causa, qua fuit combustus in mundo, alia qua est damnatus in inferno; unde dicit: *ma quel perch' io mori',* scilicet, culpa artis magicæ, *qui non mi mena,* scilicet, ad istam pœnam. Et (3) ecce causam veram, quare fecit me mori; *Ver èe ch' io dissi a lui,* scilicet, illi Albaro, *parlando a gioco,* quia habebam solatium de eius fatuitate: *io mi saprei levar per l' aere a volo;* quasi dicat: tantum scio, quod scirem volare per aerem, si vellem; et statim avis inescata (4)

(1) S. eum indigne cremari. — E. igne cremari.

(2) E. infamiam, quæ fuit causa quia combustus fuit. — 116, infamiam, quia alia fuit causa qua fuit combustus.

(3) E. Sed certe, causa vera quare fecit me mori, fuit, quod *Ver èe.*

(4) 116, invescata est.

est ad blandum sonum aucupis; unde dicit: *e quei,* scilicet, Albarus, vere arbor magna sine sensu, *ch' avea vaghezza e senno poco,* quasi dicat: qui (1) habebat multum lasciviæ et nihil prudentiæ, *volle, ch' io gli mostrassi l' arte,* scilicet, volandi, *e mi fece ardere a tal,* scilicet, episcopo senensi, *che l' avea per figliuolo,* idest, qui habebat ipsum Albarum pro filio, licet forte non esset, quia genitus ex meretrice; et si erat, non audebat dicere, quia sæpe sacerdotes (2) filios dixere nepotes, *solo perch' io nol feci Dedalo,* idest, solummodo propter istam vanissimam causam, quia non feci eum volatilem (3), sicut fuit olim Dedalus; quasi dicat, quia non feci istam pecudem volare. Dedalus enim magnus artifex ingeniosus dicitur (4) volasse cum filio suo Icaro quando venit de Creta in Italiam, sicut jam expositum est supra capitulo XVII. Et ultimo Grifolinus tangit veram causam suæ damnationis, dicens: *ma Minos,* judex inferni, de quo jam totiens dictum est, *a cui non lece fallare,* quia nullus potest fallere conscientiam suam, quæ figuratur per Minos, *dannò me per alchimia che usai nel mondo, nell' ultima bolgia delle diece,* idest in ista ultima bulgia, in qua puniuntur Alchimistæ et cæteri falsatores.

Et io dissi al poeta. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua autor gratia præmissæ vanitatis facit unam digressionem, in qua facit unam invectivam mordacem et irrisoriam contra senenses, vanissimos omnium (5). *Et io,* idest, et ego poeta Dantes considerans dementiam illius Albari senensis et patris eius, qui vanior filio non erubuit tradere hominem flammis igneis pro una buffa, de qua debebat potius ridere, et dissimulare, si volebat con-

(1) S. quia habebat multam luxuriam, et nihil.
(2) E. sacerdotes consueverunt filios suos dicere nepotes.
(3) E. volare sicut fuit olim de Dedalo.
(4) E. e 116, fingitur.
(5) S. omnium; unde dicit. — E. hominum; unde dicit.

sulere honori suo; ubi sic præcipitanter agendo, incurrit perpetuam infamiam, ne dicam pœnam; *dissi al poeta,* scilicet Virgilio: *or fu giamai gente sì vana come la sanese?* quasi dicat: nulla gens fuit tam vana in aliquo tempore vel in aliquo loco: et continuo specificat vanitatem senensium per comparationem ad gentem gallorum; unde respondens sibi ipsi dicit: *certo non la francesca sì d' assai.* Quasi dicat: licet galli (1) sint communiter vanissimi omnium nationum, non tamen sunt tam vani, sicut senenses. Ad cuius rei intelligentiam est sciendum (2), quod galli sunt genus vanissimum omnium (3) ab antiquo, sicut patet sæpe apud Julium Celsum, et hodie patet de facto; videmus enim, quod omni die adinveniunt novos habitus, et novas formas vestium. Unde non est membrum in eis, quod non habeat suam fogiam; portant enim catenam ad collum, circulum ad brachium, punctam ad calceum, pannos breves, ita quod ostendant culum, partem obscenam corporis occultandam, et caputium (4) ante faciem ad tegendam partem corporis honestam potius manifestandam; et ita de multis vanitatibus. Unde multum miror, et indignor animo, quando video italicos et præcipue nobiles, qui conantur imitari vestigia eorum, et discunt linguam gallicam, asserentes quod nulla est pulcrior lingua gallica: quod nescio videre; nam lingua gallica est bastarda linguæ latinæ, sicut experientia docet. Nam cum non possint bene proferre *cavaliero,* corrupto vocabulo, dicunt *chevalier.* Similiter cum nesciant dicere *signor* dicunt *sir,* et ita de cæteris. Huius rei testimonium habemus, quod adhuc quando volunt dicere: *loquere vulgariter,* dicunt: *loquere romancie* (5); et eorum vulgaria appellant *romancia.* Non ergo deberent italici (6)

(1) E. gallici.
(2) S. notandum quod gallici.
(3) 116 e E. hominum.
(4) 116, caputeum.
(5) E. *romane.*
(6) E. italici nobiles subiicere.

sponte subiicere suam nobilitatem ignobilioribus. Nota etiam quod aliqui dicunt, quod autor merito comparat senenses gallis, quia ab eis originem habuerunt. Scribit enim Johannes Anglicus in suo Policrato libro VI quod senones [1] galli urbem condiderunt Senarum ex senioribus et debilioribus suis. Et dicit, quod hoc arguit [2] adhuc similitudo, quia senenses et lineamentis membrorum et formositate faciei, et gratia coloris, et moribus ipsis, videntur appropinquare ad gallos, licet vetustas temporis, plaga orbis, situs regionis, conversatio vicinorum, quibus sanguine et moribus permixti sunt, mutaverint eos pro magna parte. Verumtamen quidquid dicatur de senensibus non videtur verum, quia civitas illa non est tam antiqua, nec est nominata apud Titum Livium, vel alium historicum antiquum, quod invenerim [3]. Sed credo, quod autor iste [4] in hoc fallitur sub æquivoco, sicut et in aliquibus aliis. Nam [5] galli senones bene condiderunt Senogalliam in litore maris Adriaci, quæ prius vocata est Sena, sicut clare scribit Titus Livius, quod Claudius Nero consul romanus veniens cum exercitu in subsidium Livii Salinatoris collegæ sui contra Asdrubalem * pervenit Senam, deinde vicit Asdrubalem * [6] prope fluvium Metaurum, ut dictum est in capitulo præcedenti. Qui Metaurus distat a Senogallia forte per duodecim milliaria. — *Onde.* Hic autor introducit secundum socium confirmantem dictum eius, dicens: *Onde l' altro,* scilicet, alchimista, *lebroso,* quia habebat scabiem incrustatam ad modum lepræ, *che m' intese,* idest, qui intellexit me ita loquentem vera de vanitate senensium. Iste alter [7] spiritus alchimista fuit

---

(1) E. senonenses galli.
(2) E. arguit ad hanc similitudinem.
(3) E. quem noverim.
(4) E. iste fallatur.
(5) E. Nam guascones bene.
(6) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(7) E. Iste autem.

quidam magister Capochius florentinus, vir ingeniosus ad omnia, maxime ad transnaturandum [1] metalla; qui ob hoc, ut quidam dicunt, fuit combustus in civitate Senarum; ideo autor bene dat ipsum in socium magistro Grifolino prædicto, quia fuit sibi par in arte, in culpa et pœna, *rispose al detto mio.* Ad intelligendam autem istam responsionem obscuram, volo te scire, quod autor non contentus narrasse unam singularem vanitatem unius senensis, fingit alium ex transverso narrare aliam magis memorabilem et dignam censoria nota, quæ breviter est talis. In civitate Senarum facta est per tempora moderna quædam societas vanissima, quæ voluit appellari nobilis vel curialis, et vulgo vocata est Spendaritia. Fuerunt enim, ut audivi, duodecim juvenes ditissimi [2], qui convenerunt concorditer inter se de facienda re [3], de qua omnium linguæ loquerentur cum risu, ad quorum notitiam perveniret. Posuerunt ergo singuli decem et octo millia florenorum, videlicet in summa ducenta sexdecim millia in cumulum: et statuerunt, quod quicumque expenderet aliquid parce, statim tamquam indignissimus expelleretur de tam liberali sodalitio. Conduxerunt ergo datis legibus inter se pulcerrimum palatium, in quo quilibet habebat cameram commodissimam cum ordinatissimis arnesiis, mensis, et supellectilibus; ubi conveniebant omnes [4] semel vel bis in mense epulantes splendide et sumptuose; et, ut tangam breviter generales observantias, ad omne convivium apponebant [5] tria mensalia. Quorum primum colligebatur per domicellos, discumbentibus conviviis nobilibus, et cum omnibus jocalibus, vasis, cultellis aureis et argenteis, projiciebatur per fenestram. Secundum mensale, in quo comederant [6] epulas, conserva-

---

[1] E. ad transmutandum.
[2] E. omnes ditissimi.
[3] E. de faciendo rem, de qua.
[4] E. omnes simul, bis in mense.
[5] E. apponebantur.
[6] E. comedebant epulas, servabatur.

batur; similiter et tertium, quo tergebant manus. Faciebant autem cibaria varia, insolita et incognita humanis usibus ([1]), numero et qualitate; quamvis audiverim narrari ([2]) multa de eis, quæ vel ficta sunt, vel aliorum dicta fuerunt. Explorabant autem diligenter, quando veniebat aliquis magnificus ([3]) dominus, vel vir magnæ nobilitatis; et euntes illi in occursum, deducebant illum cum magna celebritate ad commune eorum palatium, et cum magna pompa honorabant eum, donantes munera plura ([4]) et cara. Et hoc unum potissime imposuit finem insanissimæ vanitati eorum, quæ duravit solum per viginti ([5]) menses; nam cito devenerunt ad inopiam, et facti sunt fabula gentium ([6]), paritura semper risum ([7]) posteris audientibus. Unde factæ sunt duæ cantiones placibiles de eis; quarum altera continet delicias et delectationes eorum; altera vero calamitates et miserias, quas habituri erant; nam de rei veritate aliqui eorum iverunt ad hospitale. Ideo autor voluit dimittere memoriam aliis in exemplum, ut considerato fine ([8]) non abiiciant sponte suum. Hæc tetigi breviter hic de vanitate quorundam senensium in particulari; sed de vanitate eorum in communi dicetur capitulo XIII Purgatorii. Nunc ad literam: dicit autor, quod magister Capochius respondit sibi, adiurans eum contra senenses; *tranne lo Stricca,* idest, excipe mihi, et excipere debes *Stricca,* nomen unius senensis, *che seppe far le temperate spese;* et loquitur ironice et irrisive, ac si dicat: qui fecit immensas et vanas expensas. Et nominat alium, dicens: *e Niccolò,* supple: et excipe mihi Nicolaum; iste fuit unus de Bonsignoribus de Senis, quem describit a nova

([1]) E. usibus, quomodo et qualiter, nescio; quamvis.
([2]) 116, narrare. ([3]) E. magnus. ([4]) E. magna et cara.
([5]) E. per decem. ([6]) E. vulgi.
([7]) E. risum ad memoriam audientium. Unde.
([8]) E. fine, quem habuerunt, sibi caveant. Sponte hoc tetigi.

inventione mali moris, dicens: *che prima discoperse,* quia primus reperit, *la costuma ricca del garofano.* Et hic nota, quod aliqui dicunt, quod iste Nicolaus faciebat famulum assistentem mundare (1) sibi gariofilum, sed istud est vanius dicere, quam fuerit facere. Alii dicunt, quod faciebat poni gariofilos in assatis; sed ista non fuisset nova inventio, nec expensa magna. Alii dicunt, quod faciebat assari phasianos et capones ad pruinas (2) factas ex gariofilis; et hoc credo verum, quod (3) ista fuit expensa maxima vanissima, novissime adinventa, sicut et aliæ similes narrantur, quia faciebant coqui florenos in sapore, et illos apponentes ori sugebant et abiiciebant. Et dicit signanter: *nell' orto dove tal seme s' appicca,* idest, in civitate Senarum, ubi vana gulositas seminata cito pullulat et germinat; et de rei veritate hæc civitas est velut hortus, florida et amœna. Et subdit Capochius: et ut cito dicam, *tranne la brigata,* quasi dicat: excipere non debes a regula vanitatis, *in che,* idest, in qua societate vana, *Caccia,* nomen proprium viri, *d'Asciano;* Ascianum est nobile castrum, unde fuit oriundus iste Caccia, qui ita expulit a se squamas suas more Alchimistarum, sed vanius et ridiculosius; unde dicit: *disperse la vigna e la gran fronda.* Habebat iste (4) pulcerrimam et præclaram possessionem, quam vendidit et consumpsit in ista brigata fatua; ideo dicit: *e proferse,* idest, propalavit *el suo senno abbagliato,* idest, ablucinatus; quia post istud factum apparuit eius dementia, cum primo reputaretur prudens. — *Ma.* Hic (5) prudens Capochius manifestat se ipsum a nomine, ab ingenio, a vitio, dicens: *ma aguzza l' occhio,* scilicet speculationis tuæ, *ver me,* ut cognoscas hominem valde acu-

(1) E. mundare sibi garofanum. (2) E. prunas factas ex cariophylis.
(3) E. quia ista. (4) E. enim iste.
(5) S. Hic magister Capochius. — E. Hic prædictus Capochius.

tum, *sì che la faccia mia ben ti risponda*, ut scilicet, possis melius cognoscere me: hoc dicit, quia erat totus scabiosus et fumigatus; unde dicit: *sì vedrai ch' io son l' ombra di Capocchio,* quem tu bene vidisti in vita, *che falsai li metalli con l' alchimia;* et sic vide, quod iste fuit usus alchimia illicite, quia dicit *falsai;* et hoc dico, *perchè sappi, chi sì ti seconda*: idest, quia scias, quis est qui te ita sequitur confirmando dictum tuum, *contra i senesi.* Hoc dicit, quia libenter loquitur male de eis, quia fuit ibi combustus; et concludit tangens acumen ingenii sui; *e ti de' ricordar, se ben t' adocchio,* idest, si cum oculo bene te respicio, quasi dicat, si bene te recognosco (1), quia fui tibi notus in vita; nam semel die quodam Veneris sancti cum staret solus abstractus in quodam claustro, effigiavit sibi totum processum passionis Domini in unguibus mira artificiositate; et cum Dantes superveniens quæreret: quid est hoc quod fecisti? iste subito cum lingua delevit quidquid cum tanto labore ingenii fabricaverat. De quo Dantes multum arguit eum, quia istud opus videbatur sibi non minus mirabile, quam opus illius, qui totam Iliadem tam subtiliter descripsit, quod intra testam nucis claudebatur; et alius fecit formicas eburneas. Ideo (2) dicit: *com' io fui di natura buona scimia,* scilicet, contrafaciendo omnia, sicut simia facit. Et hic ultimo nota, lector, quod Dantes qui appellat istum simiam naturæ, vere mihi videtur fuisse nobilior simia, quam unquam aliquis alius, cum sciverit tam mirabiliter et subtiliter (3) cognoscere naturas hominum cuiuscumque conditionis, professionis et fortunæ, et eorum mores, actus, et proprietates, tam utiliter, quam delectabiliter repræsentare.

(1) 116, cognosco. (2) E. Ideo bene dicit.
(3) E. quam subtiliter. — S. et nobiliter.

CANTUS TRIGESIMUS, *ubi sub aliqua similitudine troianorum ponit eosdem falsatores; et sicut magister Adam rixatus est cum Sinone græco; et ponit modum rixæ; et sicut Virgilius corrigit Dantem qui ipsos ascultabat.*

N*el tempo che Junone era crucciata.* Postquam in superiori capitulo autor noster tractavit et determinavit de una specie et pœna falsatorum, qui puniuntur in decima bulgia cum pruritu, nunc consequenter in præsenti capitulo XXX prosequitur de aliis speciebus, et specialibus pœnis falsatorum, qui puniuntur aliis passionibus in eadem bulgia. Et istud capitulum potest dividi breviter in tres partes generales secundum tres species falsatorum qui puniuntur in isto capitulo. In quarum prima autor agit et tractat de pœna eorum, qui falsaverunt personam propriam in duobus spiritibus, altero antiquo, altero moderno, qui puniuntur cum furore. In secunda tractat de alia specie eorum, qui falsaverunt monetam in uno spiritu moderno, qui puniuntur cum (1) hydropisi, ibi: *Io vidi un fatto.* In tertia de his (2) qui falsificaverunt loquelam in duobus spiritibus antiquissimis, qui puniuntur cum febre, ibi: *Et io a lui.* Ad primum veniens, dico, quod autor volens describere pœnam falsificantium personam (3) suam, qui puniuntur in furore maximo, primo percurrit breviter et succincte quosdam furores horribiles nimis virorum et mulierum antiquorum applicabiles ad suum propositum, ut inveniat comparationem dignam suæ materiæ, scilicet furiæ inauditæ quam hic invenit. Et primo tangit unum singularem

(1) E. punitur cum hydropicis. (2) E. de iis qui.
(3) E. personas suas qui puniuntur cum furore.

furorem qui accidit Thebis. Ad cuius claram cognitionem debes primo rememorare (1) illud quod scriptum est supra (2) de Cadmo rege Thebarum, qui propter multa infelicia infortunia quæ venerunt super sanguinem suum, recedens ab urbe cum uxore sua factus est serpens. Deinde debes hic considerare infelicitates eius et felicitates, ut illæ (3) melius pateant, de quibus Ovidius tertio sui maioris multa fingit. Sed ut magis sequar historiam quam fabulam, volo te scire, quod sicut tradunt veteres scriptores, Agenor rex Tyri famosus in regione Phœniciæ habuit filiam, nomine Europam, quam Jupiter rex Cretæ furtive rapuit (4); quapropter pater dolore commotus mandavit Cadmo filio (5), ut ipsam quæreret ubique, lege data, ne sine ea reverteretur in patriam. Qui magnanimus juvenis, electis (6) sibi sociis, lætus de exilio sibi indicto, non reputans conveniens suæ virtuti scrutari vestigia mulieris, cum navigio pervenit in Græciam, quærens sibi et sociis novam sedem; et accepto responso ab Apolline delphico, ut sequeretur bovem, a quo postea denominavit provinciam Boetiam, aliqua prœlia habuit cum Lacedæmoniis et aliis vicinis; quibus sedatis, condidit urbem, quam vocavit Thebas, cuius statim appellatus est rex a suis. Et cum jam felix videretur exilio, clarus regno, clarior inventione literarum, quas primus docuit gentem rudem, volens fieri clarissimus prole duxit (7) sibi Hermionam uxorem præstantis formæ et nobilitatis; ex qua quatuor filias genuit, quas insignes decore quatuor juvenibus inclytis matrimonio collocavit, ex quibus nepotes vidit: et in brevi Cadmus natus patre rege, ex (8) exule factus est rex, no-

---

(1) E. rememorari. (2) E. supra, cap. XV. (3) E. ut illa melius.
(4) S. abstulit; quapropter pater eius dolore. (5) E. filio suo ut.
(6) E. inventis sibi. (7) E. transduxit Hermionem.
(8) E. et exul factus est.

vus inventor literarum, conditor novæ urbis quam vidit in flore regni cum prole pulcra, omnibus prospere succedentibus. Sed brevis est omnis humana felicitas, et utinam brevis tantum, et non multis calamitatibus terminata! Et audi probam (1): prima filiarum, quæ vocata est Semele, adamata ab Jove cum maculasset regiam adulterio (2), prægnans cremata est. De qua quid dicatur fabulose habebis Paradisi capitulo XXI. Secunda filia vocata est Anthonoe, quæ ex Aristæo viro genuit Acteonem nobilem juvenem, qui in venatione laceratus est a canibus suis in forma cervi; quod qualiter debeat intelligi expositum est supra capitulo XIII. Tertia vocata est Agave, quæ ex Ethione marito genuit Pentheum, qui dictus est rector (3) Thebarum; quæ mater cum aliis sororibus dum celebrarent sacrificia Bacchi, contra mandatum et voluntatem filii, semel ipsum filium laceraverunt totum in specie (4) apri. Huius rei veritas est, ut credo, quod Pentheus prohibebat mulieribus usum vini, quod olim prohibitum est matronis romanis, et hoc vult dicere quod Pentheus irridebat sacra Bacchi. Sed illæ semel bacchatæ furore fœmineo irruerunt in eum, et crudeliter mactaverunt incautum; quod durum fuit ad tolerandum etiam nato inter miseriam (5). Sed ecce durius: quarta (6) filia Cadmi quæ vocata Ino, uxor Athamantis, qui apud thebanos habebat nomen et honorem regis (7), qui incurrit tantam dementiam, incitante furia infernali, quod eius uxor Ino habens duos filios in brachiis visa est sibi una leæna, et filii duo leunculi; ideo furibundus iniecit manum (8) in alterum filiorum, cui nomen erat Learcus, et ipsum impie percussit ad saxum. Mater ter-

(1) E. probationem.
(2) S. adulterio, cremata est. De qua quicquid dicatur.
(3) S. rex Thebarum. (4) 116. forma. (5) E. miserias.
(6) 116, quarta filiarum Cadmi, quæ vocata est.
(7) E. regis, incurrit in tantam. (8) E. manus.

rita timens sibi et alteri filio, qui vocabatur Melicerta, fugiens præcipitavit se in mare. Nunc ad literam descendo, et dico, quod autor tangit singulariter istum furorem ultimum detestabilem nimis in litera, quam ordina sic: *Atamante,* nepos (1) Cadmi, *divenne tanto insano,* idest, furiosus, *che veggendo la moglie,* in ipso furore, *andar carcata da ciascuna mano con due figli,* quia gestabat unum a dextris, alterum a sinistris, forte ut pater applauderet filiis, *gridò,* ductus furore, *tendiam le reti sì ch' io pigli la lionessa,* idest, Inonem uxorem (2) quæ videbatur sibi recte leæna, *e i leoncin,* idest, filios eius, *al varco,* idest, ad vadum, ad passum; et inter ipsa verba processit ad factum (3). Unde dicit: *e poi distese i dispietati artigli,* idest, impios digitos unguatos, *prendendo l' un,* scilicet filium, *ch' avea nome Learco, e rotollo,* in modum fundæ, *e percosselo ad un sasso* (4), ex quo faciliter mortuus est; *e quella,* scilicet Ino, *s' anegò con l' altro carco,* idest, cum alio filio Melicerta. Et hoc est verum historice, sed (5) poetice Ino, mutato nomine, conversa est in deam marinam, quæ dicta est Leucothoe, et Melicerta conversus est in deum marinum, et vocatus est Palemon. Et nota, lector, quod credo istum furorem fuisse verum, tum quia magni scriptores ponunt hoc pro vero, tum quia similes furores et maiores et peiores (6) sæpe acciderunt. Nam non sunt multi anni ex quibus unus in civitate Paduæ, nescio quo furore agitatus, trucidavit uno impetu furoris uxorem, filios et totam familiam. Et dicit autor quod iste furor Athamantis fuit, *nel tempo che Junone era crucciata,* idest, irata, indignata, *contra 'l sangue tebano,* idest, contra sanguinem Cadmi, qui fuit autor (7) Thebarum, *per Semele,* idest, propter iniuriam

(1) E. gener. (2) E. Ino uxorem suam, quæ. (3) E. actum.
(4) E. et percussit ad murum in unum saxum, ex quo faciliter.
(5) S. sed poetæ dicunt, quod Ino. (6) E. potiores. (7) E. conditor.

adulterii quam receperat in Semele; nam communiter mulieres odiunt amicas virorum suorum. Juno autem uxor Jovis moleste ferebat quod Juppiter vir suus cognovisset Semelem filiam Cadmi, ideo immisit furorem in Athamantem, et dicit: *come mostrò già una et altra fiata,* quasi dicat, quod Juno præcipue duabus vicibus ostendit odium suum in sanguine (1) Cadmi, scilicet in Semele (2), quam fecit fulminari, et in Athamante (3) quem fecit infuriari. — *E quando.* Hic autor describit secundum furorem notabilem in muliere famosissima. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod Hecuba uxor Priami, sicut ad tempus potuerat videri felicissima mulierum, potentissimi regis Priami uxor, tot inclytorum filiorum mater, regni florentissimi regina; ita demum fortuna mutata, facta est miserrima omnium, imo etiam viro miserior; quæ si simul cum viro perempta fuisset, pro parte eius infelicitas minui (4) videbatur. Nam ultra mala maxima quæ viderat simul cum viro, scilicet obsidionem decennalem, orbitatem filiorum, captivitatem urbis, vidit virum ferro necari a Pyrrho, qui tunc in utriusque conspectu Politem filium necaverat, et Polyxenam filiam forma præxcellentem, quam virginem tenerrime diligebat (5), ad sepulcrum Achillis velut victimam imolari manu Pyrrhi jam (6) cruenta sanguine patris et filii; et Astianactem filium Hectoris ad saxum illidi, et ultimas (7) reliquias combusti Ilionis fumare; se autem, cui paulo ante serviebant quinquaginta nurus, ut de reliquis taceam, tristem, solam, et propter senium despectam et in solitudine derelictam (8), sine aliquo refugio unius servuli vel consolatoris auxilio. Demum pro conclusione tot et tantarum miseriarum cum inter angustias

---

(1) E. in sanguinem. (2) S. e E. Semelem. (3) E. Athamantem.
(4) 116, minus videbatur. (5) S. diligebant. (6) 116, jam cruentati.
(7) S. multas. (8) E. e 116, relictam.

intolerandas fluctuaret, venit sibi in mentem filius Polydorus, quem Priamus miserat ad Polymnestorem regem Thraciæ generum suum cum cumulo auri ad sustentationem sui [1] et suorum in rebus afflictis; ivit igitur in Thraciam ad ipsum visendum, quem solum vivere sperabat; et illum reperit a Polymnestore, impellente cupiditate avaritiæ, fuisse mactatum et sepultum in arena in litore maris. Quo dolore ultimo sæviente, conversa in rabiem more canis latrantis, discurrens per campos in furore consumpta est. Aliqui tamen scripserunt quod Hecuba fuit ducta in servitutem a græcis cum Cassandra, Andromaca et aliis, inter quas insana [2] finivit senectutem suam fessam omni genere adversitatum. Nunc ad literam: dicit autor tangens furorem feminæ: *Hecuba trista,* quia vidit tot tristia, et maxime funera suorum, *misera,* idest miserabilis, et misericordia digna, *captiva,* quia capta venit per sortem Ulyxis in servitutem, *forsennata,* idest, facta insana et furiosa ex rabie desperationis, *latrò sì come cane.* Per hoc autor tangit allegoriam fabulæ, quia non est facta vere canis, sicut poetæ finxerunt [3], sed sicut canis facta est rabiosa et clamosa unguibus et conviciis, mordens et lacerans unumquemque obvium; et assignat causam, dicens: *tanto il dolor le fee la mente torta,* tantum enim potest dolor, quod sæpe hominem feralem efficit mente corrupta. Et ecce dolorem immensum quem ferre non potuit: *poscia che vide Polissena morta;* nam de Polyxena magis indoluit, et maiorem querelam fecit, sicut patet et apud Ovidium X maioris, et apud Senecam libro tragœdiarum; et postquam, *la' dolorosa,* tam multiplici dolore plena, *si fu accorta del suo Polidoro,* scilicet filio suo juvenculo, *in su la riva del mare,* scilicet Thraciæ vel Troiæ;

(1) E. sui et filiorum et suorum. (2) E. insania.
(3) 116, scripserunt et finxerunt.

quia Ovidius videtur dicere, quod Hecuba, veniens ad [1] litus pro aqua ad lavandum corpus Polyxenæ, reperit corpus Polydori appulisse ad litus: de isto Polydoro et de eius morte dicetur plenius Purgatorii capitulo XX, ubi autor dicit: *Polinestor ch' ancise Polidoro.* Et hoc, dico, accidit de Hecuba, *quando la fortuna volse in basso l' altezza de' troian che tutto ardiva,* idest, deduxit in ruinam altam superbiam troianorum, de qua dicetur plene Purgatorii capitulo XII, ibi: *Vedeva Troia in cenere e in caverne.* Et vere fortuna multum depressit altam gloriam troianorum, *sì che 'l re fu casso insiem col regno.* Solet enim sæpe accidere quod, rege cassato et deposito, regnum remanet integrum, licet transferatur in alium, sicut patuit in [2] Tarquinio superbo expulso et mille aliis. Hic autem, miserabile dictu, rex, regina, et tota stirps regia simul cum regno defecerunt. — *Ma.* Nunc [3] autor applicat ad propositum prædictos furores ut faciat comparationem quam intendit; et dicit breviter quod neuter duorum furorum prædictorum, scilicet Athamantis nobilis thebani, et Hecubæ nobilis troianæ fuit similis furori, quem nunc vidit in duobus spiritibus nobilibus altero femina, altero masculo; altero antiquo, altero moderno; dicit ergo: *ma nè furie di Tebe,* sicut prædictæ et aliæ multæ quæ fuerunt in terra illa, sicut in Hercule, qui interfecit uxorem et filios, ut patet prima tragœdia Senecæ; et sicut in Ethiocle et Polynice, de quibus dictum est supra capitulo XXVI, et ita de multis, *nè troiane,* sicut patuit in Hecuba et Cassandra filia, *si vider mai in alcun tanto crude,* idest, crudeles, *non punger,* idest, ad pungendum, *bestie, non che membra umane,* idest, nedum membra hominum. Hoc pro tanto dicit, quia licet caro humana magis sentiat dolorem

(1) S. ad mare per aquam.
(2) S. in rege Tarquinio.
(3) S. Hic autor nunc.

quam caro bruti, quia habet pellem molliorem propter delicatam complexionem, tamen bestia non potest expellere puncturam a se cum cauda vel ore, sicut homo cum manu, sicut videmus quod * taurus ita dicitur stimulari aliquando sub cauda ab axillo, qui est similis apibus, quod currit per multa milliaria cum magno furore et clamore, ut pulcre scribit Virgilius libro Georgicorum; similiter videmus quomodo * (1) leo rugit et furiatur invasus a febre, aper vulneratus a venabulo, et ursus spoliatus filiis suis. Sed nullus est furor bestiarum similis furori humano, nec tantum pertimescendus. Ideo dicit: *quant' io vidi in due ombre smorte e nude,* quia animæ separatæ a carne sunt nudæ, et omnes dicuntur pallidæ, et loca mortuorum pallida. Et specificat eorum furorem per comparationem claram et propriam, dicens: *che,* idest, quæ umbræ, *correvan mordendo,* scilicet unumquemque obvium, *di quel modo,* scilicet furioso, *che 'l porco,* supple, currit mordendo (2) et lacerando quidquid occurrit sibi, *quando si schiude del porcile*, quia tunc factus liber et in (3) sua potestate, currit, mordet, et lacerat sæpe membra humana, sicut aliquando lacerat et vorat infantulum tenellum in cunabulo cum perpetuo dolore miseræ matris. Et hic nota quod autor bene fingit, quod furia non fuit tanta in aliquo thebano vel troiano, sicut erat in istis; quia si Athamas thebanus fuit crudelis in uxorem et filios, hoc fecit ex errore et ignorantia; si Hecuba facta est rabiosa contra græcos, aut Polymnestorem generum suum, hoc fecit (4) justissima ex causa, quia receperat tam atroces, tam intolerabiles offensas; sed isti qui puniuntur hic sponte et ex certa scientia alienaverunt personam propriam in personam

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 116.
(2) E. mordendo quidquid. (3) E. in suam potestatem.
(4) S. fecerat.

alterius, et sic sponte conceperunt furorem mentis. — *L' una.* Hic autor describit rabiem furoris unius illorum, dicens: *l' una,* scilicet umbra, *giunse a Capocchio,* idest, uni illorum duorum Alchimistarum, de quibus dictum est in præcedenti capitulo circa finem, *e l' assannò,* idest, cum dentibus cepit, *in sul nodo del collo,* ita quod falsator punit falsatorem (1) multo crudelius quam ipse se puniret; nam Alchimista scalpebat se tantum cum unguibus stans appodiatus socio suo, sed iste (2) furiosus scalpsit eum cum dentibus, ita quod violenter traxit eum per terram trementem; unde dicit: *sì che, tirando, gli fece grattar il ventre al fondo sodo,* ita quod scalpsit eum in collo, et fecit sibi scalpi ventrem per terram; ita quod ubi ille primo excutiebat sibi solum (3) crustas, iste excussit sibi carnem usque ad os: et nota quod isti sic punientes alios in furore, satis puniuntur in se ipso furore, qui est debita pœna eorum; sicut enim furor alienat mentem hominis, ita isti alienata mente assumpserunt personam alterius. Et ostendit quomodo iste spiritus manifestatus fuerit (4) per socium Capochii, dicens: *e l' aretino,* scilicet magister Grifolinus de Aretio alter alchimista, *che rimase tremando,* duplici (5) ratione, primo, quia stabat primo associatus ipsi Capochio, quo subracto, ipse remansit tremens sedendo; secundo, quia timebat ne alter spiritus furiosus faceret sibi illum ludum, quem alter furiosus jam fecerat socio suo; quia jam dictum est, quod duo erant socii furiosi, quorum alter jam fuerat usus furore suo contra Capochium; ideo Grifolinus merito timebat sibi simile fieri, ideo dicit autor: *mi disse: quel folletto,* idest, ille furiosus præsumptuosus, *èe Vanni Schicchi;* de isto dicetur paulo post, *e va rabioso così conciando altrui,* idest in rabie furoris mordendo et la-

---

(1) 116, falsatores. (2) E. iste scabiosus furiosus scalpit eum.
(3) S. crustas solummodo, iste. (4) E. fuit. (5) E. duplici de causa.

cerando alios, sicut fecit socio meo Capochio. Et autor, nominato uno illorum (1) duorum furiosorum per Grifolinum, rogat eum ut nominet sibi alium adiurans eum per (2) vitationem eius, quod maxime timebat. Unde dicit: *oh, diss' io lui,* scilicet aretino, *non ti sia fatica a dir,* licet totus tremas (3), *chi è l' altro,* scilicet socius Vannis in furore, *pria che di qui si spicchi,* idest, antequam recedat de loco isto, quia faciliter posset evanescere a conspectu nostro fugiendo furiose vel transfigurando se, sicut olim fecit in vita; et hoc fac (4), *se 'l non ti ficchi li denti addosso,* sicut socius eius jam fecit socio tuo. — *Et elli.* Hic autor ostendit quomodo magister Grifolinus ita adiuratus ab eo, manifestaverit sibi istum secundum spiritum et alium primum quem jam nominaverat (5). Ad cognitionem igitur istius furiosi est breviter referenda (6) res turpis, quam Ovidius describit valde diffuse X sui maioris, quæ in effectu est ista: Cinaras fuit rex Paphi quæ est insula Cypri, qui poterat dici felix, si numquam prolem habuisset; nam habuit filiam sceleratam nomine Myrrham, quæ capta est illicito amore patris, et intus ardens igne occulto luctabatur secum more amantium quæ arguunt pro et contra. Nunc enim dicebat: nonne alia animalia luxuriantur inter se sine ulla reverentia (7) sanguinis? nonne et multæ gentes contrahunt coniugia cum consanguineis? et sic duplicatur amor asserens illas felices, quibus ista licebant, et damnans leges malignas quæ prohibent illud quod natura permittit, dicens se felicem si nata fuisset in partibus illis. E contra autem recognoscens suum abhominabile scelus, deliberabat recedere a patria (8); sed ardor amoris retinebat eam, quia absens non potuisset videre

(1) 116, illorum furiosorum. (2) E. pro nominatione eius.
(3) E. tremens. (4) E. facias. (5) S. manifestaverat.
(6) E. e 116, restringenda. (7) E. differentia. (8) E. a patre.

patrem, tangere, amplecti et osculari, sicut de more solebat. Et dicebat iterum intra se: an tu eris pellex matris, adultera patris, soror filii, et mater fratris? Interim Cinaras pater, cuius filiam multi quærebant amatores, interrogabat Myrrham quem vellet in suum sponsum. Illa autem ardens amore et pudore non poterat dare responsum. Unde ille, credens hoc procedere a pietate, consolabatur et osculabatur eam; quæ iterum interrogata respondit, se velle virum similem (1) illi. Et pater non intelligens laudabat dictum. Illa vero adveniente nocte, non inveniens remedium furori suo, decrevit finire dolorem morte; et accipiens zonam suam suspendit ad trabem in camera sua, et applicans collo suo parabat (2) mori; sed quædam vetula nutrix eius, audito murmure, accurrit, et flens removit laqueum a collo eius, adiurans eam ut diceret sibi causam desperationis. Illa autem stans cum oculis deiectis ad terram, non poterat dare vocem; et cum nutrix diceret inter exhortationes, quod pater et mater bene volebant, Myrrha audito nomine patris, emisit suspirium a profundo pectoris; et vetula, adhuc instante et quærente quem amaret, quia numquam pater hoc sciret, tunc Myrrha furibunda proiiciens se super lectum, cœpit clamare: recede, precor, et parce misero pudori meo. Tunc vetula cœpit blandiri et minari Myrrhæ quod manifestaret patri suspendium eius, nisi ipsa manifestaret sibi suum amorem. Myrrha tamen, impediente naturali pudore, non poterat loqui, sed finaliter dixit cum dolore: O matrem felicem tali marito! (3) Tunc nutrix sentiens flagitium damnabile (4), tota obstupefacta et tremens multa dixit ad excutiendum furorem ex animo amantis. Sed Myrrha maledicta disposita erat omnino mori, nisi optato potiretur amore. Nutrix videns

(1) 116, similem patri.
(2) E. properabat.
(3) 116, viro.
(4) E. abbominabile.

eius obstinationem juravit per Deos cœli providere vitæ suæ; et fortuna præstitit causam delicto; nam tunc celebrabatur festum Cereris, in quo cautum erat quod omnis mulier [1] abstineret sibi a contactu viri per novem noctes, et uxor Cinaræ cum aliis iverat ad festum; ideo nutrix, captata occasione temporis et loci, accessit ad Cinaram offerens [2] se habere pulcerrimam puellam dignam amore eius; et illo interrogante quantæ esset ætatis, dixit: est [3] æqualis Myrrhæ; et tempore noctis introduxit filiam in cameram patris sine lumine ne cognosceretur. Myrrha misera tremebat et gaudebat simul. Pater vero ignarus rei dicebat exhortans [4]: ne timeas filia: et illa ad velandum scelus vocabat eum patrem; quæ concepit ex patre: et sequenti nocte et alias [5] sæpe redivit ad eum, semper cavens ne furtum deprehenderetur. Tandem Cinaras, quia nitimur in vetitum, volens scire quæ esset ista, accepto lumine cognovit [6] filiam et suum scelus; et obstupefactus [7] subito eripuit ensem de vagina pendentem ad caput lecti. Myrrha vero fugiens beneficio noctis evasit. Et hic nota, lector, quod ista videtur tota historia vera præter finem, quia dicitur quod Myrrha fugiens pervenit in Arabiam, ubi conversa est in arborem sui nominis quæ producit myrrham. Ovidius tamen dicit quod non vult quod istum factum credatur; et si creditur credatur quod pœna secuta est ad culpam. Unde ad detestationem tanti mali, fingit quod luna et alia sidera obtenebrata sunt quando Myrrha intravit talamum patris loco matris. Ex prædictis ergo satis patet qualiter [8] ista mulier fuerit infuriata, et digne punitur [9] furore suo. Nunc ad literam; dicit autor: *et*

---

(1) E. mulier contineret se a contactu viri. (2) 116, asserens.
(3) E. est qualis Myrrha. (4) 116, exhortans eam: ne timeas.
(5) E. et aliis. (6) S. agnovit.
(7) 116, stupefactus. — E. obstupescens.
(8) E. quomodo. (9) E. puniatur.

elli, scilicet magister Grifolinus, *a me,* supple, dixit mihi ita dulciter adiuranti eum, *quell' èe l' anima antica,* quia istud scelus est antiquissimum, *di Mirra scelerata,* filia Cinaræ regis Cypri, ubi semper fuit ardens luxuria conformis calori regionis; ideo dicit: *che divenne amica al patre fuor del dritto amore,* scilicet, extra amorem naturalem honestum, qui est inter patrem et filium, incidit in amorem concupiscibilem damnatum et omni lege prohibitum. — *Questa.* Hic Grifolinus comparat Myrrham furiosam Vanni Schicchi furioso, de quo jam fecerat mentionem. Et hoc fecit magna arte, ut revertatur ad declarandum, quis fuerit prædictus Vannes, et quid fecerit, propter quod sit punitus furore simul cum Myrrha; nam fuerant socii in una specie culpæ, ideo ponit eos socios in eodem genere pœnæ, licet distantes per longissima temporum spatia. Igitur ad cognitionem istius Vannis debes scire, quod Bosius de Donatis de Florentia, licet esset nobilis miles de familia præclara, fuit tamen fur ad tempus cum aliis nobilibus, sicut clare ostensum est supra capitulo XXV; et ex furto fecerat magna lucra: propter quod veniens ad mortem, pœnitentia ductus, relinquebat ex testamento multa et magna legata multis. Ex quo Simon filius eius sentiens se gravatum hereditate, subornavit [1] Vannem Schicchi de Cavalcantibus, qui intravit lectum loco dicti Bosii, et fecit testamentum, quia habebat vocem et loquelam simillimam illi. Iste inter alia legata legavit sibi ipsi quamdam equam pulcerrimam, qua nulla erat [2] carior in tota Tuscia; erat enim in pretio mille florenorum. Reliquam formam testamenti fecit sicut præordinatum erat cum prædicto Simone, quem reliquit universalem heredem. Ad literam ergo: dicit Grifolinus de Myrrha pes-

---

[1] 116, subrogavit.

[2] E. erat pulcrior in Tuscia, nec carior. Erat.

sima: *questa venne a peccar con esso,* scilicet patre, *falsificando se in altrui forma,* quia scilicet falso assumpsit formam alterius virginis, licet ex fraude vetulæ nutricis suæ, quæ dederat sibi lac, et postea dedit (1) talem doctrinam, *come l' altro,* scilicet, Johannes (2) Schicchi, *che sen va là,* scilicet furiosus, qui momordit socium meum tam inepte, *sostenne,* idest, passus est, *falsificar in se Boso Donati,* cuius personam induit, *testando,* idest testamentum condendo, *e dando al testamento norma,* legem (3) et formam diversam ab illa quam dederat Bosius ipse. Et ecce quare fecit tam infamem fraudem, *per guadagnar la donna della torma,* scilicet, equam quæ erat caput armenti, quasi dicat: pro tam vili pretio sustinuit facere tam tristem (4) fraudem, quia in nomine diaboli sui non erat nisi una caballa (5), et erat nobilis homo et de nobili domo. Non sic Plautina uxor Traiani imperatoris, quæ mortuo Traiano, subornavit (6) virum, qui intravit lectum loco Traiani, et instituit Adrianum heredem imperii, quem diligebat, sicut scribit Ælius Lampridius.

E poi che i duo. Ista est secunda pars generalis, in qua autor tractat de tertia specie falsatorum falsificantium monetam in uno spiritu moderno. Et primo continuans dicta dicendis, disponit (7) se ad sequentem materiam, dicens: *e rivolsimi a guardar gli altri ammalati,* idest, converti animum et stylum meum ad considerandum alios falsatores, qui aliis infirmitatibus erant gravati, *poi che i duo rabbiosi,* scilicet, Myrrha et Schicchi (8) furiosi, *sopra cui io avea tenuto l' occhio,* scilicet, intellectualem speculationis, *fuor passati,* idest, recesserunt a

(1) 116, dedit sibi doctrinam.
(2) E. Vannes Schicchi.
(3) S. e E. idest, legem.
(4) 116, vilem. — E. infamem.
(5) E. equa, et erat ipse nobilis.
(6) S. subornavit unum, qui. — 116, subrogavit unum, qui.
(7) 116, disposuit se.
(8) S. Vannes Schichi.

visione mea. — *Io.* Hic autor describit in speciali unum falsatorem monetæ, et specificat formam pœnæ eius per unam similitudinem pulcram et claram, dicens: *io vidi un fatto a guisa di liuto,* quia scilicet, habebat faciem macram, collum subtile, ventrem magnum et inflatum, *pur ch' elli avesse l' anguinaia avuta tronca,* idest (1), truncata et separata, *dal lato,* idest, a reliqua parte corporis, scilicet cossis (2) et cruribus, *che l' uom èe forcuto,* quasi dicat: vere videbatur liutum, si tamen non habuisset aliquid ab inguine infra, in qua parte homo bifurcatur. Et tangit nominatim speciem morbi qui sic ipsum transformabat, dicens: *la grave idropisia,* quia reddit hominem gravem, ita ut moveri non possit, *che dispara,* idest, disseperat (3) et dissociat, *le membra con l' umor,* scilicet, corrupto, putrefacto, *che i mal converte;* et ecce quomodo, *che 'l viso non risponde a la ventraia,* idest, quod facies non proportionatur et conformatur ventri, quia venter magnus et facies extenuata, *faceva lui tener le labbra aperte,* scilicet, propter sitim. Et hic nota quod autor dat debitam pœnam falsatoribus monetæ, quia (4) ponit eos hydropicos. Hydropicus enim habet ventrem magnum ex humore corrupto; et realiter et moraliter falsator monetæ est hydropicus, quia stat inclusus in loco occulto subterraneo, nec movetur; et sic faciliter contrahit humorem corruptum, et sicut quanto magis bibit, tanto magis sitit, ita appetitus istorum est inextinguibilis. Et specificat formam oris illius sitientis per comparationem alterius infirmi, dicens: *come l' etico fa,* idest, tenet labia aperta, *che riverte l' un,* idest, reflectit unum labium, *verso 'l mento,* idest, deorsum versus barbam, *l' altro,* scilicet, labium, *in su,* idest, sursum versus nasum: et ecce causam, *per la sete.* Et hic

(1) E. idest, separata.
(2) E. a costis et a cruribus.
(3) E. separat.
(4) E. quia punit eos hydropisi. Hydropicus.

nota, quod ista secunda comparatio est etiam propriissima; ethica enim est quædam febris occulta, paulatim exsiccans et consumens corpus, ita quod homo non sentit. Ethica etiam appellatur moralis philosophia, sed non ita capitur hic. — *O voi.* Hic autor, ne procedat amplius obscure, facit istum falsatorem manifestare se a nomine, a vicio, a supplicio; unde introducit eum ad loquendum sibi et Virgilio, dicens: *diss' elli,* scilicet, ille unus * hydropicus factus ad formam liuti; *O voi che siete senza alcuna pena;* viderat enim ille spiritus, quod isti duo non laborabant aliquo morbo, sicut cæteri de bulgia illa, non lepra, sicut duo primi socii, non furia, sicut alii duo socii, non siti sicut ipse, non febre, sicut alii duo socii, de quibus dicitur infra, et dicit * (1): *e non so io perchè,* quia nesciebat quod Dantes vivus iret ex gratia per infernum sub ducatu Virgilii, *nel mondo gramo,* idest, in inferno, et maxime in ista bulgia, ubi sunt tot tristes infirmi, *guardate et attendete,* scilicet, cum speculatione, *a la miseria del maestro Adamo.* Et quia autor plene et clare describit istum et culpam et pœnam et locum et autores suæ culpæ, ideo breviter * pertranseo. Iste siquidem magister Adam gerens nomen primi parentis fuit lombardus de civitate opulenta Brixiæ, de qua dicit Catullus poeta veronensis: *Brixia Veronæ mater amica meæ.* Qui magnus monetarius cum venisset Florentiam, ubi fabricatur moneta aurea, quæ inde appellatur florenus, ad persuasionem et promissionem quorumdam nobilium de comitibus Guidonis (2) venit Romenam (3) in Casentinum, et ibi cudere cœpit florenos falsos ad similitudinem verorum florenorum de Florentia, quæ moneta cœpit expendi et seminari per regionem cum præjudicio multorum et infamia dictorum comitum; et in

(1) Nel Codice Estense mancano le parole incluse fra i due asterischi.
(2) 116, Guidis. (3) S. Ravennam.

brevi fraude detecta, magister Adam fuit captus, et ductus Florentiam, fuit publice combustus, de quo autor longo sermone mentionem facit operose, quia cum omnis falsans pecuniam graviter delinquat contra commune commodum reipublicæ, iste gravissime peccavit falsando florenum, qui est valde communis moneta, et universaliter expenditur per totum (1), unde multæ sunt species florenorum in usu christianorum * (2). — *Io.* Hic magister Adam probat miseriam suam per duo quæ adaugent sibi pœnam, quorum unum est, quia in vita habuit sufficienter commoda sua; secundum, quia habet ante oculos illud quod maxime habet refrigerare sitim, scilicet aquam lucidam et frigidam. Dicit ergo primo: *io ebbi vivo,* idest, dum viverem in mundo, *assai,* idest ad sufficientiam, *di quel ch' io volli,* quia pinguiter vivebat et de bono bibebat, quando stabat cum illis comitibus in Casentino; *et ora lasso,* idest, heu nunc me miserum! *un gocciol d' acqua bramo.* Et sic in isto verificatur illud dictum: *Nessun èe maggior dolor che ricordarsi del tempo felice nella miseria.* Et quia illud quod maxime appetit habet ante oculos, nec potest attingere, ideo dicit: *li ruscelletti,* idest rivuli aquarum, *che discendon giuso in Arno,* fluvium famosum (3) Tusciæ, de quo jam sæpe dictum est et dicetur, *de' verdi colli del Casentin;* est enim Casentinum contrata inter Florentiam et Aretium, quod territorium erat tunc temporis comitum Guidonum datum olim comiti Guidoni veteri pro dote nobilis Ingualdradæ, sicut scripsi supra capitulo XVI. Arnus autem (4) fluvius dividit Casentinum, et colligit omnes aquas cadentes hinc inde de montibus (5), quas claras et geli-

(1) S. totum mundum.
(2) Qui pure nel Codice Estense mancano le parole incluse fra i due asterischi.
(3) 116, famosissimum. (4) 116, enim.
(5) 116 e E. montibus illis, quas.

das vere est delectabile bibere homini sitienti; ideo dicit: *facendo i lor canali e freddi e molli,* labendo per mundos lapillos [1] cum dulci murmure salientis aquæ, *sempre mi stanno innanzi,* scilicet ante oculos memoriæ, et dicit: *e non indarno,* idest, non impune, quia ad augumentum meæ sitis, unde dicit: *che la imagine lor,* idest, imaginatio, *via più m' asciuga,* idest, magis me macerat et exsiccat, *che 'l mal,* scilicet, hydropisis, *ond' io mi discarno nel viso,* idest, quod ipsa sitis non est tanta pœna hydropico in se, sicut est videre aquam refrigerativam in ipsa siti, et non posse attingere. Et hic nota quod autor accepit [2] a Lucano, qui scribit quod dum Cæsar in Hispania citeriore inclusisset in alto monte et sicco Petreium et Affranium legatos Pompei, ad cuius radices fluebat fluvius sub oculis eorum, illi videntes aquam et non valentes attingere magis accendebantur siti, et magis cruciabantur quam si fuissent in partibus Lybiæ oppositæ calidis et siccis, ubi est omnimoda penuria aquæ. Similis est huic sitis Tantali. Et reddit [3] Adam rationem pœnæ, dicens: *la rigida giustizia,* scilicet, divina, *che mi fruga,* idest, purgat et punit, *tragge cagion del loco ov' io peccai,* scilicet, de Casentino, *a metter più li mei sospiri in fuga,* idest, mea desideria magis longe a me, ut non valeam consequi quod opto. — *Ivi.* Hic magister Adam manifestat locum specialem, ubi ipse deliquit, dicens: *Romena,* quæ est terra pulcra in Casentino, ubi regnabant tunc comites Guidones, et est sita juxta flumen Arni, *èe ivi,* idest, in Casentino, *là dov' io falsai la lega suggellata,* idest, informata, *del Batista,* quod est dicere: ubi ego falsificavi [4] florenos de Florentia, in quibus est sculpta imago Johannis Baptistæ qui est patronus Florentiæ. Et hic nota, quod sicut scribit philosophus primo

---

(1) E. lapides. (2) 116 e E. accepit hoc a Lucano qui scripsit.
(3) E. reddit quamdam rationem talis pœnæ. (4) E. falsavi.

Politicorum, olim antequam esset usus pecuniæ, fiebat commutatio *rerum, sicut frumentum (1) in vinum, et vinum in oleum, et ita de aliis. Et hic modus, sicut ipse dicit, adhuc servatur apud aliquos barbaros. Sed quia ista commutatio * (2) non erat commoda humano generi, quia homo non potest secum portare necessaria de longinquo, oportuit invenire (3) aliquod pulcrum portatile, quo haberentur omnia commoda; tale autem est numisma, quod est mensura omnium rerum: ideo factum est de auro vel argento, quæ sunt perfecta metalla, ut dictum est in præcedenti capitulo, ut esset carum et parvi ponderis, ut posset portari, et in forma sphærica, quæ est perfecta. Sed quia difficile erat in omni emptione ponderare pecuniam, sculptum fuit aliquod signum in nummo, per quod sciretur, quanti ponderis et (4) pretii esset; sicut Baptista in Italia sculpitur in floreno Florentiæ, et sanctus Marcus in ducatu Venetiis (5), et ita de aliis. Iste ergo falsavit florenum in Romena; ideo dicit: *perch' io il corpo suso arso lasciai*, scilicet in mundo, in tua civitate Florentiæ. — *Ma s' io.* Hic Adam ostenso, quod (6) locus ubi peccavit auget pœnam eius, nunc ostendit, quid maxime relevaret eius sitim; et dicit, quod pœna dominorum ipsius loci visa (7) sibi, maxime sedaret sitim suam, unde dicit: *ma non darei la vista*, idest, visionem ipsorum, *per Fonte Brandi*, pro fonte, ubi desidero multum bibere. Est enim fons pulcerrimus (8) in amœnissima civitate Senarum in platea pulcerrima; quasi dicat: si ego viderem hic autores mortis meæ, magis sedaretur sitis mea ex tali visione, quam si ego

(1) S. e E. frumenti in vinum, et vini in oleum.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(3) E. inveniri. (4) E. et quanti pretii. (5) E. Veneto.
(6) E. quod ubi peccavit augetur pœna eius, nunc ostendit quod maxime relevet sitim. Et dicit.
(7) E. e 116, visa ibi. (8) E. amœnissimus in pulcerrima civitate.

biberem (1) ad aquam Fontis Brandi delectabilissimam; et sic vide, quod redibat sibi in mentem aqua sedativa sitis, quasi dicat: non permutarem illam visionem pro ista bibitione, tantum esset mihi grata (2). Vel expone sic: *non darei la vista,* idest, oculos meos non jactarem per Fontem Brandi, quasi dicat, non desiderarem bibere ad dictum fontem; ita visio eorum satiaret sitim meam et pœna ipsorum; est tamen idem effectus: *ma s' io vedessi qui,* idest in ista bulgia vel pœna, *l' anima trista di Guido o d' Alessandro, o di lor frate;* fuerunt enim tres fratres comites domini Romenæ, scilicet Guido, Alexander, et Aghinolphus. Hoc dicit, quia *solatium est miseris socios habere pœnarum:* et maxime quando sunt in pœna cum illis, qui fuerunt causa impulsiva culpæ, pœnæ et infamiæ eorum. Et subiungit Adam, quod licet audiverit, quod jam unus illorum fratrum mortuus est, et jam pervenit ad pœnam, tamen parum proficit (3), ad relevandam sitim, quia non potest (4) accedere ad videndum eum. Unde dicit: *l' una,* dicunt aliqui: scilicet anima Alexandri, *c' èe dentro già,* scilicet, in inferno, quia est inter proditores consanguineorum, ut videtur (5) infra capitulo XXXII, ubi nominat Alexandrum, sed certe non bene video, de quo loquatur; quia ille Alexander, quem autor (6) reponit in glacie, non fuit de comitibus Guidis de Romena, sed de comitibus Albertis, ut potest patere intuenti ibi, et dicit: *se l' arrabbiate ombre,* idest, furiosæ, *che vanno intorno,* sicut, Myrrha et Schicchi, *dicon vero:* hoc dicit, quia furiose discurrentes possunt videre alios spiritus a longe et referre nova de eis, quod non possunt isti (7) hydropici; et intellige quod furiosi pos-

(1) E. biberem aquam Fontis Brandi; et sic.
(2) 116, cara et grata.
(3) S. profecit.
(4) E. poterat.
(5) E. videbis.
(6) E. nunc autor ponit.
(7) S., E. e 116, hydropici, nec cæteri falsatores qui non possunt moveri. Et intellige.

sunt videre a longe, non tamen extra bulgiam suam; ideo non potest aliquo modo intelligi, quod iste loquatur de Alexandro prædicto, quia non possunt isti transire in puteum, in quem autor intrabit per manus maximi gigantis Anthei. Ideo dicit: *ma che mi val,* idest, quid proficit ad alleviationem pœnæ meæ, *ch' i' ò le membra ligate?* scilicet, infirmitate gravi, ita quod non possum ambulare. — *S' io.* Hic Adam ostendit maximam aviditatem quam habet videndi dictum spiritum, quia nullum laborem quantumcumque gravem et longum vitaret, si speraret unquam posse appellere ad eum; unde dicit: *io seria mosso,* vel *messo già per lo sentiero,* idest, ego essem jam in itinere, *s' io fosse pur ancor leggiero di tanto ch' io potessi in cento anni andar un' oncia.* Et hic nota quod aliqui dicunt, quod dies naturalis habet multas partes, et quod uncia est duodecima pars momenti; sed istud est superfluum, quia autor non loquitur hic de mensura temporis sed loci, et iste error provenit ex ignorantia vulgaris florentini; nam uncia Florentiæ appellatur latitudo digiti grossi, ita quod in effectu iste vult dicere: si ego possem in spatio centum annorum ire tantum terræ, quanta est latitudo unius digiti, ego essem in via ad quærendum ipsum. Ideo dicit: *cercando lui,* scilicet prædictum comitem, *tra questa gente sconcia,* idest, inter turbam falsariorum (1) diversis ægritudinibus affectorum. Et sic vide quod iste, posito quod fieret levis, non posset (2) quærere istum nisi per istam bulgiam decimam, tum quia non posset exire pœnam destinatam æternaliter, tum quia ille, quem optabat invenire, debebat esse damnatus in ista bulgia, quia fecerat istum falsare pecuniam; et propter (3) quod unumquodque et illud magis; nec labor longæ viæ terreret (4) me; *con*

(1) E. falsatorum. (2) E. posset intrare per istam.
(3) E. propter unumquodque et illud magis. (4) S. tæderet me.

tutto ch' ella volge undece miglia; et sic est medietate minor præcedenti, quæ habet de ambitu viginti duo milliaria, ut dictum est in præcedenti capitulo. Et dicit: *e non ci à men d' un mezzo di traverso,* idest, non habet minus dimidio milliari per transversum; intelligo ego a loco ubi iste erat usque ad extremam ripam. Et hic nota quod litera ista videtur valde obscura, quod (1) brevissimum spatium dimidii milliaris videbatur isti tam gravato et inflato longissimum iter; nam si in centum annis ivisset per latitudinem unius digiti, imaginare quando confecisset (2) dimidium milliare. Et ultimo magister Adam reddit rationem (3) quare tantum lætaretur pœna dictorum trium fratrum, quia (4) fuerunt causa eius culpæ et pœnæ temporalis in mundo, et æternæ in inferno; unde dicit: *io son per lor tra sì fatta famiglia,* idest, intra istos hydropicos immobiles, *et ei m' indussero,* sub spe magni lucri et præmii, *a batter li fiorini,* scilicet falsos, *ch' avean tre carati di mondiglia,* idest, superfluitatis; nam florenus si sit verus et justi ponderis habet in se viginti unum caratos auri.

Et io a lui. Ista est tertia pars generalis in qua autor agit et tractat de quarta (5) specie falsatorum, qui falsaverunt verba et sermones. Et primo autor petit a magistro Adam falsatore monetæ, qui sint illi duo socii jacentes et fumantes (6); unde dicit: *et io a lui,* scilicet, dixi: *chi son li due tapini,* idest, miseri, infelices, *che fuman come man bagnata il verno,* propter febrem inflammantem eos, ut statim dicetur, *giacendo stretti ai tuoi destri confini?* Istos enim fingit jacere unum juxta alium, quia laboraverunt pari morbo, scilicet eadem specie falsitatis. Et ponit responsionem Adæ dicens: et ille Adam,

---

(1) E. e S. quia. (2) E. quando confecisset medium milliare.
(3) E. rationem latæ pœnæ dictorum.
(4) E. qui. (5) S. quadam. (6) E. infirmantes.

rispose: qui li trovai quand' io piovvi in questo greppo; greppum appellatur Florentiæ vas vile (¹) fractum remotum ab usibus domesticis, et deputatum cibo vel potui gallinarum; ideo bene sic vocat istum vilem, tristem locum, quasi dicat: quando cecidi in istam bulgiam, tempore quo fui combustus, ubi steterant jam per multa sæcula annorum, et mansuri sunt in æternum. Ideo dicit: *e poi non dierno volta,* sicut solent sæpe facere febrientes, sed isti nimis gravati moveri non possunt, *e non credo che diano in sempiterno,* quia morbus incurabilis est in inferno, et numquam levatur (²) pœna. — *L' una.* Hic Adam nominat primo spiritum ægyptium a crimine calumniæ, dicens: *l' una èe la falsa ch' accusò Joseppo.* Ad intelligentiam claram istius literæ est sciendum, quod hæc pulcerrima historia scribitur valde diffuse libro Genesis; tamen cum notissima sit, quia publice legitur in cathedris et vulgatur in pulpitis, ipsam brevissime summare curabo. Igitur Jacob, ut jam tactum est secundo capitulo huius libri, habuit duodecim filios, ex quorum semine descenderunt duodecim tribus Israel, quorum clarissimus fuit Joseph, qui fuit undecimus filius patris ex Rachele, utrique carissimus; matri quidem, quia abstulerat opprobrium sterilitatis eius; pater vero diligebat eum præ cæteris, tum quia genuerat eum in senectute, tum quia mirabile ingenium pueri faciebat eum amabilem (³) non solum parentibus, sed fecit eum gratissimum barbaris et regi crudelissimo. Sed quanto erat carior patri, tanto odiosior fratribus ex invidia, quia singularius diligebatur a sene, et quia puer liberius accusabat fratres, et quia mirabilia somnia eius videbantur præsagire servitutem eorum, et illius magnam gloriam et imperium. Semel ergo Joseph missus a pa-

(¹) S. inutile. (²) 116, læviatur. — E. alleviatur. (³) E. admirabilem.

tre ad videndum fratres qui pascebant oves in deserto a longe, venditus est ab eis mercatoribus qui ibant in Ægyptum triginta denariis; parvum certe prætium magni viri, sed figura maioris pari prætio vendendi. Delatus in Ægyptum, iterum venditus fuit eunuco regis Pharaonis nomine Putiphar, qui erat dux exercitus et magister militiæ eius (1). Qui incredibilem gratiam invenit in oculis domini sui, ita quod in brevi præfecit eum domui suæ et totæ familiæ; sed sicut dominus erat captus industria fidelis servi, ita uxor eius pulcritudine formæ, quæ, urgente flamma libidinis, quam (2) accendebant otium et deliciæ et suavis aspectus juvenis et mariti castrati fastidium (3); captato loco et tempore cepit illum petens concubitum eius, sed cum nihil proficeret precibus, ultimo paravit (4) vim. Ille autem invictus subtraxit ab ea corpus et animum inviolatum, relicto pallio in manibus eius, quo (5) illa ceperat eum. Illa autem, magis accensa dolore repulsæ et pudore, convertit statim amorem in odium, et clamans conquesta est familiæ, deinde viro, quod vir hebræus ipsam attrectare tentaverat, et sic ex impudentia audacis fœminæ et zelotopia (6) creduli viri, Joseph vir justus iniuste traditus est carceri regali, in quo tamen divina justitia non deseruit eum. Nam princeps carceris fecit eum custodem omnium; elapso autem biennio rex Pharao fecit duo somnia, quibus viderat septem vaccas pingues pulcras devorari a septem macris et turpibus; et ita septem spicas plenas (7) a septem vacuis et aridis. Et cum non posset habere interpretationem somniorum a suis sapientibus et auguribus, quidam pincerna regius (8), cui Joseph in carcere exposue-

(1) E. regis. (2) E. quæ accendebatur otio et deliciis, et suavi aspectu.
(3) E. fastidio, capto loco. (4) E. pervenit ad vim.
(5) E. per quod illa ceperat. — S. per quod illa cepit.
(6) E. zelotipia crudelis viri.
(7) 116, plenas, et septem vacuas et aridas. (8) E. e 116, regis.

rat somnium de relaxatione sua, dixit regi, qualiter juvenis hebræus erat in carcere, qui forte interpretaretur somnia ista. Joseph ideo de mandato regis adductus ad præsentiam eius aperuit (1) ei, quod per somnia pretendebatur septennium ubertatis, ad quam continuo sequebatur (2) aliud septennium sterilitatis; ideo providendum esse futuræ fami remedio magnæ copiæ. Qua re Pharao credens hominem habere spiritum divinum fecit eum præpositum totius regni, mandans ut tamquam sibi ab omnibus pareretur, et vocavit eum salvatorem mundi, et dedit illi uxorem ægyptiam. Joseph ergo sublimatus cum magna providentia et diligentia sua conservavit ita fruges in ubertate, et ita dispensavit in caritate, ut solus omnia ageret, et totam terram Ægypti regis (3) faceret. Interim fames (4) crescens et affligens omnes terras, invasit domum Jacob, qui ex undecim filiis misit decem, retento (5) minimo, nomine Beniamin, qui venientes in Ægyptum secundo anno famis adoraverunt fratrem principem Ægypti, quem non noverunt, cum jam excessisset trigesimum septimum annum. Ipse vero bene cognoscens eos, sed simulans vocavit eos exploratores; et tandem dato eis tritico, et prætio reposito in saccis, dimisit eos cum pacto ut ducerent ad se fratrem eorum (6) pro obside. Pater autem his auditis repletus dolore et stupore conferens secum mortem Joseph, quem fratres finxerant fuisse a fera pessima devoratum, et carcere Simeonis et periculo Beniamin induratus decrevit non mittere puerum solatium senectutis suæ. Sed consumpta annona, fame vincente amorem, misit cum planctu Beniamin cum fratribus, et pecunia duplicata; quibus Joseph fecit con-

(1) E. exposuit et aperuit ei quod per somnia ipsa portendebatur.

(2) E. sequeretur septennium.

(3) E. regi faceret.

(4) E. fames valida crescens.

(5) 116, detento.

(6) 116, eorum parvulum, retento uno eorum obside. — E. fratrem eorum obsidem. Pater.

vivium liberato Simeone, et inquisivit [1] de statu patris eorum. Quibus respondentibus ad singula, iterum fecit dari frumentum [2] et reponi pecuniam in saccis, et insuper scyphum argenteum in sacco fratris minimi. Cum autem illi læti et ignari rei recederent, capti sunt in via, et tamquam rei furti reducti [3] ad Joseph, et invento scypho fatebantur se dignos servitute. Joseph autem dicebat, quod solus Beniamin debebat [4] remanere servus eius; sed Judas offerebat se, asserens patrem descensurum ad inferos, nisi puer expectatus reverteretur ad eum. Joseph autem non valens amplius resistere naturali pietati [5], remotis arbitris, solus remanens cum undecim fratribus, cum planctu exclamans super eos dixit: Ego sum Joseph; et consolatus est animos eorum stupentium novitate rei, et trementium recordatione veteris offensæ. Et commisit eis, ut reducerent patrem in Ægyptum, quia adhuc restabat per quinquennium tempus famis et penuriæ, missis muneribus regis ad eum, et curribus ad portanda necessaria in itinere. Jacob igitur repletus multiplici gaudio ivit in Ægyptum, cui Joseph dilectissimus filius venit obviam, et illum receptum cum piis lacrymis perduxit ad regem. De cuius mandato positus fuit in optima regione Ægypti, ubi supervixit decem septem annis, et tandem defunctus est expletis centum quadraginta septem annis, et relatus est ad sepulcrum suorum in Ebron manibus filiorum suorum, ubi requiescebant cineres Isaac patris et Abraam avi. Ipse vero Joseph centum decem annos in vita feliciter explevit. Ad propositum ergo videre potes ex narratis falsitatem, quam maligna mulier commisit in sermone et verbis fictis in perniciem pudicissimi Joseph, quem Deus [6]

---

(1) S. quæsivit.
(2) E. eis frumentum.
(3) 116, reducti sunt ad Joseph.
(4) S. deberet.
(5) E. caritati.
(6) E. omnipotens Deus.

per tot gradus malorum erexit ad tantam altitudinem ad salutem suorum. Deinde nominat secundum spiritum socium strictum prædictæ mulieris, dicens: *l' altro èe il falso Sinon greco di Troia,* qui optime novit artem fallendi, et mentiendi, sicut statim patebit paulo post. Et tangit pœnam utriusque, dicens: isti duo, *gittan tanto leppo,* idest, calidum fumum, qualis est ille qui manat a manibus balneatis in hyeme, sicut ipse jam exemplificavit ([1]) supra. Et nota quod ista est naturalis pœna istorum. Imaginare quam ardenti calore accidentali fumabat mens istius fœminæ de qua dictum est, et istius viri, de quo statim dicetur. Illa enim ardens amore Joseph facta est ingeniosa ad mentiendum; ille vero ardens odio troianorum factus est ingeniosus ad mentiendum. — *E l' un.* Nunc autor artificiose fingit unam litem jocosam, quæ incidenter orta est inter duos, scilicet accusatorem et accusatum; et breviter dicit, quod Sinon moleste ferens quod magister Adam ita criminabatur eum, non fuit patiens, sed percussit eum in ventrem. Dicit ergo: *e l' un di lor,* scilicet, Sinon græcus, *che si recò a noia,* idest, reputavit sibi ad ignominiam et infamiam, *forse d' esser nomato sì oscuro,* idest, tam viliter, infamiter ([2]), quia scilicet vocatus fuerat falsus, *gli percosse l' epa croia,* idest, corpulentiam sive panciam turpem et inflatam: hoc dicit, quia magister Adam ex hydropisi habebat ventrem velut vegetem; ideo dicit: *quella sonò come fosse un tamburo,* ita erat tensa et vento plena. — *E 'l maestro.* Hic autor ostendit quomodo magister Adam reddiderit Sinoni vicem facto et verbo; unde dicit: *E 'l maestro Adamo gli percosse il volto col braccio suo che non parve men duro,* imo durius et iniuriosius fuit percutere cum toto brachio faciem, nobilem partem

---

([1]) S. explicavit. ([2]) E. infamatus.

hominis, quam cum solo pugillo percutere ventrem sentinam sordium, *dicendo a lui: io ho il braccio a tal mestiero,* idest, ad opus vindictæ, *ancor che lo muover mi sia tolto,* scilicet, *per le membra che son gravi,* idest, gravata infirmitate hydropica. Et hic nota, quod ira est multum efficax ad faciendum debilem fortem, sicut videmus a simili quod aliquando quis vulneratus ad mortem, dum moritur, ex ira, quæ est appetitus vindictæ, contrahit vires animæ in unum ad sumendum supplicium de iniuriante [1], sicut patebit infra de Tydeo, et sicut scribit Titus Livius de Romano qui in pugna cannensi, cum haberet manus inutiles ad pugnandum, cum dentibus in furore deformavit totam faciem hostis volentis ipsum spoliare. — *Ond' ei.* Hic autor ponit responsionem mordacem Sinonis contra id quod dixerat magister Adam, dicens: *ond' ei,* scilicet, Sinon, *rispose: quando tu andavi al fuoco,* propter falsationem pecuniæ, *non l' avevi tu sì presto,* scilicet ipsum brachium, quia scilicet, nunc habes brachia ligata solo humore corrupto, tunc vero habebas ea ligata cum fune, *ma sì,* idest tantum, *e più quando tu coniavi,* idest, quando cudebas pecuniam falsam, quia tunc ducebas brachia et exercebas manus valde velociter. Et sic vide quomodo iste græcus loquacissimus retorquet [2] in infamiam illud de quo ille videbatur gloriari, scilicet motum brachiorum ad vindictam, quasi velit dicere: bene credo, quod habes [3] brachia soluta ad omnia mala, sicut ad falsandam monetam, ex quo meruisti habere ea ligata, quando fuisti ductus ad ignem. — *E l' idropico.* Hic autor ponit responsionem magistri Adæ contra Sinonem; et quia Sinon obiecerat sibi crimen falsitatis monetæ, cuius causa ipse est æterne [4] damnatus; ideo magister Adam obiicit sibi crimen falsi

---

(1) S. iniuria.
(2) E. retorquet infamiam illius de quo.
(3) E. habeas.
(4) S. æternaliter.

sermonis (1), cuius arte ipse cepit nobilissimam (2) urbem Troiæ. Et ad declarationem huius literæ satis brevis oportet necessario scire longam fictionem, quam facit Virgilius II Eneidos, per quam patebit (3) aperte quis fuerit Sinon, et qualis fuerit equus quo tradidit Troiam græcis. Fingit ergo Virgilius Eneam narrare reginæ Didoni apud Carthaginem excidium Troiæ. Narrat enim quod reges et duces græcorum fessi et fracti diuturno bello desperantes de victoria fecerunt fabricari equum (4) magnum de lignamine ad modum montis in honorem deæ Palladis, et ostendentes se fecisse hoc ad placandam deam iratam contra eos, incluserunt (5) in ventrem viros electissimos, et simulantes recedere ab obsidione accesserunt ad insulam Tenedos ex opposito Troiæ, et ibi latuerunt in insidiis. Troiani ex hoc credentes illos vere recessisse, apertis portis, cœperunt exire civitatem, et discurrere per varia loca, ubi fuerant castra græcorum, et aliis suadentibus ut equus introduceretur in Troiam, aliis ut cremaretur vel præcipitaretur in mare; ecce quidam pastores troiani trahebant quemdam juvenem manibus post tergum religatis. Hic erat græcus nomine Sinon, qui de industria sponte obtulerat se capiendum, ut sua fraude traderet Troiam græcis. Cunctis autem illudentibus Sinon cœpit conqueri, et dicere: heu me miserum! quæ terra, quod mare debet me recipere? quod refugium restat mihi, cum apud græcos non inveniam locum, et ipsi troiani offensi petunt supplicium et mortem meam? Troiani ad hæc verba placati cœperunt hortari ipsum, ut diceret quis esset, et quid iret faciendo. Tunc Sinon, quasi timore deposito, respondit cum magna arte: O rex Priame, ego referam tibi vera: ego non negabo me natum de gente græca, et si for-

(1) S. Sinonis. (2) E. nobillimam. (3) E. patet.
(4) E. unum equum. (5) E. recluserunt in ventre huius.

tuna fecit me miserum, certe non faciet me mendacem et vanum ipsa prava. Nescio si audisti aliquid de nomine et gloriosa fama Palamedis, quem innocentem græci necaverunt sub nomine falsæ proditionis, quia vetabat bella fieri contra troianos; nunc deplorant ipsum mortuum et privatum vita. Ego fui socius et consanguineus eius missus ad eum a paupere patre meo a pueritia, et ego etiam habui aliquid nominis et honoris; sed mortuo Palamede afflictus ducebam vitam in planctu et dolore, conquerens de indigna morte innocentis amici: sed tamquam stultus tacere non potui, imo minabar me facturum vindictam si unquam haberem fortunam et redirem victor ad Argos; et sic meis verbis procuravi odium contra me, et ex hoc Ulyxes qui fuerat fraudulentus autor mortis Palamedis fuit semper mihi infestus, et inveniebat nova crimina contra me. Sed ego ad quid plura loquor (1) minime vobis grata? Si vos habetis pariter omnes græcos odio, jam sumite pœnas de me, ita vult Ulyxes; et Agamemnon et Menelaus emerent (2) hoc prætio magno. Tunc troiani facti avidi, ignorantes fraudem et artem græcam, cœperunt exquirere causas. Sinon quasi trepidans cœpit ficte loqui sub tali forma (3) verborum: græci sæpe tœdiati (4) et fatigati longitudine belli voluerunt recedere dimissa obsidione Troiæ, et o utinam fecissent! sed aspera tempestas maris sæpe detinuit eos, potissime postquam hic equus factus est. Græci itaque dubii miserunt Eurypilum augurem magnum ad (5) oraculum Apollinis ad sciendum quid esset agendum; ille reportavit tale responsum: o græci, vos placastis ventos immolata virgine, quando primo venistis ad partes Troiæ, et ita per sanguinem oportet vos quærere reversionem

---

(1) 116, loquar.
(2) E. emerent enim hoc.
(3) E. tegmine.
(4) E. extœdiati.
(5) 116, cum magno clamore ad oraculum.

in patriam, et sacrificandum est anima unius græci. Hac voce publicata (1) in vulgo, omnes exterriti sunt valde, quia quilibet timebat (2) sibi esse ille. Tunc Ulyxes protraxit in publicum Calchantem alium augurem magnum cum magno clamore petens quem dii sibi volebant; et continuo, dicit Sinon, multi divinabant mihi mortem. Calchas autem per quindecim dies (3) tacuit, et absconsus noluit nominare aliquem; tandem compulsus magna instantia (4) Ulyxis, dixit me esse immolandum: et continuo omnes assenserunt, ut eorum timor transferretur in mortem unius miseri. Jam venerat dies infelix, jam parabatur sacrificium supra caput meum. Certe ego dico verum: ego rupi carcerem, et fugiens latui in valle palustri tempore noctis, et sic liberavi me a morte expectans si forte illi recesserunt (5); nec habeo aliquam spem videndi unquam antiquam patriam, dulces filios, et desideratum patrem, quos forsitan ipsi græci cruciabunt et necabunt propter fugam meam, et sic purgabunt culpam meam morte miserorum. Propter quod rogo te, inclyte rex, per deos cælestes, et per fidem inviolatam, si adhuc aliqua remansit in hominibus, miserere tot et tantorum laborum et mei, qui dico tibi vera. Troiani ergo capti his lacrymis cœperunt misereri eius, et ipse Priamus mandavit quod solveretur, et consolatus (6) est eum amicabiliter, dicens: Quisquis es, trade oblivioni græcos, quia eris noster troianus, et dic mihi veritatem: quare græci construxerunt equum tam magnum? Ille Sinon plenus fraude et arte græca levavit manus solutas ad cœlum, invocans deos in testes quod posset aperire secreta græcorum, quia non tenebatur amplius pa-

---

(1) E. publicata in populo et vulgo. (2) E. timebat esse illum.
(3) E. dies absconsus recusabat nominare. (4) S. astutia.
(5) E. recederent. — S. recesserint. — 116, recederant.
(6) S. osculatus. — 116, et consolarent eum.

triæ in aliquo, nec erat obligatus aliquibus legibus; et breviter narravit, quod græci habuerant totam spem et fiduciam incœpti belli in auxilio deæ Palladis usque quo impius Diomedes et Ulyxes inventor scelerum rapuerunt vi et fraude fatale Palladium occisis (1) sacerdotibus custodibus arcis de sacrato templo ipsius deæ: ex illo tempore cœpit retrocedere spes græcorum, quia dea irata et indignata est contra eos. Unde Calchas sacerdos statim dixit, quod erat recedendum (2) in Græciam, quia numquam græci possent armis expugnare Troiam, nisi repeterent auguria et placarent iterum deam quam placaverant quando primo venerant ad Troiam, et ideo pro satisfactione huiusmodi iniuriæ ordinaverunt imaginem hanc, et statim redibunt quod non perpendetis. Et Calchas fecit fieri equum tam magnum et immensum ne posset recipi per portas et trahi (3) intra mœnia Troiæ, nec protegere populum troianum sub religione, sicut Palladium erat solitum facere; nam dicit Calchas, quod si violaretis manu istud donum Minervæ magnum excidium venturum esset imperio Priami, et ipsis troianis; quod augurium dii citius reducant super ipsum et suos. Si vero traheretis ipsum in urbem manibus vestris, tunc Troia victrix veniret contra Græciam et vastaret ipsam. Et concludit tandem Eneas quod, talibus insidiis et arte perjuri Sinonis, res credita fuit, et troiani capti sunt dolis et lacrymis, quos nec Diomedes, nec Achilles, nec anni decem, nec mille naves domare potuerant. Nam troiani fractis muris et apertis portis vi traxerunt fatalem equum in medium urbis, et cæcati non perpenderunt de tanta fraude, et collocaverunt ipsum in sacro templo Minervæ cum magno gaudio et festo. Sed nocte sequenti adveniente, cum omnia quiescerent, græci reversi sunt fur-

(1) E. cæsis sacerdotibus. (2) E. redeundum. (3) E. et intrare mœnia.

tive cum navibus a Tenedo, et dato signo Sinon emisit græcos ex equo, scilicet Ulyxem, Menelaum, Pyrrhum et alios multos; qui omnes, trucidatis custodibus et apertis portis, intromiserunt socios et totum exercitum græcorum, qui simul juncti, invaserunt urbem somno et vino sepultam, et vastantes omnia ferro et igne, spoliatam rebus et captivis funditus everterunt. Sed dices forte, lector, quid sibi vult ista fabula longa et vana? Dico, judicio meo, quod equus iste troianus dedicatus Minervæ, non videtur velle dicere aliud nisi quod græci obtinuerunt victoriam contra Troiam non tam viribus armorum, quam armis Minervæ, scilicet ingenio, arte, industria, astutia. Unde Lycophron poeta græcus scribit, quod græci exquisiverunt a captivis troianorum, a quo receperant plus damni, an ab Ulyxe astutissimo, an ab Aiace fortissimo; et quia invenerunt prudentiam Ulyxis plus nocuisse troianis, adiudicaverunt sibi arma Achillis; ideo non placet mihi quod quidam dicunt quod Virgilius voluit (1) fictione sua ostendere Troiam non esse captam proditione Eneæ; nam Homerus per tot sæcula ante Virgilium fecerat mentionem de isto equo Minervæ. Alii tamen credentes istam rem fuisse (2) vere factam non fictam, dicunt quod iste equus introductus fuit in Troiam per unam portam, quæ dicebatur porta equi, sicut a simili dicitur porta leonis; sed nihil credo, imo græci inclusi in ventre Minervæ ceperunt Troiam voluptuosam. Ex dictis ergo potes faciliter perpendere si iste Sinon bene novit artem fallendi et mentiendi, et si autor bene novit artem fingendi, qui introducit Sinonem falsum ad contendendum cum uno falsatore. Nunc ad literam redeundo dico, quod magister Adam latinus obiicit Sinoni græco crimen falsi, quo damnatus est, et primo confite-

---

(1) E. voluerit. (2) S. fuisse veram non fictam.

tur suum crimen, dicens: *e l' idropico,* supple, dixit Sinoni: *tu di' ver di questo,* quia negare non possum quod non falsaverim pecuniam, et quod ex hoc combustus fui, *ma tu non fosti sì ver testimonio, ove fosti richiesto a Troia del vero.* Et subdit responsionem Sinonis ad obiecta, dicens: *Sinon disse: e tu falsasti il conio,* idest, monetam, *s' io dissi falso,* contra hostes meos; et sicut dicit Virgilius ibidem: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Et quod est peius in te, *e son qui per un fallo,* idest, pro uno crimine falsitatis, *e tu per più che nullo altro dimonio,* quasi dicat: commisisti plures falsitates, quam falsaveris (1) florenos; nec credas istum dicere verum, sed dicit quam peius potest contra adversarium. — *Ricordati.* Hic autor ostendit quomodo magister Adam respondens improperavit Sinoni singularem fraudem equi. Dicit ergo: *quel ch' avea infiata l' epa,* idest, magister Adam, qui habebat corpulentiam inflatam, *rispose, o spergiuro,* quia Sinon juraverat dicere veritatem, *ricordati del cavallo,* idest, id quod finxisti de equo; unde non exponas sicut quidam, quod Sinon fecerit istum equum, imo quidam ingeniosus artifex cuius nomen fuit Opeus, sicut scribit Homerus XI Odysseæ, et Virgilius ubi supra. Sinon ergo falso finxit quod græci fecerant equum pro Palladio. Unde dicit Tullius quod equus ideo troianos fefellit, quia speciem Minervæ mentitus est. Et dicit (2): *e siete reo che tutto il mondo sallo,* quia scilicet istud est proclamatum ubique per tubam Virgilii, qui operose describit formam facti, ut jam ostensum est. Et quia Adam improperaverat Sinoni antiquam infamiam, ideo Sinon improperat sibi præsentem pœnam. Unde dicit autor: *disse 'l greco,* scilicet Sinon, qui eloquentior latino semper reddit sibi peius, *a te sia rea,* idest, et tibi videatur

(1) 116, falsarius florenos. (2) 116 e E. subdit.

molestum, *la sete onde ti crepa la lingua,* quæ propter carentiam humoris efficitur aspera et scinditur in siliente, *e l' aqua marcia,* idest, humor corruptus, putridus collectus in ventre, *che sì t' assiepa il ventre,* idest, facit tibi sæpem de ventre, *inanci a gli occhi,* quia ita venter intumuit tibi ex hydropisi, quod oculi non possunt videre infra ventrem, sicut crura vel unum jacentem ad pedes tuos. — *Allora.* Hic ultimo autor ostendit quomodo magister Adam concluserit in ista lite, ostendens quod solitum maliloquium adhuc vigebat in eo, et quod ipse æque bene sitiebat ut ipse, unde dicit: *il monetiero,* scilicet, Adam, *allora,* supple, respondit: *la bocca tua così si squarcia,* idest, effrœnate aperitur et exercetur, *per tuo mal,* idest, malo tuo et damno tuo, *come suole,* scilicet, ab antiquo, quia fecisti tibi habitum in maliloquio, et nescires dicere bonum, quia tu habes in te illud quod obiicis alteri et peius, unde dicit: *che tu hai l' arsura,* idest, febrem ardentem, *el capo che ti duole;* nam unum sequitur ad aliud, *s' i' ò sete,* quod non nego, *et umor mi rinfarcia,* idest, et si humor putrefactus replet et inflat mihi ventrem; et ultra hoc non es sine siti quæ etiam sequitur ad febrem; unde dicit: *e non vorresti a invitar molte parole,* quasi dicat: et non faceres nimis te rogari et invitari, *per leccar lo specchio di Narcisso,* idest, causa bibendi ad unum purissimum fontem, qualis fuit ille quo Narcisus speculabatur se, quando captus amore suæ propriæ formæ conversus est in florem, sicut dicetur plene III capitulo Paradisi. — *Ad ascoltarli.* Nunc ultimo autor descripta tam artificialiter (¹) contentione tam jocosa, describit digne increpationem quam Virgilius fecit sibi, quia ascultaverat tam attente litem istorum; unde dicit: *io era del tutto fisso,* idest, omnino (²)

(¹) E. artificiali. (²) E. animo attentus.

attentus, *ad ascoltarli;* et hic nota, quod aliquando vir sapiens delectatur audire tales qui tam eloquenter inter se contendunt. Sunt enim aliqui qui in maledicendo sunt mirabiliter diserti; et si detur eis unum honestum thema nesciunt quid dicant: et vere delectabile est [1] audire duos falsarios, lenones, baratarios, tamquam meretrices inter se contendentes; *quand' el maestro disse: or pur mira,* idest, cum admiratione ausculta inepta verba istorum, *che per poco è che teco non mi risso,* idest, vix me contineo quod non altercor tecum. — *Quando.* Hic autor ostendit suam subitam correctionem, quia statim fuit incredibili rubore confusus, unde dicit: *volsimi verso lui con tal vergogna,* idest, tam ardenti, *ch' ancor per la memoria mi si gira,* quia scilicet adhuc non recessit a mente mea, *quando il senti' a me parlar con ira:* homo enim maxime erubescit de suo errore coram sapiente, qui habet bonam opinionem de eo. Et manifestat confusionem immensam per unam comparationem valde subtilem, et sententialiter vult dicere, quod nunc accidit sibi, sicut aliquando solet accidere somnianti, qui in somno videt aliquod magnum periculum vel damnum suum; et dicit in ipso somnio intra mentem suam angustiatam: o utinam istud esset somnium et non vera res; et ita habet quod cupit, quia vere somnium est; et tamen non credit habere, quia credit tantum quod realiter et vere sic sit ut videt; et ita in proposito dicit autor: ego optabam excusare me et excusabam, scilicet mediante verecundia magna, et tamen non credebam excusare me sufficienter. Nunc ad literam, dicit autor: *e tal mi fec' io non potendo parlare,* scilicet præ nimia verecundia, *quale,* supple fit, *quei che suo dannaggio sogna,* idest, qui suum damnum somniat, *che sognando desidera sognare, sì che*

---

[1] E. est interdum audire duos falsatores lenones.

agogna, idest, petit (1), *quel ch' èe come non fosse,* quia optat quod sit somnium, velut si non esset; et tamen de rei veritate sic est, et ecce quomodo: *che disiava scusarmi e scusava me tuttavia,* scilicet, sine locutione ostendendo verecundiam ardentem in facie, quæ excusabat me, *e nol mi credea fare,* cum tamen facerem ultra exigentiam delicti. — *Maggior.* Hic autor ostendit quomodo Virgilius absolverit eum a fallo suo, videns veram pœnitentiam eius, unde dicit; *il maestro disse: men vergogna lava maggior difetto che 'l tuo non èe stato,* quasi dicat: verecundia ista tua esset sufficiens ad abolendum maius delictum, quam istud fuerit; ideo dicit: *e però ti disgrava d' ogni tristizia,* quam conceperis ex hoc. Et sic vide, quomodo (2) vir sapiens faciliter emendatur ad parvam (3) increpationem sapientioris. Et ultimo Virgilius dat suum consilium utile et sanum autori, dicens: *e fa ragion ch' io ti sia sempre a lato,* quasi dicat: ratio refrœnet te (4), vel habe semper tecum ante oculos mentis aliquem sapientem virum, *se più avvien che fortuna t' accoglia,* ita quod vitare non possis, *ove sian genti in simigliante piato,* idest, in lite tam inhonesta; et ecce quare: *chè voler ciò udire è bassa voglia,* idest, quædam vilitas animi accommodare aurem tam ineptæ materiæ (5).

(1) E. sperat. (2) E. quod. (3) E. primam.
(4) S. te cum habes ante oculos. (5) E. merci.

CANTUS TRIGESIMUS PRIMUS, *ubi tractat de puteo inferni, et de gigantibus stantibus in eo sub titulo Nembroth, et Ephialte ligatorum catenis; et sicut locutus est Virgilius Antheo, qui deposuit eos in fundo inferni, ubi sunt omnes proditores.*

Una medesma lingua pria mi morse. Postquam in superioribus [1] autor noster tractavit et determinavit de secundo circulo generali civitatis infernalis distincto in decem bulgias, in quibus puniuntur decem species fraudis, quæ rumpit vinculum naturæ tantum; nunc subsequenter intendit tractare de tertio et ultimo circulo generali, in quo punitur illa pessima fraus, proditio, quæ rumpit vinculum naturæ et fidei; sed primo in præsenti capitulo XXXI, tractat [2] de descensu sive ingressu ad ipsum circulum, in quo fingit se reperire gigantes stantes in modum coronæ in circuitu putei. Quod quidem capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In quarum prima autor tractat de forma gigantum in generali. In secunda describit in speciali unum gigantem famosum antiquum secundum veritatem Scripturæ, ibi: *Et io scorgeva.* In tertia describit alium gigantem famosum antiquum secundum fictionem poeticam, ibi: *Facemmo dunque.* In quarta autor describit alium singularem gigantem famosum distinctum ab aliis, de quo fit mentio apud historicos et poetas gentiles, a quo fuerunt portati intra puteum ad lacum aquæ congelatum, ibi: *Noi procedemmo.* Ad primum veniens, dico, quod autor tractat de forma gigantum in generali; et

(1) 116, superioribus capitulis.
(2) S. tractat descensum sive ingressum.

primo continuat dicta dicendis, dicens: *una medesma lingua,* scilicet Virgilii, *pria mi morse,* idest, mordaciter me reprehendit, quia tam attente auscultabam contentionem duorum falsatorum, sicut patuit in fine præcedentis capituli, *sì che me tinse l' una e l' altra guancia,* idest, coloravit mihi totam faciem rubore verecundiæ; quando enim homo verecundatur, necessario tota facies simul rubescit, cum tamen aliquando alio casu rubefiat solum una gena, sicut ex percussione vel dormitione, et dicit: *e poi mi riporse la medicina,* scilicet cum dixit supra: *maggior difetto men vergogna lava,* ita quod unus et idem fuit percussor et medicus. — *Così.* Hic autor confirmat confusionem et consolationem quam sibi fecit Virgilius per unam comparationem nobilem. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod, secundum fictionem Ovidii et aliorum poetarum, lancea Achillis magna valde habuit hanc maximam mirabilem proprietatem, quod cum percusserat unum, ille non poterat a vulnere sanari nisi iterum repercuteretur eadem lancea. Accidit autem quod cum græci irent contra Troiam, Achilles missus fuit ad regnum (¹) Telephi pro victualibus procurandis. Erat enim Telephus rex Mexiæ (²) regionis quæ est fertilissima frugum, ut dicit Seneca in tragœdia quæ dicitur Troas. Telephus occurrens sibi vulneratus est ab eo graviter; et cum vulnus videretur insanabile, Telephus habuit in responsis quod reverteretur ad Achillem ut vulneraretur (³) dicta lancea; quo facto, recuperavit dubiam salutem. Sub ista pulcerrima fictione continetur allegoria pulcerrima. Unde nota quod lancea Achillis figuraliter est magna vis potentis (⁴) regentis; quæ potentia habet istam proprietatem, quod quando homo recipit offensam magnam ab eo, oportet quod vadat ad petendum sup-

(¹) E. ad regem.
(²) E. Misiæ.
(³) E. e 116, revulneraretur a dicta.
(⁴) E. potentia regnantis.

pliciter veniam et gratiam ac si esset offensor; ideo bene Telephus vulneratus ab Achille non poterat facere vindictam de eo, imo non poterat remanere salvus in regno suo; ideo coactus est redire ad Achillem, et supplicare illi ut restitueretur (1) in regnum: et istud secundum vulnus fuit durius primo, quia durissimum est rogare hominem (2) nedum inimicum a quo recepit iniuriam. Alii tamen sicut Plinius volunt, quod sub ista fictione physice figuretur natura ferri. Constat enim quod natura ferri est sicrifica (3) et stitica, quia in emplastris consolidatoriis plagarum ærugo imponitur; ideo dicunt quod Achilles, doctus a præceptore suo Chirone summo in arte medicinæ, per immissionem ferri vulnus sanasse refertur. Venatores etiam infigunt ferrum in cervum dum defertur (4) ad lunam, quia caro oblata conspectui lunæ cito resolvitur et putrescit; qui etiam metallis immorantur, etiam si lippi fuerint sanantur, quia halitus exhalans ex talibus focinis oculos expurgat. Nunc ad literam; dicit autor: *così od' io,* idest, ita audio a poetis, *che la lancia d'Achille e del suo padre,* scilicet Pelei, *solea esser cagione prima di trista mancia,* idest, strenna, *e poi di buona,* quasi dicat, quod primo erat causa mali muneris, scilicet vulneris, deinde boni, scilicet remedii. Et hic nota quod comparatio ista propriissima est; quoniam sicut lancea Achillis fortissimi regis græcorum primo vulneravit, postea sanavit Telephum regem græcum (5), ita lingua fortis et penetrans Virgilii eloquentissimi poetarum latinorum primo percussit, deinde reconciliavit Dantem poetam latinum. — *Noi.* Hic autor, facta pulcra continuatione, incipit tendere versus puteum; et primo præmittit recessum eorum ab ultima bulgia, di-

(1) S. restitueret.
(2) E. hominem amicum, nedum.
(3) 116, stretifica. — E. sicca et.
(4) S. confertur.
(5) S. græcorum.

cens: *Noi demmo il dosso al misero vallone,* idest, vertimus terga decimæ bulgiæ, in qua continentur tot miseriæ; et vult dicere: recessimus [1] a Malebolgie, *attraversando,* scilicet versus puteum proditorum, *su per la ripa che 'l cinge dintorno,* et dicit: *senza alcun sermone.* Per hoc innuit quod tacite et attente meditabantur circa sequentem materiam: et tangit tempus sui recessus et signum gentis giganteæ hic deputatæ ad custodiam; et dicit breviter quod erat prope noctem, unde dicit: *quivi era men che notte e men che giorno,* idest, erat crepusculum, quod idem est quod dubia lux, quia tenet medium inter diem et noctem; ex quo autor non poterat multum videre a longe, sed audire sic; ideo bene dicit: *sì che 'l viso,* scilicet intellectualis, *mandava innanzi poco; ma io senti' sonar un alto corno.* Istud erat cornu quod habebat Nembroth gigas ad collum, de quo statim dicetur. Et hic nota quod per istud cornu figuratur vox sive sonus terribilis superborum, qui faciunt se sentiri a longe. Ideo bene fingit se audivisse altum cornu, idest, vocem superbi alte tonantis; et tangit excessum soni, dicens, *tanto ch' avrebbe fatto fioco ogni gran son,* quia omnis sonus, quantumcumque magnus, fuisset remissus ad sonum istum; et vere nullum erat cornu in circuitu putei quod ita alte sonaret; quia iste fuit primus magnus gigas superbus qui præsumpsit contra Deum, ideo dicit: *che,* idest, qui sonus cornu prædicti, *drizzò gli occhi miei,* scilicet speculationis meæ, *tutti ad un loco,* unde procedere videbatur ille sonus; ideo dicit: *seguitando la sua via,* contra se. — *Dopo.* Hic autor explicat magnitudinem soni auditi per unam comparationem notam. Igitur, ut sciamus de cornu Rolandi, de quo autor voluit facere mentionem, est sciendum, quod

(1) S. nos recessimus.

post infelicem conflictum, quem Carolus magnus recepit in gente sua christianorum perfidia Gamelonis (1) nequissimi proditoris in Roncivalle, Rolandus qui evaserat ab illa strage pulsu sui cornu eburnei revocavit circa centum ex christianis, cum quibus ductu unius captivi (2) intrans nemora pervenit ad Marsilium regem, quem fugientem potenter occidit; in quo certamine centum socii sui interfecti sunt, ipse vero multis vulneribus afflictus evasit. Belligandus autem cognita nece fratris statim recessit. Carolus vero cum exercitibus jam transiverat cacumina montis, et ignorabat quæ facta erant post tergum eius. Rolandus ergo fatigatus tanto prœlio, dolens de nece christianorum et tantorum heroum, multis vulneribus affectus desiliit ab equo, et ibi facta magna exclamatione super durenda (3) spata sua, timens ne in manus saracenorum deveniret, percussit lapidem marmoreum, volens eam frangere, sed lapide diviso ensis remansit illæsus; deinde assumpto cornu, ut forte aliquis christianorum latentium per sylvam ad se venirent (4), vel aliqui ex his qui transiverant montes ad se redirent, et suo funeri adessent, et spatam suam et equum acciperent, et persequerentur saracenos, tanta virtute pulsavit cornu, quod vehementi flatu oris sui cornu per medium scissum est, et venæ et nervi gutturis crepuisse feruntur; cuius vox angelico ductu pervenit ad aures Caroli, qui cum exercitu suo fixerat tentoria in valle quæ dicitur Caroli, in loco qui distabat a Rolando per octo milliaria, et continuo Carolus voluit reverti, laturus sibi auxilium. Sed Gainelo (5) conscius (6) morte Rolandi dissuasit, asserens quod Rolandus pro re minima solitus erat tubicinare quotidie, et venandi studio aliquam

(1) E. Gamaleonis.
(2) 116, capitanei.
(3) E. durendana spata sua.
(4) E. e S. veniret, vel ut aliqui.
(5) E. Gamelo.
(6) S. conscius mortis.

feram persequens, per nemora cornicando discurrere. Tunc Balduinus superveniens, Rolando petente aquam, non potuit invenire; sed equum illius ascendit ne deveniret in manus saracenorum et secutus est exercitum Caroli. Rolandus vero (1) fideliter supplicans Deo, post multa verba devota reddidit animam Deo, palmam martyrii gloriose adepturus. De Rolandi virtutibus et laudibus dicetur Paradisi capitulo XVIII ubi et de Carolo magno multa dicentur. Nunc ad literam, dicit autor: *Orlando non sonò sì terribilmente,* scilicet cornu suum, *dopo la dolorosa rotta,* idest, post infelicem cladem, *quando Carlo magno perdeo la santa gesta,* tot electorum bellatorum per fraudem Gamelonis cum magno dolore et planctu christianorum, non, inquam, ita pulsavit (2) Rolandus, sicut modo Nembroth. Et sic nota quod comparatio est bona pro tanto, quia sicut Nembroth vir maximus pulsavit terribiliter cornu in planitie Senaar contra Deum, ita Rolandus vir fortissimus, si omnia credimus fabulis gallicorum (3), pulsavit terribiliter contra hostes Dei, scilicet, infideles in Roncivalle. — *Poco.* Nunc (4) autor ostendit quomodo descendit ad materiam istorum gigantum, et fingit quod visum est sibi videre multas altas turres, unde dicit: *poco portai volta la testa,* idest, oculos capitis, *in là,* idest, versus sonum cornu, quasi dicat: parum processi in visione ista, *che mi parve veder molte alte torri,* et merito, quia turris alta figurat superbiam; ideo fuit imaginatus quod esset una (5) civitas, unde dicit: *ond' io: maestro,* scilicet, o Virgili, *di', che terra èe questa,* * et ponit responsionem Virgilii ad suum quæsitum * (6), qui removet et detegit er-

(1) E. vero supplicans.
(2) E. ita pulsans Orlandus, sicut modo pulsat Nembroth. Et hic nota.
(3) 116, gallorum. (4) E. Hic autor. (5) S. una alta civitas.
(6) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 116.

rorem suum. Unde dicit: *et elli a me,* scilicet Virgilius respondit: *avvien che tu aborri,* idest, contingit, quod tu oberras, *nel imaginar poi però che trascorri per le tenebre troppo da la lungi.* Unde declarat ipsum, dicens: *tu vedrai quanto il senso s' inganna di lontano,* scilicet [1], propter distantiam medii et maxime in tenebra [2], quia sæpe capit hominem pro arbore, sicut visus autoris nunc accipiebat gigantem pro turre, *se tu ti congiungi là,* idest, si accedis prope locum; ideo dicit: *però pungi te stesso alquanto più,* quasi dicat: accelera aliquantulum tuum incessum, ut citius certificeris. — *Poi.* Hic autor ostendit qualiter Virgilius nolens amplius tenere animum eius suspensum, prædixerit [3] sibi qui erant isti. Unde dicit: et ille Virgilius, *poi caramente mi prese per mano,* scilicet, ad firmandum se dubium [4], vel contra timorem nasciturum ex terribili conspectu istorum, *e disse: sappi che non son torri ma giganti,* similes turribus, *pria che noi siam più avanti,* idest, antequam ulterius procedamus, *acciò che 'l fatto men ti paia strano,* quando [5] videbis eos in propria forma. Et hic nota quod isti gigantes sunt superbi regnantes, qui præsumunt contra Deum, et homines sibi sponte subiiciunt; ideo bene finguntur habuisse pedes anguineos, quia comedunt terram et terram quærunt, et tamen manus longas extendunt in [6] cœlum, sicut jam expositum est supra capitulo VIIII et capitulo XIIII; et quod gigas figuret altum superbum patet per ipsum autorem, qui in fine Purgatorii appellat regem Franciæ gigantem; et tangit residentiam istorum, dicens: *e son tutti quanti nel pozzo intorno da la ripa,* scilicet ad custodiam deputati, *da lo umbellico in giuso;* ita quod a medio supra apparent extra puteum, et a medio infra

---

(1) S. quia scilicet. (2) E. tenebris, quia sæpe capitur homo pro.
(3) S. prædixit qui erant. — E. prædixerat. (4) 116 e E. me dubium.
(5) E. scilicet quando. (6) 116, usque in cœlum.

non apparent, quia sunt positi intra puteum. — *Come.* Hic autor describit modum suæ visionis per unam comparationem satis communem et notam; et breviter vult dicere, quod cœpit paulatim cernere et comprehendere istos, sicut a simili accidit, quod quando nebula incipit resolvi, oculus incipit paulatim revidere quæ celabantur primo a nebula. Unde dicit: *error fuggimmi,* quia scilicet vidi istos esse vere (1) gigantes et non turres, *e paura crescemmi,* quia scilicet ubi habebam modicum timere de turribus nisi forte ratione insidiarum, multum timui de gigantibus terribilibus, *forando l'aria grossa e scura,* scilicet, cum visu, *appressando più e più in vêr la sponda,* idest, versus limen putei, ubi gigantes habebant stationes suas; et applicat comparationem, dicens: *così come lo sguardo,* idest, intuitus humanus, *rafigura,* idest, recognoscit per figuram veram, *ciò che il vapore,* idest, nubes, *che stipa,* idest, claudit, *cela,* idest, tegit vel abscondit, *quando la nebbia si dissipa,* idest, resolvitur et dispergitur a sole; et est conveniens comparatio: sicut enim nebula, quæ sæpe facit de die noctem, tollit nobis conspectum rerum, ita tenebra noctis tollebat autori visionem gigantum a longe: et sicut cessante nebula paulatim homo venit in cognitionem * rerum primo non visarum, ita autor appropinquans paulatim venit in cognitionem gigantum non prius cognitorum sibi; et specificat formam mansionis * (2) gigantum per aliam comparationem non minus convenientem: nam comparat puteum rotundum uni castello rotundo, et gigantes istos turribus coronantibus ipsum castellum pro custodia. Ideo ordina sic literam: *però che li orribili giganti, cui minaccia Jove del cielo ancora, quando tuona.* Hoc (3)

(1) S. veros gigantes.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(3) S. Hoc ideo fingit quia.

dicit quia gigantes fuerunt olim (1) fulminati, quia Deus frangit omne superbum et ad terram prosternit. Unde nota quod historice loquendo fulmen exterret multos altos potentes, sicut patuit in Augusto, quo nullus fuit potentior in orbe, qui, cum (2) audiebat tonitrua et videbat fulgura, subito includebat se in cameram (3) et abscondebat sub lectum. Ita Nero, ita Gaius Caligula et alii multi magni principes. Ideo bene Jupiter dicitur, minari gigantibus quando tonat, quia moraliter loquendo superbi quando audiunt vel memorant ruinam talium, bene debent terreri, sicut Nabucodonosor superbissimus (4), qui velut novum animal pascebat fœnum in caverna terræ; sicut Xerses rex persarum, qui vidit ruinam suorum et sui, et ita de multis. Dicit ergo: *torreggiavan,* idest, in modum turrium circumdabant, *la proda che 'l pozzo circonda,* idest, ripam rotundam, *di mezza la persona,* quia semper apparebant tantum ab umbilico sive cingulo supra; et applicat ad propositum, *così come Monte-region si corona di torri in su la cerchia tonda,* idest, in circuitu rotundo. Ad quod sciendum quod Mons-region est unum castellum non magnum in comitatu Senarum distans a civitate per sex milliaria, in via quæ ducit Florentiam, et est circumcinctum multis et crebris turribus circulariter. Comparatio ergo stat in hoc, quod sicut multæ turres sunt in circuitu Montis-regionis ad custodiam, ita multi gigantes, qui jam assimilati sunt altis turribus, sunt in circuitu putei ad custodiam et sub pedibus (5), idest, sub potestate eorum puniuntur proditores.

Et io scorgea. Ista est secunda pars generalis, in qua autor tractat de uno gigante famoso antiquo apud sa-

---

(1) E. olim a Deo fulminati. (2) E. cum tonitruorum videbat fulgura.
(3) E. in camera et abscondebat se sub.
(4) S. rex superbissimus. (5) E. pedibus eorum puniuntur.

cram Scripturam, et primo præmittit visionem eius in generali, dicens: *Et io scorgea già la faccia, le spalle e 'l petto, e gran parte del ventre,* quasi dicat: videbam quicquid erat ab umbilico supra, *d' alcun,* scilicet, Nembroth, qui pulsabat cornu, ut supra dictum est, *e ambo le braccia giù per le coste,* quia scilicet gigas habebat brachia ligata extensa pendentia deorsum. Et volens autor describere immensam magnitudinem gigantis præmittit commendationem naturæ quæ destitit (1) producere amplius talia monstra; unde dicit: *natura certo fee assai bene,* et loquitur diminutive, quasi dicat: imo fecit valde bene et provide, *quando lasciò l'arte di sì fatti animali,* scilicet, tam terribilium. Et hic nota, lector, si verum sit quod gigantes olim fuerint, et (2) qui nunc esse desierint, sicut autor dicere videtur. Ad quod respondeo breviter quod gigantes fuerunt loquendo historice, sicut patet per omnes historicos hebræorum, græcorum, romanorum, quales fuerunt Saul, Hercules, Antheus et alii multi; unde gigantes (3) regnaverunt olim in Sicilia, et similiter gigantes possederunt olim insulam Angliæ, sed videtur quod paulatim natura defecerit in corporum magnitudine, sicut etiam diminuta videtur in ætatibus: loquendo autem physice credo quod natura semper fecit, facit et faciet aliquos excedentes communem hominum mensuram in omni genere; imo videmus quod natura in una (4) generatione facit homines valde magnos quales sunt (5) frisones in Germania; in alia valde parvos, quales communiter sunt romani in Italia. Loquendo vero poetice et moraliter, dico, quod Deus qui est natura naturans permisit olim propter peccata hominum tales gigantes,

---

(1) E. desistit. (2) S. e E. quod nunc esse.
(3) E. gigantes possederunt olim insulam Angliæ.
(4) E. in uno genere fecit homines. — 116, in una regione facit.
(5) S. communiter sunt.

idest superbos potentes regnare, quales hodie non sunt. Ubi enim regnavit jam per multa sæcula alter Cyrus vel Nero, licet semper sint aliqui gigantes, non tamen tam magni. Et sic credo autorem fuisse locutum, qui ut plurimum loquitur moraliter; ideo statim reddit rationem, quare natura benefecerit, dicens: *per torre tali esecutori a Marte,* idest, autores bellorum et effusores sanguinis humani. — *E s' ella.* Hic autor removet obiectionem quæ poterat statim fieri contra dictum suum; poterat enim aliquis dicere: et quare natura non cessavit facere (1) alia animalia maiora gigantibus? Respondet autor, quod sapienter et juste hoc fecit, quia scilicet, ex aliis animalibus brutis non sequitur illud (2) nocumentum humano generi; unde dicit: *e chi guarda sottilmente la ne tiene più giusta e più discreta,* scilicet, ipsam naturam, *s' ella non si pentio d' elefanti e di balene.* Et hic nota quod autor loquitur valde subtiliter, quia, licet natura fecerit elephantem, animal instrumentum aptum natum ad bella, magnum, fortem, armatum dentibus et promuscide sustinentem in tergo turrim duodecim armatorum; homo tamen, qui viget ratione et intellectu, ipsum domat et docet faciliter obedire sibi, sicut patet in multis bellis romanorum apud Titum Livium et Julium Celsum. Unde unus romanus attractus ab elephante forti flatu intra promuscidem, forti animo cum gladio se liberavit. Alius vero romanus coactus ab Hannibale pugnavit cum elephante et vicit; quem Hannibal continuo mactari fecit, dicens, illum non dignum vita qui cum bestia tam terribili (3) pugnare præsumpserat, licet (4) hoc fecerit ex invidia romanæ virtutis; similiter licet cetus sit maximus omnium animalium quæ natura fecerit, tamen homo arte et ingenio ipsum capit et convertit in usus multos

(1) E. facere animalia. (2) E. aliud. (3) S. horribili.
(4) 116, licet potius hoc fecerit ex invidia romanæ virtutis.

humanorum commodorum. Et continuo assignat pulcram rationem sui dicti dicens: quod quando mala voluntas coniungitur magnæ potentiæ in homine, nullus potest obviare vel providere. Dicit ergo: *chè la gente,* idest, quia humanum genus, *nessun riparo vi può far,* idest, nullum remedium potest adhibere, *dove l' argumento de la mente,* idest, instrumentum rationis in homine, qui est armatus ratione: sævissima enim est iniustitia habens arma, ut dicit philosophus primo Politicorum, *s' aggiunge al mal volere,* idest, depravatæ voluntati, *et a la possa,* idest, magnæ potestati [1]. Et sic vide quod tria concurrunt ad omnem [2] effectum rerum humanarum, scilicet velle, scire et posse, ut vult [3] philosophus, licet Boetius dicat, quod duo tantum. — *La faccia.* Nunc autor describit ipsum [4] gigantem, et primo faciem eius per comparationem; et dicit breviter quod facies Nembroth erat eius magnitudinis, cuius est illa pinea artificialis quæ videtur in Sancto Petro. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod olim Romæ fuit templum vocatum Pantheon, quod dicitur fuisse palatium Alexandri imperatoris, et vocatum est postea sancta Maria Rotunda; in quo templo fuit pinea magna ærea deaurata, quæ nunc est ante templum beati Petri, et erat cooperta tabulis æreis [5], ita quod a longe, sole desuper feriente, videbatur quasi mons aureus cuius pulcritudo adhuc pro parte apparet. Ad propositum ergo dicit autor: *la faccia sua,* scilicet, illius Nembroth magni gigantis, *mi parea lunga e grossa,* in quantitate simili, *come la pina di San Pietro a Roma.* Et sic nota quod facit comparationem de pinea ad faciem quantum ad magnitudinem, non quantum ad alia; quia pinea est pulcra, splendida, et delectat aspectum; facies vero gigantis turpis, obscura [6], terret visum aspi-

---

(1) E. potentiæ. (2) E. communem. (3) S. e E. dicit.
(4) E. quemdam. (5) 116, æreis deauratis, ita. (6) 116, atra.

cientis. Et dicit autor: et ut breviter describam tibi residuum corporis, *e l' altre ossa,* idest, et cætera membra, *eran a sua proporzione,* idest, proportionabiliter correspondebant faciei. Et specificat magnitudinem partis apparentis extra puteum; et dicit uno verbo, quod illa medietas apparens ab umbilico supra erat maior, quam essent tres magni homines positi unus super alium; *sì che la ripa ch' era perizoma,* idest, tamquam braca (1) tegens inferiora, quia a medio infra stabat intra puteum absconditus: unde scribitur in principio Genesis quod primi parentes fecerunt sibi perizomata ad tegenda (2) pudenda, *ne mostrava ben tanto di sopra,* scilicet extra puteum, *che tre frisoni s' avrian dato mal vanto di giungere a la coma,* idest, ad crines capitis, quasi dicat, quod non potuissent gloriari quod pertingerent a medio usque ad caput, quantumcumque sint magni. Quamvis enim alemanni naturaliter et communiter sint magni, tamen illi de regione Frisiæ sunt maximi; et declarat dictum suum, dicens: *però ch' io ne vedea trenta gran palmi dal loco in giù ove uomo affibbia il manto,* quasi dicat: a summo pectore ubi homo affibulat mantellum usque ad umbilicum. — *Raphel.* Hic autor describit loquelam gigantis, ut ostendat quomodo iste superbia sua fuit autor confusionis linguarum; unde dicit: *la fera bocca,* scilicet istius feroci Nembroth, *cui non se convenia più dolci salmi cominciò a gridar,* et dicere ista verba, *Raphel maì amech zabì almi.* Ad cuius intelligentiam est hic notandum, quod ista verba non sunt significativa, et posito quod in se aliquid significarent (3), sicut aliqui interpretari conantur, adhuc nihil significarent hic, nisi quod ponuntur ad significandum quod idioma istius non erat intelligibile alicui, quia propter eius superbiam facta est

(1) E. brachia regens inferiora. (2) E. ad tegendum.
(3) S. significarent, hic non ponuntur nisi ad significandum.

divisio labiorum. Et hæc est intentio autoris quam expresse ponit in litera. Et ponit exclamationem exprobrativam Virgilii contra gigantem, dicens: *el duca mio ver lui,* supple dixit: *o anima sciocca,* qui rem tam arduam tam temere incœpisti [1], *tienti col corno,* cum quo pulsas, *e con quel ti disfoga,* idest, redimas furorem tuum quo accenderis, *quando ira,* quæ est accensio sanguinis [2], *o altra passion,* sicut indignatio, furor, *ti tocca,* quasi dicat in effectu, tona tantum voce, superbe, quia ligatus es. Et improperat sibi pœnam specialem sui et cæterorum gigantum, scilicet vincula. Ad cuius intelligentiam est notandum quod autor dat gigantibus verissimam pœnam; fingit enim quod sunt ligati. Hoc autem figurat quod isti superbi potentes, qui videntur liberiores aliis et habere ampliorem potestatem super alios, sunt servi impotentes, quia ligati sunt catenis vitiorum. Unde Diogenes cynicus appellabat Alexandrum magnum, quamvis potentissimum, servum servorum [3], quoniam Alexander erat subditus vitiorum, quæ ipse Diogenes subiecerat [4] sibi virtute sua; unde tales non differunt a captivis nisi quod ligantur catenis aureis, illi vero ferreis. Dicit ergo Virgilius: *cercati al collo e troverai la soga,* idest, cordam, vel funem, *che 'l tien ligato.* Nonne Alexander qui vincebat tot millia hominum uno prœlio, vincebatur uno scypho vini et parva ira? *o anima confusa,* quia sicut fuit causa confusionis linguarum, ita in se merito confusus est, et dicit: *e vedi lui,* scilicet ipsum cornu, *che 'l gran petto ti doga,* idest, signat, quia tenebat cornu per transversum pectoris. — *Poi.* Hic autor ostendit quomodo Virgilius manifestaverit sibi nominatim dictum gigantem. Ad cuius cognitionem debes scire, quod iste primus gigas Nembroth fuit vir robustus venationi deditus, qui

(1) 116, recepisti. — E. cœpisti.
(2) E. sanguinis circa cor, *o altra.*
(3) S. e E. servorum suorum.
(4) 116, subiiciebat.

primus cœpit esse potens inter homines, cui Babylon fuit principium regni; unde initium bellorum et origo tyrannidis fluxit ([1]) in terris; sub quo et a quo illa famosa turris babylonica incœpta est ad cœlum itura, nisi humanæ ([2]) superbiæ divina potentia restitisset: de qua et eius autore tam breviter pertranseo hic, quia de hoc dicam plenius Purgatorii capitulo XII, ubi autor dicit: *vedea Nembroth a piè del gran lavoro.* Dicit ergo autor: *poi disse a me:* scilicet, ille Virgilius: *egli stesso s' accusa,* quia scilicet ex loquela sua dat intelligi quis sit; et specificat eum a nomine et ab eius alta superbia, dicens: *questi èe Nembroth,* et est nomen conveniens, *per lo cui mal coto,* idest, propter cuius malum cogitamen, *pur un linguaggio nel mondo non s' usa,* quia a principio omnes homines eodem ([3]) ore loquebantur, et una lingua erat in omnibus; sed in opere inconsumabili ([4]) Nembroth fuit divisa in multas et diversas. Et concludit Virgilius in hac parte, dicens: *Lasciamlo stare,* quia licet dicam sibi verba exprobratoria nihil portat, quia ita ipse nullum intelligit, sicut nullus intelligit eum. Dicit ergo: *e non parliamo a voto,* idest frustra, quia non plus curat de verbis contumeliosis quam blandis, ex quo nihil intelligit, unde dicit: *chè ciascun linguaggio è così a lui,* idest, tam male intelligibile, *come 'l suo,* scilicet linguagium, *ad altrui ch' a nullo è noto,* idest, cognitum vel clarum ([5]).

Facemmo dunque. Ista est tertia pars generalis in qua autor tractat de alio gigante antiquo famoso apud poetas; et primo præmittit recessum a Nembroth, et accessum ad alium, dicens: nos, *volti a sinistra,* ad quam semper itur in inferno, ut toties dictum est, *dunque facemmo più lungo viaggio,* quia ulterius processimus ad tractan-

---

([1]) S. perluxit in terras.
([2]) E. huic superbiæ.
([3]) S. uno ore. — E. eodem more.
([4]) E. consumabili.
([5]) S. notum.

dum de gigantibus gentilium sive paganorum. Unde dicit: *et al trar d' un balestro,* idest, et post jactum teli, ita quod discernebant ipsum satis a longe propter eius magnitudinem, *trovammo l' altro,* scilicet Ephialtem, *assai più fero e maggio,* idest, ferociorem et maiorem, quam ipse Nembroth quem dimiseramus. Nembroth enim timens diluvium tentavit facere turrem altam ad cœlum; sed Ephialtes cum suis (1) sequacibus præsumpsit invadere cœlum accumulans montem supra montem, sicut clare scribit (2) Ovidius circa principium maioris, licet habuerit hoc ab aliis poetis græcis. Unde volo te scire quod Homerus XI Odysseæ fingit quod Ulyxes quando ivit ad infernum vidit inter alios notabiles unum par magnorum fratrum, scilicet unum nomine Othon æqualem diis, et alium Ephialtem gloriosum, quos jam magnos terra nutrivit, donans eis vitam. Hi in longitudine facti sunt novem cannarum, qui minati fuerunt diis immortalibus; nam disposuerunt ponere Ossam montem super Olympum, et perfecissent, si ad ætatis mensuram pervenissent: sed ambos antequam induerent lanuginem destruxit Jovis filius Apollo: et sic nota quod Homerus vocat unum istorum æqualem diis, quia talis reputatur a multis, et a se ipso similis diis; alterum vero vocat gloriosum, quia superba (3) est gloria talium maiorum, et terra nutrivit eos, quia non pascuntur nisi terrenis; et accumulantes montem supra montem, idest altam potentiam super aliam, minantur contra cœlum, sicut legitur de multis regibus assyriorum in sacra Scriptura. Imo Julius Cæsar (4) dixit in Africa hostibus, quod romani habebant legiones cum quibus possent frangere cœlum. Ideo bene Augustinus primo de Civitate Dei circa principium indignanter dicit, loquens de superbia romanorum,

(1) E. suis complicibus et sequacibus tentavit.
(2) 116, describit. (3) E. superbia. (4) E. Celsus.

quod illud quod est veri Dei, superbæ animæ spiritus inflatus affectat et amat sibi dici in laudibus illud Virgilii: *parcere subjectis et debellare superbos.* Dicit etiam Homerus quod Apollo destruxit eos antequam venirent [1] ad perfectam ætatem, ad innuendum, quod quando videntur esse in flore, Deus per suam sapientiam fulminat eos; et sic vide quod autor loquitur hic de gigantibus poetice et moraliter, sicut Boetius dicit: accepisti, inquit in fabulis, lacessentes cœlum gigantes, sed eos uti condignum benigna fortitudo disposuit [2]. — *A cinger.* Hic autor describit [3] formam pœnæ istius Ephialtis; et dicit quod habebat unum brachium ligatum ante, alterum [4] post, et volens ostendere qualiter summa potentia, quæ resistit superbis, ligavit [5] istum, dicit: *io non so dir qual che fosse il maestro a cinger lui,* quasi dicat: quicumque fuerit certe magnus magister fuit, et hoc non est aliud dicere nisi fuit [6] Deus incognoscibilis, incomprehensibilis artifex, *ma ei,* scilicet Ephialtes, *tenea il braccio destro soccinto,* idest, ligatum, *dietro,* idest, a tergo, *e l' altro,* scilicet sinistrum, *dinanzi,* ne scilicet si ambæ manus essent simul junctæ vel ante vel retro posset aliquo modo se solvere vel liberare, *d' una catena che 'l tenea avvinto,* idest, ligatum, *dal collo in giù;* et sic vide quod dedit cordam Nembroth, huic vero dat catenam; quia jam dixerat ipsum maiorem et ferociorem, ideo opus erat maiori et fortiori vinculo ad coercendum maiorem furorem; ideo erat valde astrictus, *sì che lo scoperto,* idest pars corporis apparens discoperta ab umbilico supra, *se ravolgea in sul giron quinto,* idest, habebat quinque revolutiones et girationes; vult dicere quod catena magna cingebat ipsum quinquies in parte corporis detecta quæ videbatur extra

---

(1) E. pervenirent.
(2) S. deposuit.
(3) E. describit pœnam et formam.
(4) E. alterum vero post.
(5) E. ligaverit.
(6) E. nisi quod fuit.

puteum. Et ostendit autor quomodo Virgilius manifestaverit sibi istum gigantem a vitio et nomine, dicens: *disse 'l mio duca,* scilicet Virgilius dixit mihi, *questi,* scilicet Ephialtes, *superbo;* in hoc declarat quid intelligat per gigantes, *volle esser esperto,* idest, voluit habere experientiam, *di sua potenza,* quæ erat parva vel nulla, *contra il sommo Giove,* qui (1) erat summus deus apud paganos, unde potissime colebatur (2) in superba arce Capitolii Romæ, et vocabatur Jovis (3) optimus maximus, sicut patet infinities apud Titum Livium. Ideo dicit: *ond' elli ha cotal merto,* quia scilicet est taliter ligatus et omnino impotens, et dicit: *Fialte ha nome, e fece le gran prove,* quia effudit omnes vires suas, *quando i giganti fer paura ai dei,* scilicet in bello quod moverunt contra deos. Et hic nota quod hoc potest intelligi fabulariter, quia secundum fictionem Ovidii unus deus latuit sub figura unius feræ, alter sub figura alterius. Secundo (4), historialiter; nam Titanus frater Saturni cum suis fecit pugnam cum Jove, quando Jupiter expulerat patrem suum Saturnum de regno Cretæ, in qua pugna Jupiter cum suis extimuit licet tandem fuerit victor. Tertio (5), allegorice, ut litera exponatur sic: *fer paura ai dei,* idest, facere voluerunt quantum in ipsis fuit, et ideo: *le braccia ch' ei menò, già mai non move.* — *Et io a lui.* Nunc autor facta mentione unius gigantis principaliter, facit mentionem alterius incidentaliter. Ideo fingit quod petat a Virgilio posse devenire in cognitionem alterius (6) gigantis ferocioris, et formidabilioris, dicens: *et io a lui,* supple, dixi illi Virgilio: *io vorrei che gli occhi miei,* scilicet speculatorii (7), *avesser esperienzia de lo smisurato*

---

(1) E. qui reputabatur.
(2) E. celebrabatur insuper arce.
(3) S. Juppiter.
(4) E. Secundo, intelligi potest historialiter.
(5) E. Tertio, intelligi potest allegorice.
(6) 116, aliorum gigantum ferociorum et formidabiliorum.
(7) 116, speculativi.

Briareo. Et hic nota quod istud nomen est conveniens isti giganti: dicitur enim Briareus quasi briæ [1] reus, quia extra mensuram excessivus fuit, ideo autor vocat eum immensum; nam de isto dicitur quod omni die crescebat tot palmis, scilicet per vim et superbiam. De isto Briareo autor facit specialem mentionem Purgatorii capitulo XII, ubi dicit: *vedea Briareo fitto dal telo.* Ideo tam breviter hic pertranseo. Et subdit responsionem Virgilii ad petitionem suam, dicens: *ond' ei,* scilicet Virgilius, *rispose: Tu vedrai Anteo,* quasi dicat: non est nunc tempus videndi Briareum, de quo dicetur alibi, sed est tempus videndi Antheum, sine quo non possumus facere iter nostrum, quia habet officium transportandi; ideo dicit: *presso di qui,* quasi dicat: cito videbimus eum; et dicit: *che parla et èe disciolto,* quasi dicat: quod non loquitur confuse, sicut Nembroth, nec est ligatus, sicut prædicti, ita quod intelliget nos et portabit nos quando requiremus eum; unde dicit: *che ne porrà nel fondo d' ogni reo,* idest, in centro inferni, ubi puniuntur pessimi peccatores, scilicet proditores. Et hic nota ad intelligentiam huius fictionis, quod sicut autor supra capitulo XII finxit se reperisse inter centauros unum [2] minus malum, scilicet Chironem; ita nunc hic fingit se invenire inter gigantes unum minus malum, scilicet Antheum, ideo ponit eum solutum, quia [3] non præsumpsit immediate contra deos, sed contra homines, licet nomen contrarium sonet. Videtur enim dici Antheus ab *Anti,* quod est contra et *theos,* Deus. Iste enim Antheus historice fuit magnus vel formidatus gigas in partibus Africæ, qui prætereuntes cogebat inire luctam secum, quibus sua fortitudine superatis, capita amputata appendebat portis domus suæ. De hoc fingunt poetæ, quod An-

---

(1) E. bibriæ. (2) E. unum de ipsis. (3) E. quia ipse non.

theus fessus in pugna ex contactu terræ statim resumebat vires; sed magnus Hercules cum venisset ad certamen secum, de hoc perpendens, levavit ipsum in aerem et suffocavit inter brachia sua; per quod datur intelligi, quod Antheus erat invincibilis in terra sua, sicut Hannibal Africanus: et ipse magnus gigas dicebat [1] per contrarium de romanis, quod [2] romani non poterant vici nisi in terra sua, scilicet intra Italiam; sed in aliena terra et alienis armis nullo modo. Moraliter autem loquendo secundum Fulgentium, Antheus ponitur in figura libidinis, quæ contrahit vires a terra, idest, a carne et a fructibus terræ. Ideo bene Antheus dicitur regnasse in Lybia, quæ est terra calida, sed Hercules contrarius Antheo, idest vir fortis et sapiens, abstrahit carnalem concupiscentiam a terra et levat sursum cum virtute sua, et sic extinguit et mortificat eam; de quo dicit Seneca in tragœdiis: *Stravit Antheum lybicis arenis;* et Boetius sequens eum. Ideo bene dictus est Hercules quasi heroum cleos, idest virorum fortium gloria. Deinde Virgilius cum dixisset autori de Antheo laturo eos in puteum, respondet sibi de Briareo [3], de quo ipse principaliter petierat, dicens: *quel che tu vuoi vedere,* scilicet, Briareus, quem optas videre, *èe molto più là,* nec est tempus eundi [4] modo ad eum; ideo dicit sibi breviter, *et èe ligato,* scilicet quinquies cum catena, *e fatto come questo,* idest, tam terribilis et socius sibi in pœna, sicut fuit in culpa; et excipit, *salvo che più feroce par nel volto,* quia fuit audacior in pugna quam dictus Ephialtes. — *Non fu.* Hic autor ostendit quomodo se habuerit ille Ephialtes post verba Virgilii. Et breviter dicit quod iste gigas, auditis his quæ Virgilius dixerat [5] contra eum, motus est in iracundia sua

---

(1) 116, dicebat contrarium.
(2) E. quod scilicet romani.
(3) E. Briareo, quia de ipso principaliter petierat.
(4) E. respondendi.
(5) E. discusserat.

plusquam turris quæ concutitur terræmotu. Dicit ergo: *non fu tremuoto già tanto rubesto,* idest, robustus et fortis, *che scotesse,* idest, concuteret, *una torre così forte, come Fialte a scotersi fu presto.* Et vide quantum comparatio est propria de gigante ad turrem. Sicut enim turris magna, alta et fortis non movetur ventis et tempestatibus, nec aliis viribus humanis, et tamen percutitur a fulmine et læditur, et (1) terræmotu evertitur et prosternitur ad terram cum magno fragore, ita iste gigas olim fulminatus, nunc commotus forti irrisione Virgilii, voluit irruere super eum. Et ideo autor continuo subdit effectum huius motus dicens: *alor temetti io più che mai la morte,* quasi dicat: cum sæpe timuerim mortem vivus in inferno, hic summe extimui et merito, quia jam pervenerat juxta summam omnium terribilium, et tamen plus timebit (2) ipsum Luciferum. Unde dicit: *e non v'era mistier più che la dotta,* idest, non expediebat aliud ad mortem meam, nisi simplex motio gigantis (3), quasi dicat: non oportebat (4) quod gigas percuteret me aliter, quia mortuus eram subito (5) ex sola quassatione eius; vel dicas, *la dotta,* idest timor; nam dotare est timere, quasi dicat: solus timor erat sufficiens ad exanimandum me, *s' io non avessi viste le ritorte,* idest, si ego non vidissem torques et vincula, quibus erat ligatus. Et hic nota quod periculosissimum est incurrere iram et furorem talis gigantis viro sapienti et virtuoso, qui multos destrueret nisi divina providentia ligasset, sicut Alexander Calisthenem, Nero Senecam, Antoninus (6) Caracallus Papinianum et ita de multis.

Noi procedemmo. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua autor agit et tractat de alio gigante an-

(1) E. et etiam a terræmotu.
(2) E. timebat.
(3) 116, gigantum.
(4) E. oportuit.
(5) 116, subita quassatione eius.
(6) E. e 116, Antonius.

tiquo famoso, quem jam nominaverat in parte præcedenti, et prædixerat ipsum videndum autori. Primo ergo ostendit quomodo accesserint (1) ad Antheum, quem specificat a magnitudine sua, dicens: *Noi procedemmo più avanti allotta,* idest, processimus ulterius tunc in via speculationis ad pulcerrimam materiam, ut statim videbis; unde dicit: *e venimmo ad Anteo, che uscia fuor de la grotta,* idest, apparebat extra puteum in quo tamquam in grotta stant inclusi proditores, *ben cinque alle;* alla est genus mensuræ (2) panni in Flandria, sicut canna Florentiæ. *senza la testa.* Vult dicere, quod a pectore usque ad umbilicum erat tantæ magnitudinis. Et hic nota quod licet plures dixerint nullum posse excedere magnitudinem (3) septem pedum, quia Hercules fuit intra istam mensuram, tamen inventum est, florente romano imperio, sub (4) divo Augusto duos habuisse duodecim pedes longitudinis; sicut etiam dicitur de Christophoro, quod fuerit duodecim pedum vel cannarum. Augustinus etiam scribit in suo de Civitate Dei se vidisse in ista terra ubi regnavit Antheus dentem (5) unius gigantis, de quo facti fuissent centum dentes minuti de nostris. Quid dicam de Goliath, de Feracuto et aliis? — *O tu.* Hic autor ponit pulcram orationem Virgilii ad Antheum, in qua intendit persuadere sibi, quod portet eos intra puteum; et primo captat benevolentiam a victoriis eius in terra, in qua Scipio obtinuit victorias magnas. Ad cuius plenam intelligentiam volo te scire quod P. Cornelius Scipio, qui cognominatus est Africanus maior, fuit maximus ducum (6) romanorum in virtute et felicitate. De cuius mirificis laudibus dicetur plene VI capitulo Paradisi, de quibus breviter dicam illud quod spectat ad præsens proposi-

(1) E. e 116, accesserunt.
(2) E. mensuræ in Flandria.
(3) 116, longitudinem.
(4) 116, sub dominio Augusti.
(5) E. unum dentem unius.
(6) E. dux.

tum. Hic igitur juvenis viginti quatuor annorum, tempore secundi belli punici, cum Hannibal dux victoriosissimus carthaginensis, jam fere per octo annos afflixisset bellis semper Italiam impetravit in Senatu ire cum exercitu in Hispaniam, in qua duo Scipiones pater et patruus duces clarissimi post multas claras victorias fuerant (1) ambo occisi, perditis exercitibus infra spatium triginta (2) dierum; quam provinciam Scipio mirabili virtute totam recuperavit spatio quinque annorum de manibus carthaginensium; quatuor exercitibus cum eorum ducibus inde pulsis, Hispania liberata, et sub jugum romanum reducta (3), Scipio reversus Romam de consensu Senatus per Siciliam transivit in Africam, et descendens in terra (4), primo posuit castra in collibus, qui (5) primo dicebantur regna Anthei, sed postea clarius nomen (6) novum receperunt, quia vocata sunt Castra Cornelia. Scipionis adventu tota Africa (7) turbata est, sed præcipue Carthago fuit tota sub armis et custodiis, quia jam per quinquaginta annos non viderant arma romana, nisi tumultuarie. Nunc autem videbant Scipionem ducem tremendum ante oculos, nec habebant alium ducem, quem opponerent sibi, nisi Asdrubalem Gisgonis filium, quem ipse Scipio jam fugaverat de Hispania. Cum autem Scipio cœpisset (8) prosperari in Africa, supervenit Massinissa cum paucis (9), juvenis magnanimus et magnificus valde; qui spoliatus regno Numidiæ a Syphace rege potentissimo, semper fuit postea fidelissimus romanorum, et præsertim amicissimus Corneliæ gentis et Scipionis, qui illum restituit in regnum suum et maxime exaltavit: ideo multum læte Massinissa receptus est a Scipione cum

---

(1) 116, fuerunt ambo.
(2) 116, trium dierum.
(3) S. missa et reducta.
(4) E. e 116, terram.
(5) 116, qui prius.
(6) 116, nomen ceperunt.
(7) E. Africa timore turbata est, et præcipue.
(8) S. incœpisset. — E. jam cœpisset.
(9) E. paucis juvenibus.

magna spe. Sed sola spes carthaginensium erat pro tunc in Asdrubale suo et Syphace rege prædicto, qui erat factus gener ipsius Asdrubalis; nam nuper acceperat in uxorem Sophonisbam filiam eius pulcerrimam mulierum; et ipsi ambo juvenes fecerant fœdus inter se ad Carthaginis defensionem. Deinde cum Scipio intenderet totis viribus ad oppugnationem (1) Uticæ civitatis quam obsederat, venit Asdrubal cum tribus millibus equitum, * et triginta millibus peditum; et post eum venit rex Syphax cum decem millibus equitum et quinquaginta millibus peditum * (2), qui coniunctis exercitibus venerunt versus Uticam et posuerunt castra sua in locis non longinquis ab invicem, ut Scipio intermitteret obsidionem fortis civitatis. Scipio exacta hyeme præmisit Massinissam et Lælium legatum suum optimum amicum et socium, qui de mandato Scipionis tempore nocturno immiserunt (3) ignem in castra regis, quæ erant storea et arundinea. Milites putantes incendium fore fortuitum inermes et semisopiti accurrebant; et omnibus attonitis et turbatis, romani fecerunt magnam cædem de eis. Carthaginenses autem similiter credentes incendium non esse iniectum sed exortum, currebant ad extinguendum, et incurrebant (4) in manus hostium, et dispersi sunt more pecudum incidentium in greges luporum. Scipio autem accedens ad castra carthaginensium incendit illa, et sic breviter ferro et igne castra duorum exercituum una nocte consumpta sunt. Rex et Asdrubal cum parva parte laceræ multitudinis aufugerunt: quadraginta millia hostium perierunt; quinque millia et plus capta sunt cum sex elephantibus. Asdrubal reversus Carthaginem novum exercitum reparavit, et rex iterum cum sua gente re-

(1) S. e E. expugnationem.
(2) Le parole fra i due asterischi sono state aggiunte dai Codici Estense e 116.
(3) E. miserunt. (4) S. currebant.

divit ad Asdrubalem, et iterum concurrerunt cum romanis. In eo prœlio Scipio fuit victor. Syphax rex refugit in suum regnum Numidiæ, quem Massinissa et Lælius de mandato Scipionis persecuti fuerunt (1) per iter quindecim dierum. Interea Scipio multas terras Pœnorum partim vi, partim timore cepit, et venit cum legionibus prope Carthaginem per quindecim miliaria. Syphax motus lacrymis Sophonisbæ uxoris suæ, et precibus Asdrubalis reparabat (2) bellum. Et breviter commisso prœlio cum Massinissa et Lælio, videns tandem suos fugere (3) opponebat se fortiter hostibus; sed vulnerato equo cecidit, et captus ductus fuit ad Lælium. Rege capto cædes fuit brevis: quinque millia hostium occisa (4), multi fugerunt Citham (5) civitatem, quæ erat caput regni numidici. Tunc Massinissa factus animosior pro rege capto et regno recuperato, impetravit a Lælio ut posset cum equitatu et rege captivo præcurrere celeriter ad urbem Citham. Quo facto, Citha tradita fuit sibi apertis portis a civibus; Massinissa relictis custodibus ad portas properanter pervenit (6) ad regiam, cui in limine Sophonisba occurrit orans flebiliter et suppliciter ut liberaret eam a manibus romanorum, et de ea faceret quicquid placeret (7) sibi, sicut de captiva. Erat autem Sophonisba sanguine clara, ætate florens, forma corporis excellens; ideo non tantum (8) preces moverunt Massinissam, quantum facies eius. Massinissa autem ardens vitio ætatis, patriæ et naturæ, urgente amore, dedit sibi fidem, et eodem die antequam veniret Scipio vel Lælius, qui propinquior (9) erat, desponsavit eam, vivente viro Syphace,

(1) E. sunt per iter. (2) S. reparavit. (3) S. aufugere.
(4) S. occisa sunt. (5) E. Cirtam. (6) S. venit ad regiam.
(7) 116, appeteret.
(8) E. tantum precibus Massinissa motus est, quantum facie illius. Massinissa autem.
(9) E. qui propinqui erant.

qui ductus est ad Scipionem. Lælius deinde superveniens, audita re enormi, voluit eripere [1] Sophonisbam Massinissæ; sed rogatus ab eo reservavit judicium Scipioni. Scipio Massinissam ad se vocatum in secreto increpuit [2] alto animo, nunc mordaciter, nunc suaviter, ostendens qualiter voluptates interiores erant atrociores omnibus hostibus exterioribus. Massinissa amaricatus pudore et dolore breviter misit per fidum nuntium venenum Sophonisbæ, ut sic per mortem liberaret eam a captivitate romanorum, sicut promiserat, quod illa intrepide hausit, et sic ferocem spiritum emisit. Syphax autem vir eius ductus Romam a Lælio positus est in carcere apud Albam [3]. Carthaginenses autem videntes Africam ardere sub Scipione, sicut Italia arserat sub Hannibale, deficiente omni spe, decreverunt revocare Hannibalem ex Italia, ut succurreret patriæ in angustiis positæ. Hannibal rumore rerum gestarum in Africa, stupefactus miraculo fortunæ mutatæ, stabat in extremo angulo Italiæ orientalis. Mago vero frater eius in extremo angulo Italiæ occidentalis, scilicet in Liguria; et in agro insubrium [4] pugnans cum romanis lethaliter vulneratus recurrit ad mare, et rediens in Africam circa Sardiniam expiravit. Hannibal vero, ad mandata reditus sui ingemiscens ac rugiens, exercitum suum reduxit ad naves; et anno sexto decimo postquam intraverat Italiam recessit, rediens tristior in patriam, quam unquam aliquis iverit in exilium, sæpe reflectens oculos ad Italiam, et suspirans ipsam excidisse de faucibus eius, et se ipsum culpans quod non crediderat consilio Maherbalis; et dolens, quod ipse dux induratus in bello inter tot victorias suas non habuerat eum animum ad invadendam Romam, quem Scipio juvenis habuerat ad invadendam Carthaginem, inter tot clades

(1) E. arripere.
(2) 116, increpavit.
(3) E. Albonem.
(4) E. insuburbium.

suorum pervenit [1] in Africam. Tunc Carthago et Roma multiplicibus anxiabantur curis, imo et fere totus orbis respiciebat ad finem istius belli, quia duæ potentissimæ civitates de imperio orbis certabant. Et cum jam isti duo excellentissimi duces appropinquassent castra, Hannibal sive suo motu, sive de mandato patriæ petivit a Scipione venire ad colloquium secum: quo obtento, venerunt ambo in campum planum, uterque cum interprete suo et exercitibus suis armatis, expectantibus [2] hinc inde; qui videntes alter alterum attoniti mutua admiratione aliquandiu tacuerunt. Tunc Hannibal, rupto silentio, primus cœpit loqui, et orationem fecit gravem et sententiosam nimis, et in summa conatus est persuadere pacem Scipioni, ostendens illi mutationem fortunæ exemplo sui et aliorum ducum, et quantum pax esset ei tuta et gloriosa, quæ tollebat [3] omnia discrimina belli: et commendans illius gesta rogabat ut imponeret modum suæ felicitati, antequam fortuna faciem mutaret, et in florentissimo statu rerum suarum deponeret arma victricia. Scipio, auditis verbis Hannibalis, qui videbatur sane consulere, dedit responsum asperius, quia credebat Hannibalem loqui non amore pacis quam semper oderat, sed timore belli, dicens quod jam erat certus quod adventus Hannibalis turbaret spem pacis, quia ipse de conditionibus pacis multa detrahebat, nec offerebat romanis nisi illud quod jam auferre non poterat, excusans romanos et accusans pœnos, quod in hoc secundo bello punico et priore, causæ malorum ab illis ortæ erant [4], asserens se bene scire quod erat homo mortalis, et quod omnia quæ agebat erant exposita mille casibus fortunæ; sed sperabat, quod dii favere deberent facientibus bella justa. Et conclusit quod sicut fuisset superbum negare

(1) 116, supervenit.
(2) E. spectantibus.
(3) E. solvebat.
(4) 116, fuerant.

pacem illi petenti in Italia, et volenti sponte recedere, antequam haberet mandatum a patria; sic (1) modo non erat verecundum sibi non dare pacem si nolebat, ad quam petendam venerat iniquo animo et semicoactus; et tamen (2) non negabat se dare pacem pœnis sub primis conditionibus pacis, ne aliquis posset dicere romanos adversos studio pacis. Demum cum concordare non possent de conditionibus pacis, ambo redierunt ad castra sua protestantes uterque suis, quod oportebat quod cras antequam sol occideret scirent an Roma, an Carthago tenerent imperium mundi. Sequenti die orta luce venerunt in campum, et, ut dicit Florus, numquam fuit dies maior sub romano imperio, licet enim ante et postea cum fortissimis gentibus sæpe pugnatum fuerit, numquam tamen cum tantis viribus, tantis odiis, tanta arte, tanta paritate militiæ, tanta cupiditate vindictæ: ordinatæ acies hinc inde omni arte belli, ita ut uterque dux nihil omiserit (3) agendum in hoc tam discriminoso Marte. Nam, ut alios (4) ordines omittam, Hannibal octuaginta (5) elephantes, quot numquam antea simul habuerat, locavit in prima fronte, et uterque dux suos antecedebat in prœlio commemorans suas felices victorias, et præcipue Scipio cum tanta alacritate alloquebatur suos, ut non videretur ire ad periculosissimam (6) pugnam, sed redire a felicissima victoria. Igitur commisso prœlio uterque dux fecit ultimum de potentia, ingenio, ense et lingua. Scipio instabat summa vi; Hannibal obstabat (7) omni conatu, et si consideretur effectus, non solum istud fuit magnum prœlium sed maximum: quadraginta millia hostium occisa: cæteri quia sciebant itinera et receptacula

(1) E. sicut modo non erat verecundandum.
(2) E. et tamen negabat. (3) E. omisit.
(4) E. alios ducum ordines. (5) S. habuit octuaginta.
(6) S. periculosam. (7) 116 e E. instabat.

evaserunt. Inter captivos fuerunt duodecim elephantes; nec tamen romani habuerunt istam victoriam felicissimam sine sanguine; nam decem millia cæsa [1] sunt. Ipse dux Hannibal prius, omnibus tentatis, tandem cum paucis recessit ex prœlio, et Carthaginem veniens, convocato consilio, professus est se victum, non solum prœlio sed bello. Carthaginenses ideo de consilio Hannibalis miserunt legatos ad Scipionem pro pace petenda. Scipio et sui erant proniores ad ruinam Carthaginis quam ad pacem; tamen considerans quantum laboris et temporis esset obsidio tam potentis urbis, et sentiens quod novi consules Titus Claudius et Cornelius Lentulus procurabant succedere in locum eius, ut perciperent fructus tot et tantorum laborum, inclinavit animum ad pacem. Dedit igitur [2] pacem carthaginensibus de voluntate Senatus et populi romani cum conditionibus multis; ut viverent suis legibus, ut darent omnes naves rostratas præter decem, et elephantes domitos; indomitos vero domarent; nullum bellum facerent vel moverent sine mandato populi romani; decem millia talentorum nomine tributi annuatim darent, et multa alia. Pax igitur data est carthaginensibus anno decimo septimo post principium huius belli et post finem huius belli anno quadragesimo; ita quod inter primum bellum punicum finitum, et secundum inchoatum fuerunt anni viginti quatuor. Et hic fuit finis secundi belli punici, quo nullum unquam periculosius fuit. Tunc Scipio illam classem carthaginensium terribilem cunctis litoribus fecit incendi ante oculos civitatis juxta formam pactorum, cum maiori dolore omnium, quam si vidissent totam Carthaginem illo igne cremari; quingentæ naves fuisse referuntur. Scipio tandem, pace terra marique parta, reversus est in Siciliam, et inde per

---

(1) E. cæsi sunt. (2) 116 e E. igitur Scipio pacem.

urbes Italiæ transiens cum summo gaudio et festo omnium reversus est Romam, et cum triumpho celeberrimo omnium ascendit Capitolium. Ex prædictis itaque breviter percursis patet quantam gloriam Scipio fuerit consecutus fortunate ex ista terra Africæ, de qua autor facit hic mentionem studiose, quia res gestæ per Scipionem ibi videbantur dignæ perpetua memoria, sicut Titus Livius alte et fideliter describit (1). De victoriis autem quas Hannibal ante habuerat in Italia dictum est supra capitulo XXVIII, ideo ibi videre potes; nam in isto capitulo et in illo collegi (2) breviter gesta Scipionis et Hannibalis duorum maximorum ducum belli; ideo, lector, parce prolixitati. His præmissis pro declaratione literæ, nunc est ad literam descendendum. Ad propositum ergo Virgilius exordiens commendat Antheum a mirabili fortitudine, dicens: *o tu,* scilicet Anthee, *che recasti già,* idest, adduxisti olim in vita, *mille lion;* potest hoc intelligi historice, quia (3) in Africa est magna copia leonum, et sunt minus feroces quam alii, ut dicit Plinius; et allegorice ut per mille leones intelligas quod vicerit (4) mille viros fortes, *nella fortunata valle,* scilicet, fluminis Bragadæ apud Uticam civitatem, quæ vallis fuit fortunata genti Corneliæ, quæ fuit fatalis ipsi Carthagini; nam Scipio Africanus maior ipsam tributariam fecit, et Scipio Africanus minor ipsam evertit. Ideo dicit: *che fece Scipion reda,* idest, dominum; nam hæres dicitur quasi herus, idest dominus, *di gloria,* quia vere gloriosum fuit Scipioni vincere Hannibalem victorem romanorum in patria illius, et dicit: *quando Annibal co' suoi diede le spalle;* et sic vide quod loquitur de Scipione superiore, quia inferior non fuit tempore Hannibalis. Deinde Virgilius captat benevolentiam ab Antheo cum quadam adu-

(1) 116, scripsit.
(2) E. colliguntur.
(3) 116, quoniam.
(4) E. vicerat.

latione ficta, et vult dicere: bene [1] dico qui reportasti victoriam et gloriam de feris vel de hominibus, quia tu fuisses etiam victor deorum, ut multi credunt, si tu fuisses in pugna gigantea; unde dicit: *e ancor par che si creda,* loquitur dubitative, ut temperet modicum adulationem, *ch' avrebber vinto i figli de la terra,* idest, gigantes terreni fuissent victores contra deos, *se fossi stato a l' alta guerra.* Per hoc patet quod Antheus non fuit tempore aliorum gigantum fulminatorum a Jove in regione Phlegræ, ideo dicit: *de' tuoi fratelli,* vocat gigantes, qui fuerant diu ante, fratres Anthei, quia ex eadem matre, scilicet terra geniti sunt. Et hic nota quod hic est modus faciendi superbum benevolum, scilicet parificando ipsum Deo, sicut Alexander gloriabatur vocari filius Jovis, de quo mater pulcre increpuit eum admonens ne faceret Junonem sibi molestam. Et sic vide quod vir sapiens potest licite adulari interdum superbo, in casu necessitatis. Et facit suam petitionem Antheo, dicens: *mettine giù,* idest, porta nos ad glaciem putei, *dove la freddura serra Cocitó,* idest, ubi frigus congelat lacum, qui dicitur Cocytus, de quo tractabitur amodo usque in finem. — *E non.* Hic Virgilius facit confirmationem suam et dicit, quod non remittat eum ad aliquem alium de numero gigantum. Et ad huius literæ intelligentiam volo te scire quod Homerus XI Odysseæ fingit quod Ulyxes vidit in inferno Titium filium terræ jacentem, et duo vultures sedentes ex utraque parte rodebant jecur eius funditus, et ipse non expellebat eos cum manibus, quia attentavit [2] venerabilem uxorem Jovis, Latonam. Titius moraliter est vir luxuriosus, qui ardens libidine non abstinet se ab aliquo pudore reverentiæ humanæ vel divinæ, sicut Nero luxuriæ sævientis qui stupravit soro-

---

(1) 116, bene video quod. (2) S. tentavit.

rem et consanguineam et unam virginem vestalem, et meretricem [1] duxit uxorem. Ideo eleganter finxerunt poetæ quod vultur avis rapax continuo vorat eius èpar, quia in epate est sedes luxuriæ, quæ paulatim consumit epar et corpus. Sed epar consumptum reviviscit et reparatur, quia una libidine extincta repullulat alia. Ideo bene dicit Ovidius: *Sic inconsumptum Titii semperque renascens, non perit ut possit sæpe perire jecur*. Dicit ergo: *e non ten vegna schifo,* idest, non habeas hoc ad indignationem, licet tu videaris tam magnus, et iste tam parvus. Et hic nota quod per hoc autor figurat quod magnus superbus debet honorare poetam, qui potest sibi dare magnam et longam famam. Unde dicit: *non ci far ire a Tizio nè a Tifo,* qui sunt minus magni et magnifici quam tu. De Titio jam dictum est, de Typhœo autem dicetur Paradisi, capitulo VIII, quasi dicat: non facias nos recurrere ad alium qui portabit nos. Ita recte dicebat ipse Virgilius ad Augustum quod non haberet eum ad fastidium, quia ipse inveniret alium cui maritaret se, ut patet libro Bucolicorum ecloga secunda. Et ecce quare non debes fastidire eum, quia, *questi,* scilicet Dantes qui est hic mecum, *può dar di quel che qui si brama,* scilicet, fama [2]. Et sic vide quod cum autor fingit quod gigantes appetunt famam, loquitur moraliter de isto mundo, in quo magni superbi maxime appetunt gloriam licet malis artibus, sicut Alexander cuius pectus erat insatiabile gloriæ. Ideo dicit: *però ti china,* idest, inclina te ad portandum nos, *e non torcer lo grifo,* idest, non distorqueas [3] musum, ideo dicit: *ancor ti può nel mondo render fama,* et ecce quomodo, *ch' el vive e lunga vita ancor aspetta.* Et sic vide quod autor videtur prophetare de se ipso; nam post istam visionem suam vixit

---

(1) S. unam meretricem. (2) S. e E. famam. (3) S. torqueas.

viginti uno annis, et dicit: *se grazia,* scilicet divina, *nol chiama a se innanzi tempo,* quasi dicat, secundum cursum naturæ adhuc victurus est multum, nisi Deus ex gratia vocet eum ad se; et respicit autor tempus visionis suæ, quæ fuit in MCCC, in quo fingit Virgilium dicere ista de se, nam quando scribebat hoc [1] præterierat tempus visionis per multos annos.—*Così.* Nunc autor ponit effectum orationis Virgilii, quia scilicet statim libenter et prompte fuerunt portati ab Antheo. Unde continuans dicta dicendis, dicit: *così disse 'l maestro,* idest, ita persuasit Antheo hac pulcra oratione, *e quelli,* scilicet, Antheus avidus promissæ famæ, *distese le man in fretta,* quia non expectavit plus rogari, *e prese il duca mio,* scilicet, Virgilium, et dicit: *onde,* idest, a quibus manibus Anthei, *Ercole sentì già grande stretta,* scilicet, cum luctaretur [2] secum, ut jam dictum est. Et hic nota, lector, quod autor hic magna arte facit mentionem de Hercule qui [3] fuit contrarius Antheo. Fuit enim Hercules gigas bonus, magnus statura, magnus viribus, magnus virtute, qui reponitur in numero deorum, non istorum, quia non solum vicit Antheum fortissimum in Africa, sed Gerionem potentissimum in Hispania et Busiridem crudelissimum in Ægypto, qui domuit omnia monstra ferarum et hominum ubique, et per omnes gradus virtutum ambulavit usque in finem; ideo merito poetæ finxerunt quod descenderit ad infernum ad conculcanda vitia, et supportaverit cœlum, quia restitit influentiæ cœli. Et nota quod licet hæc et alia multa adscribantur Herculi, tamen multi fuerunt Hercules, sicut testatur Tullius libro de Natura Deorum, et Augustinus XVII de Civitate Dei. Difficillimum tamen est discernere inter istos. Et subdit quomodo Virgilius captus ab Antheo traxerit

(1) E. hæc. (2) S. luctaret. (3) S. quia fuit.

eum ad se dicens: *Virgilio disse a me: fatti qua sì ch' io ti prenda,* scilicet, inter brachia mea, eo modo quo Antheus ceperat eum; ideo dicit: *quando prender si sentío,* scilicet ab illo Antheo, *poi feci sì, ch' un sasso era elli et io,* quasi dicat: astrinxit me sibi. — *Qual.* Hic autor ostendit inclinationem Anthei per unam nobilem comparationem. Ad cuius intelligentiam est sciendum quod, in nobili civitate Bononiæ in loco qui dicitur Porta Ravignana, est una parva platea in qua sunt duæ turres, altera quarum altissima vocatur turris Asinellorum, altera juxta ipsam vocatur turris Garisendorum, quæ est turris valde plicata ad modum ruentis; modo nubibus transeuntibus super Garisendam, si quis stans in opposito respiciat nubes, turris videtur cadere super eum. Ad propositum ergo; dicit autor: *Anteo parve tal a me che stava a bada,* quia expectabam respiciens, *di vederlo chinar qual par la Garisenda,* turris, quæ sic denominatur a Garisendis nobilibus de Bononia, *a riguardare sotto 'l chinato,* idest, sub curvatura, *quando un nuvolo vada sovr' essa sì ch' ella,* scilicet, turris, *penda incontro,* idest, in contrarium. Et hic nota quod comparatio bene facit ad factum; quia sicut Garisenda curvata videtur cadere super respicientem ([1]), et tamen non cadit, ita Antheus velut alta turris curvatus videbatur nunc cadere super Dantem respicientem eum, et tamen non cadebat. Nota etiam quod comparatio erat magis propria, quando autor hoc scripsit, quia ista turris curvata, erat tunc multo altior, quam modo sit; nam pars magna eius deiecta ([2]) fuit per Johannem de Aubegio ([3]) de vicecomitibus de Mediolano, qui gigas magnus et ferox crudelem tyrannidem exercuit ibi. Nota etiam quod autor notaverat istum actum cum esset juvenis Bononiæ in studio.

([1]) 116, respicientem eam.
([2]) E. dirupta.
([3]) S. Aulegio. — E. Olegio.

Et ostendit timorem quem cepit ex visione ista, dicens: *e fu talora,* scilicet a principio, *ch' io avrei voluto ire per altra strada,* quam per manus istius gigantis; sed tamen vane timebat, quia Antheus impune portavit eos; unde dicit: *ma ci posò,* idest, deposuit nos, *levemente,* quia Virgilius ita unxerat eum oleo adulationis, ideo exhibuit se magis placidum in ista transportatione, quam fecisset Charon, Phlegias, Nessus vel Gerion, *al fondo che divora Lucifero con Juda,* quia in centro putei stat fixus Lucifer qui devorat Judam, ut patet finali capitulo. Et tangit repentinum reditum gigantis, dicens: *nè sì chinato lì fece dimora,* quia redivit ad stationem suam. Ideo dicit: *e si levò,* idest, erexit se sursum rectum, *come albero in nave,* supple, levatur et erigitur. Et est comparatio valde propria, quia Antheus erat magnus et altus et spectabilis in modum arboris navis.

CANTUS TRIGESIMUS SECUNDUS, *in quo ponit proditores in glacie sub titulo filiorum comitis Alberti et Camisionis de Pazzis, et domini Bocchæ de Abbatibus, et sicut locutus est cum eo; ac Guidonis de Soldaneriis et aliorum multorum.*

S'io avessi le rime e aspre e chiocce. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de pœna gigantum qui puniuntur in circuitu putei; nunc consequenter in isto capitulo XXXII agit et tractat de pessima specie fraudulentorum, scilicet proditorum, qui puniuntur intra puteum in glacie. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor exorditur ad hanc arduam (¹) materiam, et tractat de prima specie et pœna proditorum, qui prodiderunt parentes et consanguineos suos. In secunda specificat multos tales proditores, ibi: *Quand' io ebbi.* In tertia tractat de secunda specie proditorum qui prodiderunt patriam, ibi: *Poscia vid' io.* In quarta et ultima tractat de duobus (²) singulariter, qui prodiderunt suum commune, ibi: *Noi eravam.* Ad primum veniens dico, quod autor descripturus materiam difficillimam, et numquam ab alio descriptam præmittit excusationem proponens sic: *io premerei,* idest, exprimerem, *il suco,* idest sensum et sententiam, *di mio concetto,* idest, novæ materiæ quam nuper concepi describere, *più pienamente,* idest, perfectius, *s' io avessi le rime aspre e chiocce,* idest, rigidas, *come si converrebbe al tristo buco,* idest, ad descriptionem istius putei cum contentis in eo, in quo est centrum omnium tristitiarum,

(¹) S. altam materiam. (²) E. de duobus qui.

et pœnarum; ideo dicit: *sopra 'l qual,* scilicet foramen, *pontan tutte l' altre roccie,* quia ad centrum terræ tendunt omnia pondera gravitatum. Et hic nota quod, quia sermones debent convenire materiæ de qua agitur, et verba sunt inventa ad exprimendum conceptum mentis, autor conqueritur quod non valet hic reperire vocabula propria tam duræ materiæ; ideo dicit: *ma mi conduco a dicer,* idest, ad dicendum, *non senza tema,* quia lingua titubat in materia tam ignota, *perchè non l' abbo,* idest, quia non habeo tales rithimos, quales materia exigit. — *Chè.* Hic autor ostendit per causam suam excusationem fore justam, dicens: *chè,* idest, quia, *descriver fondo a tutto l' universo,* idest, describere centrum inferni, *non èe impresa da pigliar a gabbo,* quasi dicat: non est materia levis et juvenilis assumenda joco, sed potius gravis et ponderosa assumenda a sene serio et non joco; ideo dicit: *nè,* idest, et non assumenda, *da lingua che chiami mamma e babbo,* quia ista materia non est pro infante, qui nondum scit materne [1] loqui, nedum pulcre et ornate. Et ideo facit nobilem invocationem pro subsidio implorando, ostendens se sperasse in alterius auxilio; unde dicit: *ma quelle donne,* idest, illæ novem musæ quas invocavi in principio huius libri, quæ vere sunt imperiosæ dominæ, *aiutino il mio verso,* idest, meam descriptionem metrice faciendam; quæ quidem dominæ faciunt hominem eloquentem cum tanta virtute, quod fecerunt Amphionem colligere gentes, dispersim bestialiter vagantes, ad civilitatem [2], et bene et beate vivendum; ergo poterunt me juvare in descriptione mortuorum; ideo dicit: *ch' aiutâr Anfione a chiuder Tebe.* Ad cuius intelligentiam est sciendum quod Amphion successit Cadmo in regno Thebarum, qui homines adhuc ru-

(1) S. mature loqui. (2) 116 e E. civitatem.

des et ferino more viventes reduxit ad vivendum civiliter et politice sub lege et religione. Ideo bene fingitur mirabili sono suæ citharæ murasse civitatem Thebarum, sicut simile scriptum est de Orpheo capitulo IV. Unde Horatius in sua poetria vocat Amphionem conditorem thebanæ urbis. Et hic nota quod autor arguit hic a minori, quasi volens dicere: si Amphion potuit mirabili eloquentia sua cumulare (1) et aggregare lapidem lapidi, et saxum saxo ad constructionem mœniorum (2) thebanorum, et ego potero coniungere rithimum rithimo ad descriptionem istius pessimæ civitatis. Civitas enim Thebarum fuit olim plena magnis parricidiis et maleficiis, sicut dicetur infra capitulo penultimo sequenti. Nota etiam quod poetæ habent (3) de more facere invocationem non solum in principiis (4) librorum, sed etiam in medio et in fine, quando perveniunt ad altam materiam, sicut patet per Virgilium in Eneidos, et per Statium in Thebaidos. Et assignat causam suæ invocationis, dicens: *sì che dal fatto il dir non sia diverso,* quasi dicat: ut oratio non sit dissona ipsi materiæ. — *O.* Hic autor descripturus pessimam culpam et ultimam pœnam proditorum incipit a quadam exclamatione dolorosa, dicens: *O sopra tutte mal creata plebe,* idest, o popule proditorum, male et infeliciter nate ultra omnes damnatos, *che stai nel loco,* scilicet, in infimo lacu gelato, *ove parlar èe duro,* quia est valde durum describere pœnam istam, ut jam dictum est; nam horribile nimis est narrare proditiones (5) inhumaniter factas in consanguineos, cives, amicos, dominos, *me' foste state qui,* idest, melius fuissetis in isto mundo, *pecore o gebe,* idest, oves vel capræ vel alia bruta, quia non essetis nunc in isto infelicissimo supplicio, sicut di-

(1) S. congregare et accumulare lapidem.
(2) 116, murorum.
(3) E. habebant.
(4) E. principio.
(5) S. proditores et proditiones.

xit (1) Christus de Juda proditore: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. — *Come.* Hic autor volens describere generalem pœnam proditorum, qui puniuntur in glacie, primo ostendit quomodo fuerit excitatus ad respiciendam istam pœnam. Fingit enim se audisse unam vocem admonentem ipsum ut iret aperte per talem (2) viam; unde dicit: *udimmi dicer,* idest, audivi dici mihi, *guarda, come passi.* Hoc dicit, quia glacies illa erat valde lubrica, et pes poterat faciliter labi, et lædere umbras jacentes (3) ibi; nec erat ibi via certa, sicut in bulgiis superioribus, per quas iverant (4) per pontes; ideo dicit: *va' sì,* idest, ita attente, *che tu non tocchi con le piante,* scilicet pedum, *le teste de' fratei miseri lassi,* idest, infelicium. Et hic nota quod ista vox erat unius spiritus de terra sua, qui sic loquebatur de duobus fratribus de eadem terra. Et iste fuit quidam Camisonus nomine, qui recognoscens autorem præmonuit eum ne calcaret cum pedibus capita illorum fratrum, qui erant simul jacentes in extremitate putei in glacie, de quibus dicetur statim; inhonestum enim videbatur percutere pedibus capita conterraneorum suorum. Et dicit: hoc audivi, *come noi fummo giù nel pozzo scuro,* quia si totus infernus est obscurus, maxime hic locus infimus, *sotto i pei del gigante,* scilicet, Anthei, *assai più bassi,* quasi dicat, longe inferius, *et io mirava ancora a l' alto muro,* idest, ad puteum muratum, quasi dicat: et cum respiciebam adhuc sursum, et nondum inclinaveram oculos ad glaciem. Et ponit effectum huius (5) vocis, quia scilicet ad sonum illorum verborum, oculos, quos tenebat sursum, reflexit deorsum ad glaciem, in qua puniuntur proditores. Ad cuius rei intelligentiam est notandum,

(1) E. dixit Salvator noster prætiosissimus Dominus Jesus Christus benedictus de Juda. (2) S. talem locum. (3) 116, jacentium ibi.
(4) 116 e E. iverat. (5) E. eius.

quod autor subtilissime adinvenit [1] pœnam justissimam, et dignissimam proditoribus, quam numquam alius poeta somniavit. Fingit enim quod isti cruciantur in una glacie frigidissima et rigidissima, et merito; nam ardor amoris et amor caritatis figuratur semper in igne, qui est calidus, levis, purus et tendit semper ad altum. Modo per oppositum istud crudele odium proditionis reponitur in glacie, quæ est frigida, gravis, semper deorsum tendens; et fit ex aqua, quæ est [2] colamentum omnium aquarum infernalium, ad denotandum quod omnis calor amoris et humanitatis est extinctus in duro et frigido corde proditoris, et quod istud peccatum prægravat omnia alia mundi [3], ita quod proditio rectissime inimicatur et contrariatur caritati et dilectioni et pietati. Nunc ad literam; dicit autor: *perch' io mi volsi*, scilicet, ad vocem prædictam, *e vidimi davante,* scilicet, præ oculis, *e sotto i piedi un lago,* scilicet Cocytum glaciatum [4], *che avea sembiante,* idest, apparentiam, *di vetro e non d' acqua per gelo,* quasi dicat: qui [5] erat summe glaciatus. — *Non.* Hic autor describit grossitiem et duritiem istius infimæ glaciei per duplicem comparationem; et vult breviter dicere, quod nulla aqua est in mundo quæ coaguletur ita dure sicut ista, quia non Danubium in Alemania, non Tanais in Scythia. Dicit ergo: *La Danoia.* Danubius fluvius nascitur in Germania in alpibus Sveviæ maximus omnium fluviorum occidentalium, et currit versus septemtrionem, et cadit in mare Tanæ, de quo dicetur plene [6] Paradisi capitulo VIII: *non fece sì grosso velo,* idest, tam grossam glaciem, quam appellat velum, quia transparet, vel quia velat et celat aquam, *al corso suo,* idest, aquæ currenti, *in Osterlich,* idest, in

(1) S. adiurat.
(2) E. quæ semper est.
(3) 116, peccata mundi.
(4) S. congelatum et glaciatum.
(5) E. quia erat.
(6) 116, plenius.

ea parte Alemaniæ, quæ vocatur Austria, *nè Tanai,* supple, fecit tam grossum velum. Est enim Tanais fluvius in extremo septemtrionis, dividens Asiam ab Europa, qui nascitur ex montibus Riphæis, ubi est hodie Tana frigidissima, quæ hodie multum frequentatur a mercatoribus. Ideo dicit: *là sotto il freddo cielo,* idest, sub frigida constellatione, scilicet sub tramontana, ubi glacies nimio gelu vertitur in crystallum, *com' era quivi,* scilicet, in isto lacu; et verum dicit, quia nullum frigus quantumcumque intensissimum est simile odio proditionis (1); illud enim inglaciat aquam vel alia corporalia; istud vero corda hominum, quod est multo peius. Et probat magnitudinem et fortitudinem istius glaciei per effectum, dicens: *che se Ciambenich,* qui est mons altissimus in Sclavonia, *o Petrapiana,* quæ est montanea altissima omnium Tusciæ, quæ olim vocata est Petra Appuana, sicut sæpe patet apud Titum Livium, et est prope Petram sanctam non longe a civitate lucana in confinibus Tusciæ, *vi fosse caduto su,* scilicet, super istam glaciem, *non avria pur fatto crich,* idest, minimum strepitum, vel stridorem, qualem sonum facit lapillus quando jacitur supra glaciem, qui saliendo facit talem sonum; et videtur ipsum (2) tractum a sono sicut tintinnabulum: et verum dicit, quia nulla est virtus tam magna, quæ possit aliquando movere cor crudele inglaciatum (3) proditoris, *da l' orlo,* idest, in extremitate. — *E come.* Hic autor describit in speciali pœnam proditorum primæ speciei, quæ committitur contra sanguinitatem (4) per unam comparationem claram. Et dicit breviter, quod isti stant intra glaciem cum corpore toto, tenentes solum caput extra, et frendentes (5) dentibus, eo modo quo rana stat tota

(1) E. proditoris.
(2) S. nomen tractum a sono.
(3) S. et inglaciatum.
(4) S. e E. consanguineitatem.
(5) S. frementes dentibus. — E. stridentes dentibus.

sub aqua tenens solum musum foris et garrulans. Ordina sic literam: *e l' ombre dolenti,* scilicet proditorum; nam cum ista sit civitas doloris, et omnes umbræ sint dolentes in ea, istæ sunt fundamentum omnium dolorum, *eran nella ghiaccia, mettendo i denti in nota di cicogna,* idest (¹), quod pro nimio frigore resonabant dentibus more ciconiæ, quæ facit ita se audiri a longe, umbræ, dico, *sì livide,* idest, tam pallidæ, *là dove appar vergogna,* idest, in facie, in qua apparet verecundia hominis per signum ruboris, per quod cognoscitur quando homo verecundatur, *come la rana si sta a gracidar,* idest (²), ad garrulandum, et coaxandum, *fuor de l' aqua col muso,* tempore æstatis calido; unde dicit: *quando la villana sogna di spigolar,* idest, optat colligere spicas, ita quod somniat de nocte hoc facere, *sovente,* idest, sæpe. Et est comparatio propria de lacu ad lacum, et de rana ad proditorem; sicut enim rana clamat, nec potest trahi de palude, ita proditor hic latrat, et nunquam potest trahi de proditione. Et subdit autor modum manendi istorum proditorum, dicens: *ognuna,* idest, unaquæque anima, *in giù tenea volta la faccia;* et hic est mos communis proditoris respicere terram et non faciem hominis, ne dicam cœli, cui jam vertit terga. Ideo dicit, quod frigus manifestatur per os (³), et cor per oculos, *il freddo si procaccia,* idest, procurat sibi, *testimonianza da la bocca,* quia scilicet ex illa concussione dentium cognoscitur excessus frigoris in illis, *e 'l cor tristo,* idest, tristitia cordis procurat sibi testimonium, *da gli occhi,* quia scilicet, inclinatio oculorum ad terram solet manifestare cor triste, *tra lor.*

Quand' io. Ista est secunda pars generalis, in qua autor manifestat in speciali aliquot proditores consan-

(¹) E. idest præ nimio frigore resonantibus dentibus.
(²) E. idest garulando et coassando. (³) E. per hominis os.

guinitatis de prima specie. Et primo describit illos duos fratres de quibus tetigerat in principio; et continuans dicta dicendis, dicit: *volsimi a' piedi,* quia vox quæ monuerat (1) eum veniebat ab uno spiritu qui erat juxta pedes eius, *quand' io ebbi visto alquanto dintorno,* quasi dicat: cum respexissem modicum in circuitu putei, converti oculos speculationis ad duos qui erant proximiores pedibus (2), idest affectionibus meis, *e vidi dui sì stretti, che 'l pel del capo avean insieme misto,* idest, capillos habebant intermixtos, non distinctos; et non credas hoc ex affectione vel dilectione (3), sicut dicebatur supra de duobus alchimistis, sed ex amaritudine, et acerbitate odii, quia sic se invicem strinxerunt quando (4) mutuis vulneribus interfecerunt. — *Ditemi.* Hic autor ponit petitionem suam ad istos, qui non reddiderunt sibi responsum sed actum; unde dicit: *diss' io: voi che sì stringete i petti,* idest, o vos qui amplectimini vos ita stricte. Et nota pulcrum et coopertum modum loquendi; noluit enim dicere: o vos proditores, quia tunc non reddidisset sibi eos benevolos sed infestos, *ditemi, chi siete?* ut possim dare vobis famam; *e quei,* scilicet ambo simul, *piegaro i colli,* idest, levaverunt sursum, ubi primo tenebant facies incurvatas versus glaciem; ideo dicit: *e poi ch' ebber li visi a me eretti, gli occhi lor, ch' eran pria pur dentro molli,* scilicet, ex planctu; sed lacrymæ non poterant reperire portam exeundi, quia frigus tenebat oculos clausos et glaciatos, et humor perveniens ad oculos subito coagulabatur, *gocciar giù per le labra,* idest, emiserunt lacrymas, et sic vi aperuerunt oculos ut viderent autorem, *e 'l gielo strinse le lagrime tra essi,* scilicet oculos, *e riserrolli,* idest, et iterum clausit eos. Et per hoc videtur innuere quod tales, licet videantur aliquando ape-

(1) E. e S. moverat.
(2) E. pedibus meis, idest.
(3) E. delectatione.
(4) E. e 116, quando se mutuis.

rire oculos mentis, tamen cito inglaciatur et induratur cor (1), sicut videmus interdum homines crudelissimos plorare molliter ad modum meretriculæ; tamen Nero crudelissimus non effudit lacrymam visa matre Agrippina mortua, qui postea gladio se interfecit. Et specificat autor strictam clausionem oculorum per unam comparationem valde claram, dicens: *spranga,* lignea vel ferrea, *mai non cinse legno così forte,* sicut gelu strinxit et clausit palpebras oculorum in istis, et continuo clausis oculis redivit primus furor in eos; unde dicit: *ond' ei,* idest, quare ipsi duo *cozzaro insieme,* in se (2) invicem percusserunt cum frontibus impetuose, *come dui becchi.* Et hic nota quod autor digne comparat istos hircis, qui naturaliter invidi se impetunt bestialiter. Quomodo enim isti duo germani possunt dici rationales, qui tam impie (3) se crudeliter feriunt, ut soli habeant pauca sterilia saxa quæ simul possidebant, ut statim dicetur; et dicit: *tanta ira li vinse,* quæ ira nata est ex cupiditate dominandi. Unde nota, lector, quod autor merito detestatur illos duos fratres (4) thebanos, de quibus dicetur in fine istius capituli, qui se invicem interfecerunt pro paupere (5) regno Thebarum, dicens: *quo tenditis iras? Ah miseri!* Et Lucanus similiter iratus contra primos conditores urbis, dicit: *Exiguum dominos commisit asylum,* et exclamat (6): *O male concordes nimia cupidine cæci!* quanto justius autor damnat istos duos fratres qui inter se certaverunt de paupere saxo! Et sic nota quomodo isti duo fratres interrogati qui essent, ostenderint (7) per evidens signum quomodo fuerint (8) unum

(1) E. eorum cor. (2) 116, in se ipsos percusserunt.
(3) E. impie et crudeliter se feriunt.
(4) 116, fratres; nam Statius primo maioris indignanter exclamat contra duos fratres thebanos. — E. fratres, quia sic Statius detestatur istos duos fratres thebanos de quibus. (5) S. modico. (6) E. exclamat, dicens.
(7) E. e 116, ostenderunt. (8) 116 e E. fuerunt.

par pessimorum fratrum, qui tam crudeliter se invicem percusserant ([1]).—*Et un.* Hic autor introducit quemdam ([2]) tertium proditorem qui manifestat prædictos fratres et quosdam alios, et se ipsum. Et primo autor describens ipsum a nimietate frigoris, dicit: *et un,* scilicet, magnus proditor, *ch' avea perduti ambo gli orecchi per la freddura,* nam extrema maxime læduntur a frigore, sicut videmus quod apud Tanam peregrini non assueti perdunt interdum extremitates digitorum pedum et manuum, et sæpe vitam, *pur col viso in giue,* quia non levavit faciem sicut fecerunt illi duo fratres, ita quod stabat bene affixus glaciei, idest, proditioni, *disse: perchè cotanto in noi ti specchi?* quasi dicat: quid tantum fatigas speculationem tuam ad cognitionem proditorum, quorum est hic magna copia? ideo dicam tibi cito de prædictis et aliis: describit autem istos duos fratres a loco, a parentibus et a parricidio. Ad cuius rei cognitionem est sciendum, quod isti fuerunt duo fratres, quorum unus vocatus est Neapoleo, et alter Alexander, ambo filii comitis Alberti de comitibus Albertis, qui venientes ad discordiam propter hereditatem, se invicem interfecerunt. Dicit ergo ille proditor: *se vuoi saper chi son cotesti due,* idest, isti duo fratres coniunctissimi, dicam tibi breviter: *la valle, onde Bisenzio si dichina;* Bisentius est fluvius parvulus qui oritur in montibus in comitatu Florentiæ, qui labitur juxta Pratum, castellum ([3]) pulcerrimum inter Florentiam et Pistorium, et longe a Florentia per sex milliaria cadit in fluvium Arnum; *fue del padre loro Alberto e di lor,* qui fuerunt heredes eius. Et aggravat delictum istorum, dicens: isti *d' un corpo usciro,* quasi dicat: fuerunt fratres uterini ([4]) et sangui-

([1]) S. percusserunt.
([2]) S. unum tertium pessimum proditorem.
([3]) E. castrum.
([4]) E. uterque, et consanguinei.

nei, ex eadem matre et ex eodem patre nati (1). Videmus enim communiter, quod fratres, qui sunt ex diversis matribus, non ita faciliter conveniunt inter se; et ideo concludit, quod sunt dignissimi omnium standi in prima parte glaciei, quam Chainam vocat (2). Et ad intelligendam istam literam volo te notare, quod autor magna arte dividit totam istam regionem glacialem in quatuor partes secundum quatuor species proditorum, qui puniuntur in eis; quarum primam appellat Chainam, a Chaim primo proditore sui sanguinis, qui ex invidia interfecit fratrem suum Abel, ut dictum est supra capitulo I, et dicetur Purgatorii capitulo XIIII; de reliquis (3) quartis dicetur infra suis locis. Dicit ergo: *e tutta la Caina potrai cercare, e non troverai ombra,* idest, non poteris invenire aliquam aliam animam proditricem (4), *più digna d' esser fitta in gelatina,* idest, in istam glaciem gelatam. — *Non quella.* Hic prædictus spiritus in detestationem tanti mali per modum comparationis nominat et detegit alios proditores eiusdem speciei, ut ostendat quod nulli fuerunt similes istis; et primo nominat quemdam antiquum proditorem, qui prodidit patrem suum nimis enormiter. Ad sciendum igitur (5) quis fuit iste perfidissimus proditor volo te scire quod, sicut scribit Gualterius anglicus in sua chronica quæ britannica vocatur, in qua admiscet multa falsa veris in exaltationem suæ regionis, Arturus rex clarissimus occidentis, mortuo patre, qui vocatus est Uter pandragon, adolescentulus quindecim annorum tantam gratiam virtutis et felicitatis habuit in insula Britanniæ, quod totam patriam probiter reformavit, devictis saxonibus qui infestabant ipsam, et omnes insulas circumadiacentes subiugavit. Deinde reversus in Britanniam tredecim annis

(1) S. geniti. (2) S. e E. vocant. (3) S. reliquis dicetur infra.
(4) E. proditiorem. (5) E. ergo quis fuerit iste.

moram fecit, quo tempore suam familiam ordinavit, invitatis quibusdam nobilibus regnorum, ita ut nullus nobilis extimaret se aliquid, nisi in habitu indumentorum et armorum ornaretur ad modum militum Arturi. Arturus ergo non contentus regnum suum intra maris litora arctari magnis viribus vicit Norvegiam et Daciam; deinde transiens in Galliam, quam tunc tenebat Leo imperator, celeri successu victoriarum omnes provincias subiugavit spatio novem annorum. Tandem reversus in Britanniam, ne virtus marceret otio, de consilio Merlini tunc florentis ordinavit tabulam, quam anglici vocant rotundam; ad quam convocavit quasi ad convivium celebre omnes famosiores armis et moribus nobilibus, quibus dedit certas leges societatis, scilicet, ut arma semper ferrent, jura debilium defensarent, neminem violarent, se invicem non læderent, pro salute amicorum pugnarent, pro (1) patria vitam exponerent, sibi solummodo acquirerent honorem, fidem nulla ex causa fallerent (2), et ut breviter dicam, omnia laudabiliter gererent; quæ singula cum magno favore quotidie vulgi ore celebrantur (3), quibus jam felix Arturus tributum petitum romanis (4) superbe denegavit, et cum maximo apparatu veniens in Galliam victoriose superavit Lucium consulem romanum habentem secum reges multos orientales, scilicet regem Græcorum, Medorum, Parthorum, Lybiæ, Ægypti, Babyloniæ, Bythiniæ, Phrygiæ, Cretæ et alios multos; sed certe, nescio videre quomodo iste somniaverit (5) ista tam vana nulli credenda prudenti. Quis enim sciens historiam ignorat, quod tempore Arturi jam Roma erat in magna declinatione? cum jam per multa sæcula romanum im-

(1) E. e 116, propriam vitam exponerent.
(2) 116 e E. fallerent, religionem colerent, et ut breviter.
(3) 116, celebrabantur. (4) S. a romanis.
(5) E. somniavit. — 116, somniaverat.

perium translatum esset in Græciam, per Constantinum, et jam Roma sæpe capta erat a gothis et barbaris; et quomodo reges Parthorum, Medorum et Babyloniæ erant cum Lucio consule romano, qui non fuerant subiecti romano imperio, quando Roma fuerat in summo culmine potentiæ suæ? Sed procedo ulterius in (1) historia: Arturo jam elato parabatur ruina; nam dum processurus in Italiam jam appropinquaret ad alpes, Mordretus filius eius ex concubina, cui Arturus commiserat gubernationem regni, juvenis audax ad omne facinus, jam diu captus cupiditate regnandi, captata occasione fortunæ, cœpit solicitare animos omnium ad se muneribus et promissis, convocare amicos, conducere stipendiarios, munire urbes, denegare patri necessaria, et patrem mortuum literis fictis prædicare; et quod cuncta eius mala excedit, reginam (2) Gavinaram sibi calcato (3) pudore in coniugem copulavit, quæ erat pulcerrima mulierum anglicarum. Sic igitur Mordretus (4) contraxit innumerabilem exercitum tam christianorum, quam paganorum. Arturus autem cum hæc nuntiata essent sibi, arma quæ paraverat contra hostes coactus est retorquere contra filium; et magnis copiis perveniens ad litora (5) rutupina, * habuit filium obvium, quem post * (6) acerrimum prœlium vertit in fugam, et proditor intravit (7) Vintoniam vel Gratoniam. Arturus autem, quia perdiderat tot millia suorum, acriori ira accensus invasit civitatem et nequissimum ribaldum obsedit. Mordretus vero obstinatæ perfidiæ, exhortatis suis magnis promissionibus, volens potius vincere vel mori, quam turpiter fugere, venit in prœlium contra patrem; et Artu-

(1) S. in historiam.
(2) E. reginam Guainhumaram sibi.
(3) S. conculcato.
(4) E. Mordretus iste contraxit.
(5) E. ad littora imperii habuit.
(6) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Strozziano.
(7) S. intravit Unitoniam vel Gratoniam.

rus animans suos, ut cum ira et indignatione pugnarent contra viles latrones commisit prœlium miserabile, in quo magna cædes hinc inde facta est cum magno furore, ita quod quasi omnes egregii milites Arturi perierunt. Arturus igitur videns casum suorum, et Mordretum quasi renovatis viribus discurrentem, et sua virtute victoriam quærentem, accepta lancea, abiecta affectione (1) paterna, toto impetu recentis equi irruit in Mordretum, et eius miserum pectus tota hasta transfodit, nec impune; nam juvenis crudelis parricida lethali vulnere incitatus (2), contractis totis viribus in unum, patris capiti tam durum vulnus inflixit cum gladio, quod non defendente galea pervenit ad cerebrum. Rex vero transportatus equo, cum lanceam retraheret de corpore moribundi, ita ampliatum est vulnus, ut dicitur, quod sol, qui tunc erat in occasu, illud suis radiis penetravit. Et sic Mordretus cadens, finem fecit infelici vitæ et insanæ temeritati. Ex dictis igitur clare patet, quare autor hic nominaverit istum innominabilem (3) proditorem, et quare descripserit eum ab isto mirabili vulnere, quod sibi pater Arturus suprema in morte donavit, licet receperit reciprocum ab eo. Arturus demum sentiens finem suum statim mandavit se transferri in insulam Navallonis (4) et ibi moriens tradidit coronam regni Constantino cognato suo, vel ut alii dicunt, nepoti, anno ab Incarnatione Domini quingentesimo quadragesimo secundo. Et sic tanta gloria Arturi (5) infeliciter versata est in confusionem opera Mordreti mordentissimi serpentis. Nunc ad literam veniendo dicit iste spiritus: *non quella,* idest, non invenies illam umbram magis dignam figi in (6) geladicium, *a cui fu rotto il petto, e l' ombra,* quia corpus

(1) S. tota affectione.
(2) S. excitatus.
(3) 116, abbominabilem. — E. ignobilem.
(4) E. Avalonis.
(5) E. Arturi versa est.
(6) 116, in geladinam.

Mordreti oppositum soli ante vulnus faciebat umbram per totum corpus, sed post vulnus amplissimum, radii libere transibant, nec faciebant umbram in parte illa, *con esso un colpo,* scilicet lanceæ, *per la man d'Artù:* Arturus iste dicitur expectari ab anglicis, sive quia mors eius de industria celata fuit a Constantino successore, sive quia in tanta perturbatione rerum, Arturus paucis consciis mortuus est, et sine ullo apparatu sepultus, ex quo inclytum regem vanum vulgus tamquam venturum semper expectat. — *Non Focaccia.* Hic nominato spiritu pessimo, qui commisit proditionem (1) in patrem, nominat alium damnabilissimum proditorem, qui commisit perniciosam proditionem in patruum suum et stirpem suam, ex quo secutum est magnum scandalum. Ad cuius rei cognitionem est sciendum, quod, sicut jam sæpe dictum est, in MCCC erat in civitate Pistorii domus Cancellariorum florentissima, in qua inter alios erant tres fratres milites, quorum unus habebat filium perditissimum nomine Focacciam, promptissimum ad omne nefas. Accidit autem a casu, quod pater Focacciæ tempore hiemis, cum luderetur ad nivem, verberavit unum puerum nepotem suum, filium unius fratrum, quia ille dicebatur percussisse inepte alium puerum cum nive; ex quo puer post aliquos dies simulans se velle loqui isti patruo suo, dedit illi alapam in vindictam. Pater pueri dolens de temerario excessu filii (2), misit ipsum ad fratrem ut faceret correptionem (3) de eo ad placitum suum. Et ille tamquam prudens risit, et remittebat filium patri non tactum nisi solo osculo. Sed Focaccia sceleratus expectans puerum in limine domus, traxit ipsum in stabulum patris, et amputavit illi manum impie cum ense super præsepe equi; et non contentus ista crudelitate

(1) E. e S. pessimam proditionem. (2) 116, pueri filii sui, misit.
(3) S. debitam correctionem de eo ad palatium suum. At ille.

indignissima, continuo accessit ad domum patris pueri, qui erat patruus suus, et illum crudelissime obtruncavit. Ex quo tam detestabili parricidio nata est perniciosa discordia in domo illa, in qua facta est tunc illa partialitas Alborum et Nigrorum, quæ postea transivit Florentiam, sicut jam sæpe dictum est, et dicetur alibi, quia Dantes fuit de parte alba et ob hoc factus est exul. Ideo noluit præterire Focacciam, qui accendit tantum focum, magna sanguinis effusione extinguendum. Ad literam ergo: dicit iste proditor: *non Focaccia,* idest, non invenies Focacciam magis dignum figi in geliditium, quamvis fecerit multa mala præter prædictam proditionem, quæ prætermitto, quia non faciunt ad propositum. — *Non questi.* Hic iste spiritus transit a Pistorio Florentiam; et nominat alium tristem proditorem. Ad cuius cognitionem est breviter sciendum, quod iste fuit quidam civis florentinus de familia tuscorum; qui ut haberet hereditatem unius fratris sui, fraude occidit unicum filium suum, propter quod fuit clavatus in una vegete, et ductus per totam civitatem Florentiæ, et postea fuit decapitatus. Dicit ergo: *Non questi,* idest, non invenies istum magis dignum figi in geliditium; *che m' ingombra,* idest, qui (1) impedit me *col capo,* quia habebat caput altius eo ante eum, *sì, ch' io non veggio,* idest, videre non possum, *più oltre;* et specificat eum a nomine proprio, dicens: *e fu nomato Sassol Mascheroni;* et vere saxeus fuit, abolens (2) jura consanguinitatis; quia si Mordretus prodidit (3), hoc fecit cupiditate dominii: si (4) Focaccia, hoc fecit ex appetitu vindictæ; sed iste vilis, ut haberet vilem hereditatem. Et dicit: *ben sai omai chi fu, se tosco se',* quasi dicat: bene potes scire quis fuit, quia

(1) 116, quia. (2) S. quia abolens.
(3) S. prodidit patrem, hoc fecit cupiditate dominandi. Si Focaccia prodidit patruum, hoc fecit. (4) 116, sed Focaccia.

fuit tuus [1] florentinus, et per consequens tuscus, quia de provincia Tusciæ; fuit etiam [2] tuscus, quia de stirpe tuscorum. Et nota quod cum autor dicit, quod isti tres proditores non sunt magis digni glacie, quam prædicti duo fratres, loquitur hyperbolice, ad summe detestandum eorum [3] fratricidium. — *E perchè.* Nunc [4] dictus spiritus, qui nominavit tot proditores [5] consanguineorum, nominat se, et unum [6] consanguineum suum. Iste fuit quidam miles de Pazzis nobilibus de Valle Arni, vocatus dominus Ubertus Camisonus, qui occidit proditorie dominum Ubertinum consanguineum suum. Dicit ergo iste: *e sappi ch' io fui il Camicion de Pazzi,* re et nomine; et hoc ideo dico tibi, *perchè non mi metti in più sermoni,* quasi dicat Camisonus: bene scio quod tu petes a me: et tu, qui tot proditores non rogatus sponte nominasti? [7] ideo volui prævenire te. Et ad excusationem sui Camisonus accusat unum consortem suum, qui magis deliquit, prodendo consanguinitatem suam. Et ad huius literæ brevis, sed obscuræ, intelligentiam oportet scire [8] quod in MCCCII cum florentini [9] cum lucensibus essent in obsidione Pistorii, quod [10] tunc tenebatur per partem albam, quidam Carlinus de Pazzis prædictis tradidit unum castellum, quod dicitur Castellum Plani inter vineas in Valle Arni, in cuius occupatione occisi [11] fuerunt unus frater patris, et unus consanguineus eius. Et in dicto castro cum prædicto Carlino incluserant se aliqui ex melioribus ghibellinis exulibus, et aliqui ex albis magnatibus et popularibus, qui faciebant magnam guerram in Valle Arni. Ob quam causam florentini sunt

---

(1) 116, civis florentinus.
(2) E. fuit, et etiam.
(3) E. eorumdem.
(4) E. Hic prædictus spiritus.
(5) E. proditores, nunc nominat.
(6) S. et quemdam.
(7) S. nominasti, quis es? ideo. — 116, nominasti, quis fuisti? ideo.
(8) 116, præscire.
(9) 116, Florentia cum lucensibus esset.
(10) E. quæ tunc.
(11) E. occisi sunt, seu fuerunt.

compulsi recedere a Pistorio; et continuo iverunt in Vallem Arni ad dictum castellum de mense junii, quod obsederunt viginti octo diebus. Et in fine proditione dicti Carlini, corrupti pecunia florentinorum, obtinuerunt florentini dictum Castellum Plani; in quo multi præcipui (1) exules florentini, et albi (2), fuerunt interfecti et capti. Hoc facto florentini equitaverunt in Mugellum contra Ubaldinos, qui cum ghibellinis et albis rebellaverant communi Florentiæ, et vastaverunt (3) eorum bona citra et ultra (4) Alpem. Et hic nota, lector, quod autor poterat hic loco istius nominare aliquem alium proditorem antiquum, vel modernum, digniorem infamia; sed voluit potius notare (5) istum, qui offenderat suos (6) et albos exules, de quorum parte erat ipse Dantes. Ad literam ergo, dicit Camisonus: *et aspetto Carlin che mi scagioni,* quasi dicat: qui exculpet me, et tegat infamiam meam; non quia de rei veritate excusetur, imo stulta et vana excusatio est velare suum crimen sub umbra maioris vitii; sed hoc pro tanto dicit, quod (7) homo pravus reputat sibi ad quamdam alleviationem quando reperit alium (8) sibi parem peiorem se; vel quia homines solent conferre de aliquo malo novello dimisso primo, quasi velit dicere breviter: malum meum est leve respectu eius. Et loquitur de re futura, nondum enim Carlinus fecerat istam proditionem in MCCC, et adhuc vivebat.

Poscia vid' io. Ista est tertia pars generalis (9), in qua autor agit de secunda specie proditorum, et pœna eorum qui prodiderunt patriam, commune, vel partem; et primo proponit ipsam materiam in genere, dicens con-

(1) E. præcipue.
(2) E. alii fuerunt.
(3) S. vastaverant.
(4) 116, ultra montem.
(5) E. nominare.
(6) S. suos albos exules.
(7) E. e S. quia homo.
(8) 116, aliquem.
(9) E. generalis huius capituli in qua.

tinuative: *poscia vid' io mille visi cagnazzi,* idest, multas facies caninas [1], *fatti per freddo;* ita quod non videbantur amplius humanæ: et de rei veritate non habent amplius faciem, nec mentem humanam, imo caninam, qui tam crudeliter prodiderunt patriam, imo canes sunt fideles domui [2] suæ, et propugnant pro ea [3]; isti vero violata [4] fide impugnaverunt patriam, ideo dicit, *onde mi ven ribrezzo,* idest, rigor, horripilatio, *e verrà sempre di gelati guazzi,* scilicet, in futuro, quando recordabor. Et hoc potest intelligi ad literam, quia naturale est quod homo tremit in loco frigidissimo qualis erat iste; et potest intelligi moraliter [5] quod vir bonus et prudens abhorret ista crimina tam crudelia, imo communiter quando audimus talia nominari stringimus nos, et membra rigescunt, sicut in casu comitis Ugolini, de quo dicetur in fine huius capituli. — *E mentre.* Hic autor tractat curiose de uno spiritu moderno, qui prodidit patriam suam, et fuit causa magnæ fusionis [6] sanguinis; et primo fingit se ipsum percussisse illum [7] cum pede, nescio [8] quomodo. Ordina sic literam: *e non so se fu voler, o destino, o fortuna,* quasi dicat: sive hoc acciderit ex animositate quam habebam ad istum, sive ex prædestinatione divina, sive ex influentia cœli, iste proditor primo occurrit menti meæ ex omnibus proditoribus patriæ, *ma passeggiando fra le teste,* idest, deambulando inter capita proditorum qui habebant solum capita extra glaciem, *forte percossi il pe' nel volto ad una.* Et hic nota pulcerrimam fictionem: fingit enim quod cum pede, idest cum affectione percusserit [9] faciem istius fortiter, idest, eius honorem, quia numquam habebit [10] frontem inter

---

(1) E. caprinas. (2) E. domini sui. (3) E. pro eo.
(4) E. violenter et infideliter propugnaverunt.
(5) E. moraliter etiam quod. (6) E. e S. effusionis.
(7) E. alium. (8) E. e 116, nesciens.
(9) 116, percussit. (10) E. habebat.

homines, et vere inflixit sibi enorme vulnus cum pede; nam cum nullo gladio posset dari tale vulnus, quale Dantes dedit isti cum penna, ita quod perpetuo apparebit cicatrix, quia numquam poterit aboleri infamia, quæ durabit usque quo liber iste erit in memoria hominum. Et hoc fuit: *mentre ch' andavamo in ver lo mezzo,* idest, versus centrum, *al quale ogni gravezza si rauna,* quia omnia gravia tendunt ad centrum; *et io tremava ne l' eterno rezzo,* idest, in isto rigore et frigore odii. Et subdit querelam illius percussi, qui tangit proditionem perfidam, quæ fuit causa suæ damnationis et pœnæ. Et ad intelligentiam istius (1) literæ debes revidere (2) ea, quæ jam scripsi capitulo XIII de terribili conflictu, quem receperunt florentini a senensibus et exulibus suis, quando iverunt sub colore succurrendi Monti Alcino, ubi facta est magna strages hominum (3), et maxima præda rerum; nam ultra ruinam hominum, sexaginta millia salmariorum (4) perdita sunt, quæ portabant victualia, et alia (5) necessaria, causa fulciendi castellum, quod erat infestum senensibus, et causa alendi exercitum. Fuit autem ista pestis apud Montem Apertum opera domini Bocchæ de Abbatibus, qui incœpto prœlio amputavit cum ense proprio manum militis florentini, qui vocabatur dominus Jacobus del (6) Vacca de Pazzis de Florentia, qui portabat insignium militum. Ideo (7) bene autor: in despectum percussit eum in (8) caput; postea laceravit cum manu, et vituperavit cum lingua (9). Ad literam ergo; dicit autor: Ille Bocca fortiter percussus, *piangendo mi gridò: perchè mi peste?* idest, pedibus me percutis? *salvo se tu non vieni a crescer la vendetta di Monte Aperti,* quasi di-

(1) E. huius.
(2) E. videre.
(3) S. hominum et rerum.
(4) 116, salmorum.
(5) S. et omnia.
(6) E. del Nachacha de.
(7) E. Ideo dicit autor: unde in despectum.
(8) 116, in capite.
(9) E. lingua turpius. Ad literam.

cat: nisi forte venis ad addendam pœnam huic gravissimæ pœnæ, quam merenter porto pro proditione quam feci ad Montem Apertum, ubi fuit tanta cædes meorum civium, quod aqua fluminis Albiæ (1) colorata est rubeo ex sanguinis effusione. Ideo si venis ad percutiendum me dicta de causa habes jus, sed si non venisti propter hoc, *perchè mi moleste?* — *Et io.* Hic autor ostendit quomodo ipse factus avidus sciendi quis erat iste qui nominaverat Montem Apertum, rogavit Virgilium ut permitteret sibi quærere de isto. Unde dicit: *Et io,* supple dixi: *o maestro mio,* idest, o Virgili, *or qui m' aspetta,* quia Virgilius præcedens continuo ibat; et ecce causam, *sì ch' io esca d' un dubbio per costui,* quia iste sponte dixerat se reum cladis factæ ad Montem Apertum; et dicit: *poi mi farai, quantunque vorrai, fretta,* scilicet, in aliis proditoribus videndis. Et subdit quomodo de consensu Virgilii ipse interrogavit illum, unde dicit: *lo duca stette,* idest, Virgilius firmavit se, ut possem attentius investigare de isto, *et io dissi a colui,* scilicet Bocchæ, *che biastemava duramente ancora: Qual se' tu che sì rampogni altrui?* — *Or tu.* Hic autor ponit responsionem Bocchæ qui non respondet ad petitionem autoris, sed tamquam iratus improperat autori temeritatem; unde dicit autor: et ille Bocca, *rispose: Or tu chi se', che vai per l'Antenora.* Ad quod notandum quod secunda pars sive regio istius lacus gelati vocatur Anthenorea, ab Anthenore troiano, qui prodidit nobilissimam patriam suam hostibus crudelissimis, qui illam ferro et igne funditus everterunt, viris trucidatis, mulieribus, pueris et turba imbelli (2) in servitute adductis, ex quo natio troianorum dispersa est per mundum, et facta est fabula poetarum græcorum. Ad propositum ergo in ista parte se-

(1) 116, Arbiæ.
(2) S. imbelli in servitutem adductis. — E. imbelli servitute adduxerunt, ex quo.

cunda punitur secunda species proditorum, qui prodiderunt patriam et commune suum. Et dicit: *percotendo altrui le gote,* scilicet cum pede, quod est valde contumeliosum, *sì, che se fossi vivo troppo fora?* idest, nimis esset. Iste Bocca non poterat videre autorem, quia tenebat faciem revolutam ad glaciem, et oculos clausos nimio frigore. Et autor ponit suam responsionem, et non respondet petitioni eius, sed uni verbo quod ille dixerat de vita; unde dicit: *mia risposta fu: io son vivo,* quasi dicat: non sum de numero proditorum patriæ hic mortuorum et punitorum, sed vivus huc veni, ut referam nova de vobis ad mundum viventium, sicut et de cæteris peccatoribus, ideo dicit: *e caro esser ti puote, se dimandi fama, ch' io metta il nome tuo tra l' altre note,* idest, inter alias literas quibus notavi alios dignos fama. Et ponit responsionem illius indignantis de tali oblatione; Unde dicit: *et elli a me,* supple dixit: *io ho brama del contrario,* scilicet, quod numquam facias memoriam de me: et bene dicit, quia omnis fama proditoris cedit sibi ad maiorem infamiam; et iratus dat sibi repulsam dicens: *lèvate quinci,* quasi dicat: vadas cum diabolo, *e non mi dar più lagna,* idest, molestiam et querelam, *chè mal sai lusingar per questa lama,* idest, per istam glaciem quæ est bassa et plana ad modum lamæ et lacunæ aquæ mortuæ, quasi dicat, male scis persuadere in ista regione proditorum; et verum dicit, quia non est modus persuadendi proditori promittere sibi famam. — *Allor.* Hic autor ostenso quomodo se habuerit ad istum verbis, nunc ostendit quomodo se habuit factis et dictis, dicens: *allor lo presi per la coticagna,* idest, capillos (¹) cutis, *e dissi: el converrà che tu ti nomi,* idest, manifestes te nomine, *o che capel qui su non ti rimagna.* Ergo (²)

(¹) S. per capillos cutis. (²) 116, quasi dicat: ergo.

quod non potui obtinere bonis verbis obtinebo malis factis. Et per hoc autor innuit quod proditor est cogendus præ cæteris reis ad manifestandam proditionem sæva quæstione tormentorum, sive quod ultra pœnam communem quam sibi irrogat justitia, est irroganda pœna privata cum omni contumelia verborum et operum; et ostendit pertinaciam illius dicens: *ond' elli a me,* scilicet dixit: *non dirò ch' io mi sia perchè tu mi dischiomi,* idest, evellas mihi comam et depiles me [1], *nè mostrerolti,* idest, nec indicabo quis sim aliquo signo, unde numquam voluit levare faciem, *se mille fiate in sul capo mi tomi,* idest, si saltes cum pedibus supra caput meum, et ludibrium facias pedibus et manibus; sicut videmus aliquando quod unus proditor non potest compelli ad confessionem aliquo genere suppliciorum. — *Io.* Hic autor ostendit quomodo ipso instante ad extorquendam sibi manifestationem, quidam tertius casualiter nominavit eum; unde dicit: *io avea già i capelli in mano avvolti e tratti li n' avea più d' una ciocca, latrando lui,* idest [2], ad modum canis clamante, quia, jam dictum est, quod isti habent facies caninas, *con gli occhi in giù raccolti,* quia ex forma pœnæ tenebat oculos ad glaciem; et nunc plus conabatur inclinare visum, quia nullo modo volebat videri, timens ne cognosceretur, *quando un altro gridò: che hai tu, Bocca?* Et est hic Bocca nomen proprium non commune, *non ti basta sonar con le mascelle?* Hoc dicit, quia resonabat dentibus ex frigore more ciconiæ, *se tu non latri,* scilicet more canis, *qual diavol ti tocca?* quasi dicat: quæ pœna est addita tibi ultra glaciem? Et concludit autor quomodo cessaverit a vexatione eius audito nomine, dicens: *diss' io, o malvagio traditor, omai non vo' che tu favelle,* quia habeo quod petebam. Ideo

---

(1) E. e 116, me totum.
(2) E. idest eo, ad modum canis latrantis clamante.

cunda punitur secunda species proditorum, qui prodiderunt patriam et commune suum. Et dicit: *percotendo altrui le gote,* scilicet cum pede, quod est valde contumeliosum, *sì, che se fossi vivo troppo fora?* idest, nimis esset. Iste Bocca non poterat videre autorem, quia tenebat faciem revolutam ad glaciem, et oculos clausos nimio frigore. Et autor ponit suam responsionem, et non respondet petitioni eius, sed uni verbo quod ille dixerat de vita; unde dicit: *mia risposta fu: io son vivo,* quasi dicat: non sum de numero proditorum patriæ hic mortuorum et punitorum, sed vivus huc veni, ut referam nova de vobis ad mundum viventium, sicut et de cæteris peccatoribus, ideo dicit: *e caro esser ti puote, se dimandi fama, ch' io metta il nome tuo tra l' altre note,* idest, inter alias literas quibus notavi alios dignos fama. Et ponit responsionem illius indignantis de tali oblatione; Unde dicit: *et elli a me,* supple dixit: *io ho brama del contrario,* scilicet, quod numquam facias memoriam de me: et bene dicit, quia omnis fama proditoris cedit sibi ad maiorem infamiam; et iratus dat sibi repulsam dicens: *lèvate quinci,* quasi dicat: vadas cum diabolo, *e non mi dar più lagna,* idest, molestiam et querelam, *chè mal sai lusingar per questa lama,* idest, per istam glaciem quæ est bassa et plana ad modum lamæ et lacunæ aquæ mortuæ, quasi dicat, male scis persuadere in ista regione proditorum; et verum dicit, quia non est modus persuadendi proditori promittere sibi famam. — *Allor.* Hic autor ostenso quomodo se habuerit ad istum verbis, nunc ostendit quomodo se habuit factis et dictis, dicens: *allor lo presi per la coticagna,* idest, capillos [1] cutis, *e dissi: el converrà che tu ti nomi,* idest, manifestes te nomine, *o che capel qui su non ti rimagna.* Ergo [2]

---

(1) S. per capillos cutis. (2) 116, quasi dicat: ergo.

quod non potui obtinere bonis verbis obtinebo malis factis. Et per hoc autor innuit quod proditor est cogendus præ cæteris reis ad manifestandam proditionem sæva quæstione tormentorum, sive quod ultra pœnam communem quam sibi irrogat justitia, est irroganda pœna privata cum omni contumelia verborum et operum; et ostendit pertinaciam illius dicens: *ond' elli a me,* scilicet dixit: *non dirò ch' io mi sia perchè tu mi dischiomi,* idest, evellas mihi comam et depiles me (1), *nè mostrerolti,* idest, nec indicabo quis sim aliquo signo, unde numquam voluit levare faciem, *se mille fiate in sul capo mi tomi,* idest, si saltes cum pedibus supra caput meum, et ludibrium facias pedibus et manibus; sicut videmus aliquando quod unus proditor non potest compelli ad confessionem aliquo genere suppliciorum. — *Io.* Hic autor ostendit quomodo ipso instante ad extorquendam sibi manifestationem, quidam tertius casualiter nominavit eum; unde dicit: *io avea già i capelli in mano avvolti e tratti li n' avea più d' una ciocca, latrando lui,* idest (2), ad modum canis clamante, quia, jam dictum est, quod isti habent facies caninas, *con gli occhi in giù raccolti,* quia ex forma pœnæ tenebat oculos ad glaciem; et nunc plus conabatur inclinare visum, quia nullo modo volebat videri, timens ne cognosceretur, *quando un altro gridò: che hai tu, Bocca?* Et est hic Bocca nomen proprium non commune, *non ti basta sonar con le mascelle?* Hoc dicit, quia resonabat dentibus ex frigore more ciconiæ, *se tu non latri,* scilicet more canis, *qual diavol ti tocca?* quasi dicat: quæ pœna est addita tibi ultra glaciem? Et concludit autor quomodo cessaverit a vexatione eius audito nomine, dicens: *diss' io, o malvagio traditor, omai non vo' che tu favelle,* quia habeo quod petebam. Ideo

(1) E. e 116, me totum.
(2) E. idest eo, ad modum canis latrantis clamante.

dicit: *ch' a la tua onta,* idest, in tuam contumeliam et despectum, *io porterò di te vere novelle.* — *Va.* Hic autor ostendit quomodo Bocca (1) iratus non valens ulterius se celare, manifestavit in vindictam illum proditorem qui nominaverat eum, et quosdam alios. Dicit ergo: *diss' elli,* scilicet ille Bocca, *va via,* non mineris amplius mihi, *e ciò che tu vuoi conta,* quasi dicat: dic quam peius potes, ex quo non possum aliud, sed rogo te: *ma non tacer di quel ch' ebbe or così la lingua pronta,* scilicet ad exclamandum contra me nominando me, quia si ego tuscus prodidi patriam, ipse lombardus prodidit partem simul cum patria; et adiurat eum per id quod maxime tunc optabat, dicens: *se tu di qua entro eschi,* quasi dicat: si Deus det tibi tantam gratiam quod tu evadas de isto loco pœnarum, et feliciter finias opus incœptum istius inferni, cuius es prope finem; vel si tu evadas a manibus proditorum, qui sunt hic: et manifestat eum a culpa qua hic damnatus est. Ad sciendum autem, quis fuerit iste proditor, est sciendum, quod iste fuit quidam miles cremonensis, vir prudens et potens tempore suo, vocatus dominus Bosius de Dueria (2), princeps partis ghibellinæ in Cremona; qui corruptus pecunia commisit patentem proditionem contra partem suam. Nam tempore quo Carolus primus venit in Italiam contra Manfredum, Ubertus Marchio Palavicinus affinis Manfredi cum cremonensibus, et auxilio aliorum lombardorum, qui erant confœderati cum Manfredo, paraverat (3) se ad custodiam passus cum tribus (4) millibus equitum theutonicorum et lombardorum, ne Guido de Monforte, qui ducebat gentem (5) Caroli per terram, armatam turmatim, posset transire. Sed Bosius de Dueria (6), non alia causa

(1) E. iste Bocca.
(2) S. de Doaria. — E. de Dovaria.
(3) 116, paraverunt.
(4) 116, multis.
(5) S. exercitum.
(6) S. de Doaria. — E. de Dovaria.

quam sola cupiditate avaritiæ, dedit operam, quod exercitus Manfredi non impediret militiam Caroli; ex quo postea (1) populus cremonensis destruxit stirpem illorum de Dueria. Ad propositum ergo dicit Bocca de Bosio: *ei piange qui l' argento de' Franceschi;* nam uxor Caroli veniens cum Guidone de Monforte portabat secum magnam pecuniam, cum qua venenavit (2) avaram mentem Bosii. Sed certe si Bosius luit hic argentum francorum, bene luerat ipsum prius in vita; nam post modicum (3) tempus expulsus de Cremona, reduxit se ad unum suum castellum nomine Rotera, ubi congregaverat magnas divitias, et ibi diu obsessus, finaliter recessit cum modica pecunia; et senex, exul et pauper infeliciter finivit vitam suam, odiosus guelphis, quorum erat hostis; et ghibellinis, quia fecerat recedere Marchionem Ubertum de Cremona, et fuerat ad exterminium Eccerini. Nam cum Marchione prædicto Palavicino adiuverat Azonem secundum Marchionem Estensem in debellatione Eccerini, ut dicetur capitulo IX Paradisi. Et dicit Bocca (4) Danti: *tu potrai dir,* scilicet, cum fueris reversus ad mundum, unde vivens venisti, *io vidi quel da Duera,* scilicet, dominum Bosium de Dueria; *là dove i peccatori,* idest, proditores (5), *stanno freschi,* scilicet in glacie, pœna sibi convenienti. — *Se.* Hic Bocca nominato proditore qui nominaverat eum, nominat alium lombardum. Ad cuius notitiam est sciendum, quod anno Domini MCCLVIII, cum pulsi fuissent Uberti et ghibellini de Florentia, prima vice, de mense julii, populus Florentiæ, de mense septembris sequentis fecit capi abbatem Vallis Umbrosæ, qui vocatus est Thesantus (6), et

---

(1) E. postea cremonenses destruxerunt domos illorum de Dovaria.
(2) E. venenavit magnam avaritiam, et mentem.
(3) E. modicum expulsus.
(4) E. iste Bocca.
(5) S. peccatores.
(6) E. e 116, Thesaurus.

erat magnus nobilis de illis de Becharia, qui erant domini Papiæ; obiicientes sibi, quod tractabat proditorie reducere ghibellinos in Florentiam. Et multis cruciatibus fecerunt ipsum confessum decapitari publice in platea Sancti Apollinaris, talis est furor populi; propter quod Florentia fuit excommunicata, et multi florentini fuerunt destructi, cum transirent per Lombardiam a dictis dominis de Papia. Ad literam ergo; dicit Bocca Danti: *se fossi dimandato altri chi v' era,* idest, quis alius proditor erat ibi cum Bosio de Dueria: *tu hai dal lato quel di Beccheria, di cui segò Fiorenza la gorgiera,* idest, cui Florentia amputavit guttur, quia fecit eum decollari, et nihil valuit sibi clerica. Et hic nota, quod aliqui dixerunt, quod iste abbas non fuerat conscius, et quod propter istud peccatum, et intollerabilem superbiam florentinorum, habuerunt postea conflictum ad Montem Apertum, de quo dictum est paulo supra; tamen autor (1) ponit eum culpabilem, ut patet. Nota etiam quod autor numerat (2) istum papiensem inter proditores patriæ, quia iste poterat dici florentinus, ratione incolatus, quia erat ibi beneficiatus. — *Gianni.* Hic Bocca præfatus nominat alium proditorem concivem suum. Et ad sciendum, quomodo iste prodidit, debes recordari, qualiter tempore quo fratres Gaudentes fuerunt Potestates Florentiæ, Uberti, Lamberti et alii ghibellini (3) insurrexerunt contra regentes tunc populum; ex quo populus fuit tunc totus sub armis, et reduxerunt se omnes in viam largam Sanctæ Trinitatis. Et dominus Johannes de Soldaneriis de Florentia, nobilis miles, licet esset ghibellinus et de domo ghibellina, fecit se caput populi, ut ascenderet ad magnum statum, non respiciens finem, qui fuit destructio partis ghibellinæ. Nam duce dicto Johanne, post lon-

(1) E. autor nominat istum.
(2) 116, nominat.
(3) 116, florentini ghibellini.

gam pugnam ghibellini coacti sunt exire civitatem, ut alibi dictum est. Hunc proditorem partis suæ autor tangit a nomine et cognomine, dicens: *Gianni del Soldanier*. Ista fuit antiqua familia Florentiæ, de qua dicetur Paradisi capitulo XVI, *credo che sia più là,* ultra istos ante nos; et dat sibi socium antiquum qui enormius prodidit sectam christianam; et quia iste est notissimus in vulgo, ideo autor simpliciter et breviter ponit solum nomen eius. Et tamen ne dimittam aliquid indiscussum, dico quod sicut scribit Turpinus archiepiscopus remensis in turpi stylo, Carolus magnus, recuperata tota Hispania de manibus saracenorum, cum reverteretur in Galliam hospitatus est cum exercitibus (1) suis apud Pampilonam. Eo tempore duo reges saraceni, scilicet Marsilius et Belligandus frater eius, erant (2) Cæsar-Augustam, quibus Carolus mandavit per Gamelonem, ut assumerent baptismum, et tributum solverent. Illi (3) malo dolo mittentes munera magna Carolo, responderunt se facturos omnia imperata; ipsum vero Gamelonem corruperunt pecunia magna, ut perfide traderet fortissimos bellatores in (4) manus eorum. Carolus itaque prava suggestione Gamelonis disponens venire in Galliam, quo reges dixerant se venturos ad eum, præcepit Rolando (5) nepoti suo comiti Cenomanensi, et Oliverio comiti Gebennensi, ut cum melioribus pugnatoribus et viginti millibus militum christianorum ultimam custodiam facerent in Roncivalle, donec ipse transiret cum reliquo exercitu portus cæsareos. Et ecce cum Carolus transiret, præfati reges (6) fratres, qui consilio Gamelonis jam per biduum latuerant in insidiis in nemoribus et sylvis, primo cum multitudine viginti millium barbarorum invaserunt

(1) E. cum militibus suis.
(2) E. erant apud Cæsarem-Augustum.
(3) E. Tunc illi.
(4) 116, in manibus.
(5) E. Orlando.
(6) E. reges, qui consilio Gamelonis.

a tergo aciem christianorum qui remanserant ad custodiam. Sed christiani pares illis numero, et superiores virtute et viribus illos faciliter debellarunt (1) et deleverunt, velut tempestas quæ cito segetem sternit. Sed proh dolor! alia turma triginta millium saracenorum recens invasit nostros jam fessos et lapsos, de quibus fecerunt tantam stragem, quod ex viginti millibus nullus evasit, alii truncati, alii mactati, alii lacerati; de omnibus factum est ludibrium miserabile et triste spectaculum; quid autem factum sit de Rolando (2), qui cum paucis evasit, jam scriptum est supra capitulo XXXI. Carolus in eo loco explorata veritate proditionis Gamelonis, jussit illum quatuor equis fortissimis alligari, et in quatuor partes dignissime discerpi, ut sicut animum habuerat divisum, ita et corpus eius infeliciter divideretur (3); sicut Tullus Hostilius tertius rex romanorum a simili fecit duabus quadrigis alligari corpus Metii Sufetii regis albanorum propter crimen proditionis quod attentaverat contra ipsum et exercitum romanum, licet non potuerit efficere. Et ultimo Bocca (4) nominat alium socium, qui similiter prodidit partem et patriam suam. Et ad cognoscendum istum debes scire, quod iste nequam proditor nomine Thebaldellus fuit de Ciambrasiis (5) nobilibus de Faventia, cuius tempore ghibellini bononienses (6), vocati Lambertacii, expulsi de patria, reduxerunt se Faventiam, in qua tunc vigebat et regnabat pars ghibellina. Accidit ergo quod aliqui ex istis Lambertaciis furati fuerunt duos pulcerrimos porcos isti Thebaldello. Iste sæpe conquestus, cum nullam posset habere emendationem, juravit se ulturum. Ordinavit ergo tradere Faventiam bononiensibus; quod sagaciter

(1) E. debellaverunt, velut.
(2) E. Orlando.
(3) E. terminando divideretur.
(4) E. hic Bocca.
(5) E. de Zambranis.
(6) E. Bononiæ.

adimplevit. Nam introduxit eos tempore nocturno, nullis (1) verentibus aut suspicantibus tale quid. Ex quo Lambertacii aufugerunt nudi de lectis pro magna parte cum uxoribus et filiis; propter quod fuerunt per varias partes dispersi per Italiam. Et sic vide, quomodo Thebaldellus ex minima offensa fecit tam odiosam vindictam. Ad propositum ergo autor describit ipsum a nomine et proditione, dicens: *e Tebaldello;* iste licet nobilis, tamen spurius erat, *che aprì Faenza quando si dormiva,* scilicet bononiensibus antiquis hostibus suis. Unde dicitur adhuc in partibus meis, quando videtur unus, qui habeat malum aspectum: iste videtur ille qui Faventiam prodidit (2). Et nota, quod iste proditor in præmium suæ proditionis fuit factus miles a communi bononiensi; sed non diu lætatus est ista victoria. Nam post modicum tempus fuit trucidatus in strage gallorum facta apud Forlivium per comitem Guidonem de Montefeltro, ut alibi dictum est.

Noi eravam partiti. Ista est quarta et ultima pars generalis huius capituli, in qua autor agit et tractat de duobus magnis proditoribus in speciali; quorum unus prodidit partem et patriam, et fuit proditus ab altero. Unus fuit comes Ugolinus de Pisis: alter archiepiscopus Rogerius de Ubaldinis. Et fingit autor subtiliter, quod dictus comes cum dentibus crudeliter rodat cerebrum dicti archiepiscopi a tergo, qui fecit eum tam crudeliter mori, sicut patet in capitulo sequenti. Dicit ergo primo, continuans dicta dicendis: *Noi eravam partiti già da ello,* scilicet ab illo Bocca, cui laceraveram capillos cum manu, cum pervenimus ad unum qui cum dentibus lacerabat caput alteri; unde dicit: *ch' io vidi due ghiacciati in una buca,* idest, in uno foramine glaciei, *sì che l' un*

(1) E. nullis advertentibus aut sapientibus tale quid.
(2) 116, tradidit.

capo a l' altro era cappello, quia scilicet comes Ugolinus tenebat suum caput supra caput archiepiscopi, et tegebat illud more capelli, non tamen ad defensionem, imo ad crudelissimam offensionem. Et specificat istam rosionem capitis per unam comparationem valde claram et domesticam, dicens: *e il sovrano,* scilicet, comes, *pose li denti all' altro,* scilicet, archiepiscopo, *là ove il cervel se giunge con la nuca,* idest, occipitio. Unde nota, quod sicut tradunt peritissimi physici cerebrum dat virtutem sensus et motus toti corpori; ideo oportuit quod totum cerebrum aliquid substantiæ, et aliquid similitudinis suæ mitteret per totam corporis longitudinem. Hoc autem facit mittendo medullam albam quæ nuca vocatur; quæ medulla tendit per longitudinem colli et dorsi, administrans motum toti parti inferiori corporis per nervos ortos ab ipsa. Ideo subtiliter dicit Dantes quod iste comes cœperit (¹) archiepiscopum rodere ea parte qua cerebrum coniungitur cum nuca, *così come il pan per fame si manduca.* Et hic nota quod comparatio ista propria bene convenit huic actui et operationi. Sicut enim ex fame homo avidissime comedit panem ad satiandum appetitum suum, ita iste ex ira avidissime rodebat cerebrum (²) ad satiandum appetitum vindictæ. Nota etiam quod autor per istam fictionem dat intelligi quod mors crudelissima comitis Ugolini rodit, lacerat et infamat memoriam archiepiscopi; ideo infixit dentes in cellulam memorialem illius, sicut momorderat sibi ipsi manus ex dolore. — *Non.* Hic autor volens ostendere iram insatiabilem comitis (³) adducit aliam comparationem magis propriam de alio qui usus est simili actu bestialitatis in simili casu supra inimicum

(¹) E. cœpit archiepiscopum rodere parte qua.
(²) E. cerebrum huic ad satiandum.
(³) E. comitis Ugolini prædicti adducit.

suum. Ad cuius rei intelligentiam plenam expedit meminisse, quod jam sæpe in isto Inferno facta est mentio de infelici et infami bello, quod gesserunt septem reges græcorum contra civitatem Thebarum; nam dictum est de morte mirabili Amphiarai peritissimi auguris, de morte [1] justissima superbissimi Capanei, de morte rabida desperati Polynicis cum fratre suo Ethiocle. Nunc autor per modum comparationis artificialiter tangit rabiem feralem iracundissimi Tydei in morte suprema. Ad cuius claram cognitionem est ulterius sciendum quod, sicut scribit Statius II Thebaidos, Polynices thebanus et Tydeus calidonius, uterque exul facti generi regis Adrasti senis, qui regnabat in Argos, fecerunt consilium cum rege de repetendo regnum Thebarum ab Ethiocle, quod Polynices [2] ex pacto dimiserat illi per annum; et obtentum fuit in consilio pro meliori, quod prætentaretur fides fratris potius precibus quam armis. Quare Tydeus sponte assumpsit legationis officium; qui parvus corpore, magnus animo, fortis et audax veniens Thebas locutus est aspere, licet juste, coram Ethiocle; sicut erat rudis lingua sed calidus ira, admonens illum, ut imponeret modum rebus lætis, et deponeret gaudia regni, quia jam satis dives et spectabilis deriserat macrum animum pauperis fratris. Cui Ethiocles superbe respondit: o furibunde, non arguo te dementia animi, quia refers mandata domini tui; an regina assueta superfluitatibus regis senis poterit pati hanc pauperem domum, cui sorores nostræ serviliter [3] famulentur? jam animi vulgi assueverunt jugo meo, non parcit populis regnum breve. Tunc Tydeus indignans [4] clamare cœpit: reddes reddes, velis nolis; et præceps evolavit per

---

[1] E. morte superbissimi.
[2] E. Polynices frater Etheoclis ipsius dimiserat illi cum pacto per annum.
[3] E. servire. [4] E. indignatus.

mediam turbam astantium. Et continuo Ethiocles misit milites electissimos quinquaginta cum furore, qui persequerentur et trucidarent Tydeum recedentem, qui paraverunt sibi insidias parum a longe a Thebis in loco opportuno; et breviter Tydeus omnes occidit præter unum solum qui nuntius ferret (1) factum. Sed de hoc, lector, non (2) nimis miror, quia Tydeus erat naturaliter fortissimus, et accidentaliter accensus justissima ira; et in loco alto adhærens monti cum tergo faciliter poterat mactare et præcipitare subiectos sibi in loco inferiori, qui (3) parum poterant lædere eum. Sed magis miror quod Homerus et Statius qui sequitur eum, ponunt istum regem famosum (4) legatum tot regum, fuisse solum in ista legatione, ita quod non videtur habuisse secum unum armigerum, vel vilem stabularium; quanto melius Virgilius qui facit, quod Eneas misit centum oratores ad regem Latinum. Deinde sicut scribit Statius in VII, stante obsidione circa Thebas, Jocasta tristissima mulierum in habitu miserabilissimo venit ad castra ad filium Polynicem, et cœpit increpare illum, qui ostendebat sibi pietatem filialem, admonens ut ipsemet iret secum intra urbem, et repeteret regnum a fratre, quia aut frater redderet, aut ipse resumeret arma justiore causa. Et jam Polynices videbatur moveri lacrymis et precibus matris et sororum, nec Adrastus senex vetabat; sed Tydeus memor justæ iræ interrupit (5), dicens: mittite potius me, o socii, qui expertus sum fidem Ethioclis, cuius pacem egregiam et bona fœdera porto adhuc in pectore hoc, ubi tunc erat mater mediatrix fidei et pacis; duc me in illum campum qui est pinguis sanguine vestro et meo. Heu nimium mitis ista plorabat, et tu arma depones, heu demens! an ille cum habebit te odiosum inclusum

(1) 116, referret. — E. retulit. (2) S. non minus. — E. non nimis mireris.
(3) E. quia. (4) E. furiosum. (5) 116, increpuit.

intra mœnia sua remittet te in castra græcorum? ante ista hasta florebit expulso ferro. Deinde, ut scribit Statius in VIII, thebanis egressis urbem in campum factum est atrocissimum prœlium, in quo Tydeus mirabiliter se (1) habuit; illum hostes timebant et fugiebant clamantem (2): quo terga datis? Et jam Tydeus clauserat se corporibus morientium (3) in armis, et tota acies fatigabatur circa unum, et jam quatiebat scutum repletum densa sylva hastarum ferratarum; jam sanguis erat in galea, et jam fluvius sanguinis et sudoris laverat (4) pectora eius, ecce hasta magna emissa manu militis thebani, cui nomen erat Menalippus, * percussit eum lethaliter, nec apparuit autor vulneris, et ipse Menalippus * (5) non manifestavit se, et voluisset non videri, sed gaudia turbæ monstrabant illum trepidum. Tunc socii tristes retraxerunt eum a prœlio, cupientem adhuc magno ardore pugnare, et nolentem mori in media morte; sed sentiens vitam et animositatem suam recedere frigore extremo, firmans se ad terram cœpit clamare magnifice: o socii, non vos precor quod ossa mea referantur in patriam, quia non facio curam de supremo funere (6), quia habeo odio membra, et hunc fragilem usum corporis desertorem animi; sed, o si quis portet mihi (7) tuum caput, Menalippe! vade (8), precor, o nobilis Ipomedon et Parthenopæe juvenis gloriose, et tu maxime Capanee, vade. Ad hæc verba tam arcta (9) continuo moti sunt omnes; sed Capaneus primus ivit furibunde, et Menalippum vulneratum repertum reportavit in humero suo sinistro pendentem et cruentantem terga san-

(1) S. sese.
(2) E. et ipse clamabat: quo.
(3) E. morientium, et armis.
(4) S. impleverat.
(5) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(6) S. honore funeris, quia.
(7) 116, mihi caput, si quis portet mihi tuum caput, Menalippe!
(8) E. vale, precor.
(9) S. ardua.

guine multo. Tydeus ad eius eventum (1) se erexit et occurrit illi cum vultu, et factus amens lætitia et ira, mandavit, ut caput (2) truncatum porrigeretur sibi, et iniecit dentes atroces in illud, et fracto cerebro, os suum maculabat (3) sanguine vivo, nec socii poterant eripere ipsum sibi. Post hæc, ut dicit Statius libro VIIII, rabies audita crudelis Tydei exasperavit mentes thebanorum; et ipsi græci etiam minus (4) deploraverunt ipsum mortuum conquerentes quod Tydeus ruperat leges odii. Sed Polynices irruens super corpus amici, facta amara quærela, volebat se interficere ense, sed socii retinuerunt eum, et socer Adrastus increpuit illum; sed quanto melius erat Polynici interficere se! Ex dictis ergo satis patet, quanta rabie Tydeus ostenderit crudele odium super Menalippum. Nunc ad literam, dicit autor: *non altrimenti,* idest (5), similiter, *Tideo sì rose le tempie a Menalippo per disdegno,* indignabatur enim vir magnanimus quod esset interfectus manu militis gregarii, *che quei,* scilicet, comes, *faceva,* idest, rodebat, *il teschio,* idest, craneum capitis, *e l' altre cose,* scilicet, cerebrella (6); quasi dicat, quod comes faciebat pari modo quo olim Tydeus. Et hic nota quod Tydeus non habebat tam justam causam indignationis sicut iste comes, quia Tydeus fuerat vulneratus ab hoste in publico prœlio, quod licitum est de jure gentium; sed comes Ugolinus fuerat adiudicatus morti crudelissimæ, proditione amici, quo fidebat. — *O tu.* Hic autor ostendit qualiter viso actu in homine (7) quem numquam viderat, licet legisset hoc de Tydeo, factus avidus cognoscendi hominem petivit de causa tantæ crudelitatis, dicens: *diss' io: o tu che mostri odio,* quod est peius ira, *sopra colui che tu ti*

(1) 116, adventum. (2) E. caput illius truncatum.
(3) 116, maculavit. (4) E. nimis. (5) E. immo.
(6) 116, cerbella. — E. cerebela. (7) E. in hominem.

mangi per sì bestial segno, quia istud est contra omnem humanitatem, *dimmi il perchè,* idest, dic mihi causam; et ut reddat eum benevolum dicit: *per tal convegno,* idest, tali conventione et pacto, *che io ancora te ne cangi,* idest, remunerem te, *suso nel mondo,* scilicet, viventium, dando illi infamiam perpetuam, *sappiendo,* scilicet ego, *chi voi siete,* scilicet vos ambo, *e la sua pecca,* idest, eius peccatum contra te, *se tu ti piangi di lui a ragion,* idest, si juste petis talem vindictam de eo. Et jurat se servaturum quod promittit, dicens: *se quella con ch' io parlo non si secca,* quasi dicat: si lingua non deficit (1) mihi; et bene servavit promissum.

---

(1) E. deficiat.

CANTUS TRIGESIMUS TERTIUS, *in quo tractat de eisdem sub titulo comitis Ugolini et archiepiscopi Rogerii, et de modo suæ mortis et filiorum suorum; et in fine abominatur fratrem Alberichum de Romandiola, et aliquos Januenses, et vocat istum locum Tolommea.*

La bocca sollevò dal fiero pasto. Postquam in præcedenti capitulo autor noster circa finem persuasit comiti Ugolino pisano ut narraret sibi causam suæ crudelitatis contra archiepiscopum Rogerium; nunc consequenter in præsenti XXXIII capitulo ostendit quomodo dictus comes narraverit (1) mortem acerbissimam sui et filiorum suorum, cuius dictus archiepiscopus fuit autor et effector. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in quarum prima autor ponit miserabilem (2) orationem comitis Ugolini ad se. In secunda facit mordacem invectivam contra civitatem pisanam (3), quæ admisit in se tam horrendum facinus, ibi: *Ah Pisa.* In tertia autor tractat de tertia specie proditorum, qui prodiderunt amicos vel propinquos ad mensam; et in speciali describit unum spiritum modernum, qui nominat alium spiritum modernum eiusdem speciei, ibi: *E forse appare ancora.* Ad primum veniens dico, quod autor ponit orationem comitis (4) ad se; et primo continuans se ad præcedentia prædisponit et apparat ipsum ad loquendum, dicens: *quel peccator,* idest, comes (5) proditor, *sollevò la bocca,* idest, removit os, quia non poterat expedite loqui manducando. Et nota quod litera debet di-

(1) S. narraverit sibi mortem. — 116, narravit sibi mortem.
(2) E. mirabilem.
(3) E. e 116, Pisarum.
(4) E. comitis Ugolini.
(5) E. comes ille proditor.

cere, *sollevò,* et non *se levò,* ita quod debet proferri et scribi composite, non divisim, quia tunc esset sententia imperfecta, et litera non posset construi; *dal fiero pasto,* idest, a cibo ferino et non (1) humano; naturaliter enim homo non comedit hominem, nisi forte esset aliquis barbarus inhumanus, sed feræ sic, *forbendola a' capelli,* quia cum tanta aviditate vorabat, quod deturpabat sibi os, sicut faciunt feræ et homines bestiales, et tergebat se ad capillos, quia non habebat aliud mensale; *del capo,* scilicet, archiepiscopi, qui tamen debebat habere paucos (2) propter clericam, *ch' egli avea di retro guasto,* scilicet cum dentibus; hoc dicit, quia retorquebat omnem culpam in eum. — *Poi.* Hic autor ostendit quomodo comes præparatus cœpit orationem suam dolorosam, in qua primo invitat ipsum ad pietatem, et commiserationem; unde dicit: *poi cominciò,* scilicet, loqui et dicere mihi: *tu vuoi ch' io rinovelli,* idest (3), de novo referam tibi, *disperato dolor che 'l cor mi preme,* idest, angustiat, et lacerat stimulis suis, non minus quam ego cerebrum istius cum dentibus, *già pur pensando, pria ch' io ne favelli.* Et quia autor promiserat se daturum infamiam inimico suo, comes cupidus vindictæ offert se dicturum id quod petierat sibi, licet non sine planctu; unde dicit: *ma parlar e lagrimar vedrai insieme,* scilicet me comitem tibi; *se le mie parole esser den seme, che frutti infamia al traditor ch' io rodo,* quasi dicat: quamvis dolor meus maxime incendatur ex renovatione amari finis mei, tamen hoc faciam si sit semen, quod pariat fructum infamiæ (4) ei. Et sic vide quod comes non respondebit (5) ad petitionem autoris, quia quærat (6) sibi famam quam

---

(1) E. et naturaliter inhumano.
(2) E. qui tamen debebat habere paucos capillos propter.
(3) E. idest, quod de novo.
(4) S. infamiæ eius.
(5) E. respondebat.
(6) E. quærebat.

non quærit (1) proditor, ut dictum est in capitulo præcedenti, sed ut adaugeat (2) infamiam hosti. Et iterum captat benevolentiam a persona autoris, dicens: *io non so chi tu sii, nè per che modo venuto sie' quaggiù:* mirabile enim videtur quod veneris vivus ad infernum, et rediturus sis ad mundum impune. Unde nescio si venisti corporaliter, vel spiritualiter, vel solus, vel sociatus, *ma fiorentino mi sembri veramente quand' io t' odo.* Audiverat enim comes Dantem loquentem florentine, et amare (3) vituperantem illum Boccam proditorem populi florentini minantem illi perpetuam infamiam. Ideo dicit: videris mihi florentinus vicinus meus; ideo libenter audies et referes de crudelitatibus pisanorum, et unius Ubaldinorum. — *Tu.* Hic comes incipit suam narrationem; et primo respondet ad primum quæsitum autoris, scilicet qui fuerint (4), dicens: *tu dei saper ch' io fui 'l conte Ugolino,* dominus Pisarum, *e questi èe l' arcivescovo Rogieri,* de Ubaldinis archiepiscopus Pisarum; et offert se responsurum ad secundum, scilicet de peccato crudeli archiepiscopi contra se, dicens: *or ti dirò perch' i' son tal vicino,* malam vicinitatem facit sibi: et ut brevius narret istud magnum malum, ne tœdium pariat auditori, resecat primo superflua dicens, quod vult dimittere illud, quod est notum in vulgo, scilicet quomodo in tumultu populi ipse fuerit invasus et captus opera dicti (5) Rogerii. Dicit ergo: *dir non èe mestieri,* idest, non est necessarium nec utile narrare tibi, *ch' io fossi preso e poscia morto, per l' effetto de' suoi mal pensieri;* nam bene perduxit ad effectum quod male conceperat. Hoc dicit comes, quia Dantes (6) tamquam florentinus vicinus

(1) E. quæret.
(2) S. e E. augeat.
(3) E. amarissime.
(4) S. qui fuerit. — E. qui fuerant.
(5) S. domini Rogerii prædicti.
(6) S. Dantes florentinus tamquam vicinus et hostis Pisarum.

et hostis pisanorum non debebat ista verisimiliter ignorare; sed quia non sunt ita nota apud alios, ideo non est inutile narrare. Est ergo sciendum, quod in MCCLXXXVIII erat nata magna dissensio in civitate pisana. Nam unius sectæ guelphorum erat princeps judex Ninus de Gallura de Scottis; alterius (1) sectæ guelphæ erat princeps comes Ugolinus de Gherardeschis; tertiæ vero partis ghibellinæ erat dux archiepiscopus Rogerius de Ubaldinis, cum Lanfranchis, Gualandis, et Sismondis. Comes Ugolinus (2), ut solus posset principari in urbe illa, adhæsit archiepiscopo Rogerio, et prodidit Ninum filium sororis suæ; et ordinavit, quod pelleretur (3) de Pisis. Quare judex Ninus sentiens se impotentem, recessit cum sequacibus suis ad unum (4) castellum, et colligavit se cum florentinis et lucensibus. Comes vero (5) Ugolinus ficte recesserat de civitate, ut cederet expulsioni judicis Nini; quo pulso, cum magno gaudio redivit Pisas. Fertur etiam quod fecit venenari comitem Anselmum de Capraria consortem suum, ne eriperet sibi dominium. Comes igitur Ugolinus in totum dominus Pisarum, in florenti statu ordinavit in die sui natalis celeberrimum festum, et sumptuosum convivium cum magnis donis et pomposis indumentis. Et cum inter festandum comes Ugolinus duceret Marcum Lombardum virum curialem, prudentem, et circumspectum valde, ostendens (6) sibi magnificentiam suam, petivit a Marco, quid sibi videretur? Qui statim respondit, sive humanitus, sive divinitus prophetans: Vos estis recepturi peiorem amicitiam, quam aliquis dominus Italiæ. Et continuo comite territo, petente, quare? (7) dixit Marcus: quia nihil deficit vobis, nisi ira Dei. Quod in

---

(1) E. alterius vero sectæ guelphorum erat.

(2) E. Comes vero Ugolinus.

(3) 116, expelleretur.

(4) E. e 116, unum suum castellum.

(5) E. Comes ergo.

(6) E. ostentans.

(7) E. quare? respondit: quia.

brevi verificatum est. Nam archiepiscopus, cuius favore (1) se fultum sperabat, statuit depellere ipsum de dominio. Et in furore populi fecit ipsum invadi ad palatium; dans intelligere populo, qualiter ipse comes Ugolinus volebat prodere Pisas, dando castella florentinis atque lucanis. In tumultu igitur fuit interfectus unus filius naturalis eius, et unus nepos, vere felices, quia non reservati sunt ad illud crudele infortunium suorum. Comes vero dedidit se (2) captivum; et cum duobus filiis et cum duobus nepotibus traditus est carceri: omnes eius familiares et consortes pulsi sunt, et eorum sequaces, sicut Obriachi, Guatani, et aliæ familiæ nobilium guelphorum. Ex prædictis patet, quomodo comes Ugolinus prodidit consanguinitatem, civitatem et partialitatem; ideo proditor proditus est a proditore. Nam ex ista mutatione Pisarum, pars guelpha in Tuscia fuit in magna declinatione propter vires aretinorum, et potentiam domini Jacobi de Aragonia cum siculis et catelanis contra hæredem Caroli. Comes igitur infelix cum filiis et nepotibus positus est in turrim (3) super plateam juxta palatium Antianorum; et clausa porta claves deiectæ sunt in Arnum, et denegatus est eis omnis victus, ita quod omnes mortui sunt fame in brevi. Ad propositum ergo, comes dicit Danti se velle omittere istam partem negotii, quæ debet esse sibi manifesta, et se velle dicere aliam partem, quæ est sibi occulta, scilicet formam mortis suæ miserandæ. Unde dicit: *però udirai,* scilicet, a me nunc, *quel che non puoi aver inteso,* ab aliis, *cioè come la morte mia fu cruda,* idest, crudelis: et bene dicit, quia nullus alius vivens poterat scire dicere Danti modum istius mortis, quia nullus unquam viderat eos postquam inclusi fuerant (4); ideo dicit: *e saprai se m' ha offeso,* ne vi-

(1) S. favorem.
(2) 116, reddidit se. — E. dedit se.
(3) E. turri.
(4) E. e 116, fuerunt.

dear tibi iniuste agere contra eum. — *Breve.* Nunc comes volens narrare autori infelicissimum casum suum, primo ostendit quomodo prævidit in somnio eventum rei; quod quidem somnium fecit ante ortum solis; ideo describit tempus, dicens: *breve pertuso,* idest, parvum foramen, et subtilis rimula per quam lumen auroræ intrabat, *m' avea mostrato già più lume,* scilicet, auroræ, quasi dicat, jam oriebatur dies. Aliqui tamen textus habent: *più lune,* ita quod videtur velle dicere: jam præterierant plures menses; sed ista (1) litera stare non potest, quia, ut jam dictum est, comes non stetit inclusus in ista turre nisi paucis diebus, *per lo suo forame,* sicut per columbarium, *dentro da la muda,* idest, intra turrim, in qua erat cum filiis suis, quæ vocabatur tunc aurea muda, sed tunc mutavit nomen, unde dicit: *la qual per me ha il titol della fame,* quia ab isto eventu damnabilissimo postea vocata est turris *de la fame;* et dicit: *in che convene ancor ch' altri si chiuda,* quasi dicat: in qua oportet, quod adhuc alius moriatur, ita quod non fuero solus, nescio (2) si aliquis fuit unquam ibi inclusus. Sed comes istud vaticinatur quia verisimile videbatur quod alius de terra illa adhuc juste puniretur simili pœna, *quand' io feci il mal sonno,* idest, somnium (3) in quo mens mea præsaga futuri mali fuit; unde dicit: *che del futuro mi squarciò il velame,* idest, aperuit et detexit mihi futurum eventum; nam futura (4) præsciri non possunt, et tamen visus sum mihi certissime videre mala, quæ parabantur mihi per illas canes famelicas (5). — *Questi.* Hic comes narrat formam ipsius somnii. Ad cuius intelligentiam volo te (6) breviter scire, quod comes, dum vivebat,

(1) E. ista talis litera. (2) E. sed nescio si aliquis unquam fuerit inclusus.
(3) S. malum somnium.
(4) E. futura licet præsciri non possint, attamen visus.
(5) E. famelicas quas in somnio vidi. — *Questi.*
(6) E. te scire quod iste comes.

ante eius ruinam, videbatur videre in somnio, quod ipso florente et regnante, archiepiscopus Rogerius tollebatur ([1]) in dominum super alios magnates ghibellinos de Pisis, qui ad montem prope Pisas venabantur ([2]) unum lupum cum catulis suis, et post brevem fugam canes venantium attingebant lupum et lupulos, et omnes crudeliter necabant. Nunc ad literam, dicit autor: *Questi,* scilicet archiepiscopus, *pareva a me maestro e donno,* idest, maior et dominus in venatione; nam pisani fecerunt eum capitaneum et ducem eorum: *cacciando 'l lupo,* idest, tyrannum, scilicet me ([3]) comitem Ugolinum. Nam lupus figurat tyrannum, juxta illud: *hi regnant qualibet urbe lupi; — e i lupicini,* idest, filios comitis tyrannunculos simillimos patri. Ideo bene dicit ille, qui portabat lupos parvulos ad vendendum, rogatus ab uno emptore, ut daret sibi unum bonum, respondit: omnes sunt lupi; *al monte,* idest, juxta montem, qui est medius inter Lucam et Pisas, qui dicitur hodie mons sancti Juliani. Ideo dicit: *perch' e' pisan veder Lucca non ponno,* quæ tamen est eis vicina per decem milliaria, et sæpe subiugata et expilata ([4]), juxta illud vulgare proverbium: *Buona terra è Lucca, ma Pisa la pelucca.* Et dicit: *Con cagne magre, studïose e conte;* istæ canes figurative erant fames, sitis et alia incommoda, quæ in brevi attigerunt et laceraverunt istos. Et nominat socios principales, quos habebat archiepiscopus in ([5]) ista venatione, idest persecutione comitis, dicens: et ille archiepiscopus, *s' avea messo Gualandi con Sismondi e con Lanfranchi;* istæ sunt præcipuæ domus ghibellinæ in Pisis, *dinanzi da la fronte,* ad excusationem ([6]) sui tamquam fautores et factores huius rei ad sui defensionem. Et subdit ef-

([1]) 116, extollebatur.
([2]) E. venabatur.
([3]) E. me ipsum comitem.
([4]) E. e 116, expoliata.
([5]) E. ipse in hac venatione.
([6]) E. executionem.

fectum venationis, dicens, quod illæ canes post modicum cursum videbantur attingere lupum et lupulos, et dentibus lacerare. Dicit ergo: *lo padre e i figli,* idest, comes et filii, *mi pareano stanchi in picciol corso*, ita quod non videbantur posse evadere ab ira canum, quia in paucis diebus fame consumpti sunt, *e mi parea veder fender li fianchi lor con le acute scane,* idest sannis sive dentibus a canibus prædictis. Et hic nota, lector, quod si verum fuit quod comes sic somniaverit, mirabile somnium (1) fuit; si non sit verum, pulcram fictionem facit (2) autor valde convenientem facto. Non enim possumus scire veritatem huius facti, quia comes inclusus nulli locutus est postea et mortuus est. — *Quand' io.* Hic comes narrat autori aliud malum (3) signum, quod secutum est post somnium, quod habuit confirmare timorem jam conceptum ex visione (4). Unde dicit: *senti' i miei figliuoli ch' eran meco,* qui dormiebant simul mecum ibi, *pianger tra 'l sonno, e dimandar del pane,* de quo (5) non erant amplius comesturi, *quand' io fui desto inanzi la dimane,* idest, cum evigilassem hora matutina, qua (6) solent fieri somnia magis vera, sicut modo istud somnium vel factum vel fictum nimis verum fuit. Et intermittit narrationem præ nimio dolore, et invitat autorem ad pietatem, dicens: *ben se' crudel, se tu già non ti duoli,* antequam ulterius procedam in narratione, *pensando ciò che 'l mio cor s' anunziava;* optabat enim absorberi a terra antequam videret tantam crudelitatem; et dicit: *e se non piangi, di che pianger suoli?* quasi dicat: alias (7) dolebis vel doluisti. — *Già.* Hic comes revertitur ad narrationem, et narrat modum mortis crudelis ipsorum, qui non erat notus autori, sicut promiserat se dicturum. Unde

(1) E. somnium solummodo fuit. (2) 116 e E. fecit. (3) E. magnum.
(4) E. visione prædicta. (5) S. e E. quo nunquam erant amplius.
(6) E. quando. (7) 116 e E. nunquam alias.

continuans se ad primum dictum, dicit: *già eran desti,* scilicet ipsi filii mei, *e l' ora s' appressava,* scilicet hora tertiarum, *che 'l cibo ne soleva esser addotto,* quasi dicat: appropinquabat hora, qua eramus soliti prandere, antequam essemus capti. Vel dic: hora, qua solebat afferri nobis cibus, antequam poneremur in turrim (1); quia non statim fuerunt adiudicati huic supplicio extremo, nisi post adventum comitis Guidonis de Montefeltro, qui factus est capitaneus Pisarum cum ampla potestate, ut alibi dictum est. Et dicit: *e per suo sogno ciascun dubitava,* quia quilibet filiorum fecerat somnium simile patri. Et subdit primam arram (2) mali, dicens: *et io senti' chiavar l'uscio di sotto a l' orribile torre;* intellige cum clavis ferreis, ut amplius non aperiretur. Nam (3) jam clavatum fuerat cum clavibus, quæ (4) abiectæ fuerant in Arnum; *ond' io guardai nel viso a' miei figliuoi senza far motto,* quasi dicens tacite: nos stamus sic. Et dicit: *io non piangea,* idest plorare non poteram, *sì dentro impietrai,* idest, indurui ad modum petræ, *piangevan elli,* tamquam teneriores: *et Anselmuccio mio,* qui erat unus ex filiis, *disse: Tu guardi sì, padre: che hai?* et dicit: *però non lagrimai,* imo magis induratus sum; et non solum non potui emittere lacrymas, sed nec verbum; unde dicit: *nè rispos' io tutto quel giorno, nè la notte appresso,* per unam diem naturalem, *infin che l' altro sol nel mondo uscío,* idest, usque ad alium ortum solis. — *Come.* Hic comes narrat, quomodo invalescente dolore, secunda die, factus est rabidus visis filiis suis; unde dicit: *ambo le mani per dolor mi morsi,* scilicet, tunc cum, *un poco di raggio,* scilicet solis, *si fu messo nel doloroso carcere,* scilicet, per fissuram vel fenestram, *e io scorsi,* idest, respexi, *per quattro visi il mio aspetto*

---

(1) E. in turri.
(2) E. horam.
(3) E. quia.
(4) E. quas abiecerant in.

stesso, idest, in quatuor faciebus filiorum meorum; quia filius et pater una et eadem persona censentur; vel quia erant simillimi patri. Et subdit, quomodo filii se habuerint ([1]) erga patrem, viso hoc, dicens: *e quei,* scilicet filii mei, *pensando, ch' io 'l fessi per voglia di manicar,* idest, ex rabie famis, potius quam ex rabie doloris, et tamen contrarium erat, *di subito levorsi, e disser: Padre,* magis tetigerunt animum eius, quam si dixissent: o comes, *assai ci fia men doglia, se tu mangi di noi,* supple, quam si comedas de te, *tu ne vestisti queste misere carni, e tu le spoglia.* Et hic nota, lector, verba motura ([2]) omne cor saxeum, quæ sine lacrymis scribere non possum, si tamen isti juvenes dixerunt ea ([3]), quod non credo; sed autor, tamquam bonus orator, bene scivit ipsa dicere. Et ponit effectum pietatis dictorum verborum, dicens: *quetàmi allor,* scilicet, cessando a rabie, ut non provocarem ipsos ad rabiem, *per non farli più tristi:* et ideo dicit: *quel dì e l' altro stemmo tutti muti,* scilicet, indurati dolore; ideo comes prorumpit in exclamationem, dicens: *Ahi dura terra, perchè non t' apristi?* Ut ostenderes te sentire tam impiam crudelitatem, et clamare vindictam ad Deum. Et hic nota, quod non solum cibus temporalis ([4]) fuit denegatus istis, sed, quod fuit crudelius, et ([5]) spiritualis, cum sæpius petiissent. — *Poi.* Nunc comes narrat mortes ([6]) filiorum et sui, dicens: *Poi che noi fummo al quarto dì venuti Gaddo mi si gittò disteso a' piedi,* qui erat unus ex filiis meis, *dicendo: padre mio, che non m' aiuti?* scilicet tu, qui paulo ante pascebas multa millia hominum pane tuo, cur modo permittis, me fame mori? quasi dicat tacite: tu conduxisti te ([7]) et nos ad tam miserabilem finem. *Quivi*

([1]) E. e S. habuerunt.
([2]) E. motura esse cor.
([3]) S. ea, quæ non credo.
([4]) 116, corporalis. — E. corporis.
([5]) 116, etiam spiritualis.
([6]) 116, mortem.
([7]) E. te ipsum et.

morì, scilicet, ante pedes meos, me vidente et audiente; et ita alii. Unde dicit; *vid' io cascar li tre,* idest, alios tres fratres [1] Gaddi, *ad uno ad uno,* scilicet ad augmentum doloris sui, *tra 'l quinto dì e 'l sesto, come tu mi vedi,* quasi dicat: sicut tu vides nunc me loquentem coram te, ita ego vidi illos morientes coram me. Infelix pater! qui, si præmortuus fuisset, poterat videri felix in medio tot infelicitatum. Et subdit ultimo mortem suam, dicens: *ond' io già cieco,* scilicet, factus cæcus, *mi diedi a brancolar,* idest, ad palpandum *sovra ciascuno.* Et continuo auget infelicitatem, dicens: *e tre dì li chiamai poi che fur morti.* Et sic videtur comes Ugolinus vixisse octo diebus sine nutrimento cibali. Et concludit comes, dicens: *poscia il digiuno,* idest fames, *potè più che 'l dolor,* quasi dicat, quod fames prostravit eum, quem tantus dolor non poterat [2] vincere et interficere. — *Quando ebbe.* Hic autor facit finem huic materiæ ostendens quomodo comes Ugolinus redivit ad suum primum officium. Unde dicit: *quand' ebbe detto ciò con gli occhi torti,* idest, torvis et inflammatis ira, *riprese,* idest, iterum cepit: *il teschio misero,* scilicet, craneum capitis, *coi denti,* cum tanto furore, *che furo a l' osso, come d' un can, forti,* fuerunt fortes etc.

Ahi Pisa! Ista est secunda pars generalis in qua autor iratus de tanta impietate fecit mordacem invectivam contra civitatem Pisarum, dicens: *Ahi!* idest, dolenter refero, *Pisa, vituperio delle genti,* idest, dedecus et infamia æterna gentium italicarum; unde dicit: *del bel paese là,* scilicet, Italiæ, qua nulla est pulcrior regio in toto orbe terrarum, ut alias dictum est et dicetur, *dove 'l sì suona,* quia generaliter omnis gens italica utitur isto vulgari, scilicet, *sì,* ubi germani dicunt *jà,* et gallici

---

(1) S. fratres eius, *ad uno ad uno.* (2) E. potuerat.

aliqui dicunt *oui*, et aliqui *hoc*. Aliqui (1) etiam italici pedemontani dicunt *ol*. Vel (2) dic: *del bel paese*, scilicet Tusciæ, quæ est ornatissima pars Italiæ, *là dove 'l sì suona*, idest, in qua ista res inepta resonat. Et hic nota, lector, quod autor considerans tam impiam crudelitatem, et videns, quod nullus parabat se ad vindictam, invocat insensibilia inanimata ad destructionem pisanæ civitatis, dicens: *muovasi la Capraia e la Gorgona*, scilicet, de locis suis. Isti sunt duo scopuli magni in mari longe a portu pisano, versus Sardiniam, *e faccian siepe ad Arno in su la foce*, idest, claudant ostium Arni, ubi Arnus intrat in mare, ita quod aqua redundet et effundatur, *sì ch' egli anneghi in te ogni persona*, idest, omnes habitantes in te, ut locus tam infaustus reddatur inhabitabilis; et dicit: *poi ch' e' vicini*, sicut florentini et lucani, jamdudum inimici tui (3), *a te punir son lenti*, idest pigri et tardi. Sed certe ista vindicta, quæ videbatur tardari tempore autoris, videtur facta diebus nostris. Nam opera florentinorum ista civitas antiquissima et olim potentissima mari et terra, deducta est ad infimum et infirmum statum, licet diu ante istud peccatum fuisset fracta insolentia pisanorum, et libertas conculcata viribus januensium, ut dicetur alibi; et sic victrix facta est victa: sic res hominum fortuna versat: sic omnia faciunt cursum suum, et senio cuncta marcescunt. Hæc enim civitas erat florentissima, antequam Florentia adhuc fundata esset. Et hic nota, lector, quod autor videtur indigne facere istam invocationem (4), quia iste proditor merebatur omnem pœnam, ut patet ex dictis; ergo juste punitus (5). Ad quod dico breviter, quod autor non negat hoc de eo, sed de filiis (6), ut statim dicit (7). — *Chè*

(1) E. Quidam autem italici.
(2) E. Vel dicas.
(3) E. inimici sui, *a te*.
(4) S. exclamationem.
(5) E. punitur.
(6) S. filiis suis.
(7) E. dicet.

Hic autor assignat causam justæ exclamationis factæ, dicens: *Chè non dovei tu i figliuoi porre a tal croce,* idest, non debebas ponere filios comitis ad talem cruciatum, *se il conte Ugolino aveva voce,* idest, infamiam, *d' aver tradita te de le castella.* Ad cuius literæ evidentiam [1] est sciendum, quod comes Ugolinus de comitibus Gherardeschis adeptus dominium civitatis Pisarum, sicut dictum est supra, ad confirmandum statum suum, dedit unam suam filiam comiti Guidoni de Battifolle guelpho; et ne ex hoc haberetur suspectus, dedit aliam comiti Aldobrandino de Sanctaflore, ut fertur. Et nomine dotium ipsarum filiarum, et ut melius confiderent [2] de eo, dedit aliqua castra comitatus Pisarum, videlicet comiti Guidoni castrum Ripæfractæ sub custodia lucanorum; et comiti Aldobrandino castrum Siverotti sub custodia florentinorum. Propter quod ghibellini sumpta suspicione, suggerente archiepiscopo, fecerunt de [3] eo, quod dictum est. Et probat, quod Pisa non deberet ita desævire in filios propter peccatum paternum, dicens: *l' età novella,* idest, juvenilis, *facea lor innocenti,* scilicet, *Uguccione e 'l Brigata;* nomina sunt duorum filiorum comitis Ugolini, quos nondum nominaverat; ideo eos nominat hic, *e gli altri duo,* scilicet filios, *che 'l canto suso appella,* idest, Gaddum et Anselmuccium, quos capitulo superiori nominavit. Et hic nota quod autor per totum capitulum nominat istos filios, licet supra dictum sit, quod duo erant filii et duo nepotes [4]. Unde lex civilis appellat filios et nepotes liberos, vel forte fuerunt tantum filii, sicut alii scribunt. Sed hic oritur alia dubitatio quia videtur, quod etiam filii fuerint juste puniti,

---

(1) E. evidentiam est notandum. (2) E. fiderent.

(3) E. postea de ipso sicut dictum est. Et probat quod civitas Pisarum non debebat.

(4) 116, nepotes, quia appellatione liberorum continentur filii et nepotes, ut dicit lex civilis, vel forte fuerunt tantum filii.

quia culpa patris transfertur ad filios in crimine læsæ maiestatis. Dicendum breviter, quod filius non debet luere pœnam patris, et quamvis lex civilis velit filium punire (1) civiliter, quia præsumit quod sit (2) similis patri, non tamen criminaliter; ideo autor dicit, quod civitas pisana non debebat ponere filios ad illum cruciatum ad quem posuerat patrem; quia satis erat relegare ipsos, vel deportare in aliquam insulam suam, sicut in Sardiniam vel Corsicam, vel aliter, mitius punire. Et facit autor unam parenthesim, dicens: *Novella Tebe,* quasi dicat in improperium (3): o civitas pisana, quæ es alia civitas thebana in Græcia; quasi dicat tacite: o natio viperea; nam primi, ex quibus Cadmus condidit Thebas, finguntur nati (4) ex serpentibus, quia semper gesserunt bella civilia inter se nimis crudeliter, sicut dictum est jam de Ethiocle et Polynice fratribus vere serpentibus. Et ipse Cadmus etiam dicitur factus serpens, et omnia facinora et flagitia nequiter et nefarie perpetrata sunt in ea; ideo bene Plato fertur dixisse, quod regratiabatur naturæ quia fecerat eum (5) hominem non brutum; marem non fœminam; atheniensem non thebanum. Et nota quod autor bene assimilat istam civitatem italicam uni civitati græcæ, quia civitas Pisarum habuit ortum a Pisa civitate Græciæ situata juxta flumen Alpheum.

Noi passammo oltre. Ista est tertia pars generalis (6), in qua autor tractat de tertia specie proditorum et eorum pœna, qui prodiderunt amicos pacificos, et commensales, et in speciali de uno ipsorum qui (7) nominat alium; et primo proponit ipsam pœnam dicens: *noi passammo oltre, là ove la gelata,* idest, glacies, *fascia un' altra gente,* idest, aliud genus proditorum, *ruvidamente,* idest, rigide,

(1) E. e 116, puniri. (2) S. sit filius similis patri. (3) 116, opprobrium.
(4) E. orti. (5) 116, ipsum. (6) E. generalis huius cantus in qua.
(7) S. qui alium prodidit. Et primo proponit.

non volta in giù, sicut alia gens prædicta, *ma tutta reversata,* idest (1), stans resupina in glacie cum facie sursum, ut plus læderet (2) a frigore. Et tangit formam pœnæ istorum, dicens: *lo pianto stesso lì pianger non lascia,* scilicet, illam gentem; et ecce quomodo, *e il duol,* idest, dolor, *che trova rintoppo,* idest, obviamen oppositum, *in su gli occhi,* qui sunt glacie compacti, *si volge in entro a far crescer l'ambascia,* idest, angustiam doloris. Et facio comparationem de hoc: sicut enim fumus ascendens de camino, si non invenit viam qua egrediatur, redit deorsum (3) et densatur, ita quod cruciat existentem ibi; ita dolor qui a corde ascendit ad oculos, si non potest effocari et exalare magis angustiat animum. Ad propositum ergo: in istis planctus veniens ad oculos glacie astrictos, inveniens viam præclusam sibi invalescebat et tumefaciebat (4) animum; sicut interdum ventus (5) inclusus intra viscera terræ, facit eam violenter crepare. Et declarat modum obviationis et obstaculi, dicens: *chè le lagrime prime fanno groppo,* scilicet, congelando (6), *e riempion tutto il coppo,* idest, totam concavitatem oculorum, *sotto 'l ciglio sì come visiere di cristallo,* quasi dicat, velut si haberent ocularia ex vitro vel crystallo transparentia. Et hic nota quod misero videtur quodammodo delectabile flere, aliqualiter enim extenuatur dolor in planctu; unde Virgilius: *Expletur lacrymis egeriturque dolor.* — *Et avegna.* Nunc autor tangit causam tam duræ, tam frigidæ glaciei; et dicit breviter quod quidam ventus a centro terræ causabat istam glaciem, sicut videmus hic, quod ventus veniens ab aquilone inglaciat et indurat aquas nostras, quem quidem ventum autor (7) cœpit

---

(1) E. quia stant isti resupini in.
(2) E. læderentur. — 116, læderetur.
(3) E. deorsum condensatum, ita quod.
(4) E. tumescebat.
(5) E. ventus ventri inclusus intra viscera facit ea violenter.
(6) E. congelando se in simul, *e riempie.*
(7) 116, autor cœperat.

sentire, licet esset factus quasi insensibilis præ nimio frigore. Dicit ergo: *E già mi parea sentire alquanto vento,* quia appropinquabat ad locum unde procedebat, *avegna che ciascun sentimento avesse cessato stallo,* idest, stationem et residentiam, *del mio viso,* idest, a facie mea, *per la freddura,* a simili, *sì come d' un callo* (1), qui nihil sentit: est enim callus durities carnis et cutis ibi suppositæ. Et movet quæstionem Virgilio, unde habebat originem ventus iste, dicens: *perch' io,* scilicet, dixi, *maestro mio, chi muove questo?* scilicet, ventum; et statim arguit, quod ibi non debebat (2) posse esse ventus, dicens: *non èe quaggiuso ogni vapore spento?* quasi dicat: cessante causa cessat effectus; sed hic non est causa venti, ergo nec ventus: patet, quia ventus generatur ex vapore sicco elevato a sole; sed in isto centro non potest aliquis vapor ascendere ut resolvatur in ventum. Et ponit responsionem Virgilii ad suam petitionem, dicens: *ond' elli a me,* scilicet Virgilius respondit mihi: *avaccio serai dove,* idest, cito eris in loco ubi, *l' occhio ti farà la risposta di ciò,* quasi dicat: videbis oculanter (3), *veggendo la cagion che 'l fiato piove,* idest, quæ generat ventum, quia scilicet procedit a Lucifero principe dæmoniorum. Ad quod est hic bene advertendum quod autor subtiliter fingit hunc ventum spirare hic, quia, quemadmodum a summo Deo procedit Spiritus sanctus, qui immittit ignem amoris et caritatis in corda hominum, unde Spiritus sanctus assimilatur austro, ita a summo diabolo, scilicet Lucifero, procedit spiritus frigidus odii, qui (4) ventus inglaciat ita corda pravorum; quod extinguit omnem ardorem caritatis, et omnem amorem ami-

---

(1) 116, *callo,* idest sicut omnis sensus recessit a callo, qui nihil sentit.

(2) E. e S. debebat esse ventus. (3) E. oculariter.

(4) E. qui tamquam ventus frigidissimus inglaciat ita corda pravorum hominum, quod extinguit.

citiæ in istis, qui tam crudeliter violaverunt sacra jura mensæ, quod nihil habent pietatis humanæ, ut jam dictum est et statim melius dicetur [1]. — *Et un.* Nunc autor describit in speciali unum singularem spiritum modernum de dicta specie, quem introducit ad loquendum et petendum subventionem ab eo; unde dicit: *et un de' tristi de la fredda crosta,* idest, de glacie quæ claudit intra se proditores gelatos, sicut crusta claudit anguillas, *gridò a noi:* et primo iste spiritus facit exordium quale convenit proditoribus, dicens: *o anime crudeli tanto, che data v' è l' ultima posta,* quia positi estis in fundo inferni propter crudelitatem vestram, et deputata est vobis pœna extrema omnium pœnarum, quasi dicat: o bene venientes fratres mei boni proditores; imaginabatur enim iste quod isti essent proditores damnati, qui nuper venissent ad pœnam, quia commisissent proditionem ad mensam, sicut ipse fecerat, et facit petitionem, dicens: *levatemi dal viso i duri veli,* idest, illas lacrymas ita gelatas et induratas, quæ velabant oculos eius, ita quod non poterat eos ullo modo aperire, aut aliquid videre, et ecce quare, *sì ch' io sfoghi il dolor,* idest, parum remittam dolorem, *che 'l cor m' impregna,* quia cor parvum non erat capax tanti doloris, ita quod violenter crepabat sicut pellis mulieris prægnantis. Volebat ergo plorando aliqualiter exonerare cor suum, sicut dictum est paulo supra in parte præcedenti, et dicit: *un poco pria che 'l pianto si raggeli.* Sed certe ista fuisset modica refrigeratio, quia rigor venti frigidi subito regelasset novas lacrymas; et per hoc dat intelligi, quod si isti crudeles aliquando videantur velle aperire oculos pietatis, statim ventus odii iterum claudit. — *Perch' io.* Hic autor ostendit quomodo promiserit [2] illi petitum juva-

---

[1] E. dicetur infra. — *Et un.* [2] E. promiserat.

men, si diceret quis esset; unde dicit: *perch' io a lui,* supple dixi: *dimmi chi sie', se vuoi ch' io ti sovvegna,* et obligat se illi ad similem pœnam, si hoc non fecerit, dicens: *e s' io non ti disbrigo,* idest, si non libero te a velamine oculorum, *al fondo de la ghiaccia ir mi convegna:* et est vulgatus (1) modus loquendi; sæpe enim dicere solemus (2): si non fecero hoc, volo vocari proditor (3). Et ostendit quomodo ille (4) spiritus persuasus promissione sibi facta manifestaverit se, primo a nomine, secundo a culpa, tertio a pœna. Dicit ergo: *rispose adunque: io son frate Alberico.* Ad sciendum ergo quis fuerit iste spiritus, oportet scire, quod iste vocatus est frater Albericus de Faventia civitate de Manfredis nobilibus et potentibus, qui sæpe habuerunt dominium illius civitatis; et fuit de fratribus Gaudentibus, de quibus alibi dictum est supra. Fuerunt autem in dicta domo tres consanguinei eodem tempore, scilicet Albericus prædictus, Alberghettus et Manfredus. Accidit autem, quod in MCCLXXXVI Manfredus, juvenis animosus, cupiditate regnandi, struxit insidias fratri Alberico; et (5) cum devenissent ad graves contentiones verborum, Manfredus ductus impetu iræ, dedit fratri alapam magnam, scilicet fratri Alberico. Sed ipse frater Albericus sagacior aliquandiu rem dissimulanter tulit; et tandem cum credidit (6) iniuriam excidisse a memoria illius, finxit velle reconciliare sibi dictum Manfredum dicens, quod parcendum erat calori juvenili. Facta igitur pace, Albericus fecit (7) convivium, cui interfuerunt Manfredus et unus filius eius. Finita cœna cum magna alacritate, dixit Al-

---

(1) S. vulgaris modus.
(2) E. solemus in nostris promissionibus: si non.
(3) E. e 116, proditor, vel puniri tamquam proditor.
(4) E. ille persuasus.
(5) 116, et cum increparetur ex hoc a fratre Alberico, et devenissent ad gravem contentionem verborum.
(6) E. iste credidit iniuriam hanc excidisse. (7) E. ipse fecit.

bericus: *Veniant fructus;* et subito eruperunt famuli armati, qui latebant ibi post unam cortinam, qui crudeliter trucidaverunt ad mensam patrem et filium, Alberico vidente et gaudente (1). Et hic nota, quod frater Albericus secutus est exemplum Absalonis, qui simili modo dissimulata iniuria ad tempus fecit trucidari fratrem suum ad mensam; ideo frater Albericus debebat hic stare sub umbra eius, licet Absalon peius fecerit, quia reconciliatus patri, voluit eripere sibi regnum, et cum illo expulso bellum gessit, ut alibi scriptum est. Dicit ergo Albericus, tangens culpam suam: *io son quel delle frutta del mal orto.* Appellat Faventiam malum hortum, quæ produxit aliquando tam malos fructus in nobilibus suis. Unde autor posuit duos nobiles proditores de Faventia in ista glacie, scilicet Thebaldellum de parte ghibellina, qui prodidit patriam et partem, et Albericum de parte guelpha, qui prodidit consanguinitatem (2) ad mensam. Alii tamen dicunt, quod ista cœna maledicta facta est in quodam horto; et post culpam tangit pœnam, dicens: *che qui riprendo dattero per fico,* quasi dicat: dedi (3) malum fructum, nunc recipio (4) peiorem. Loquitur enim ironice. Nam ficus dulcis (5) fructus solet dari amico, et iste dedit tam amarum (6) fructum mortis amicis: nunc ergo merito recipit (7) amariorem; vel secundum aliam literam *ripendo,* idest, reddo et luo. — *O diss' io.* Hic autor, audito quod iste (8) erat frater Albericus, stupefactus movet sibi unam quæstionem; quando enim autor ivit ad infernum frater Albericus vivebat adhuc, et autor (9) reliquerat eum vivum in Romandiola; ideo cum admi-

---

(1) E. congaudente.
(2) E. consanguineum.
(3) 116, si dedi.
(4) E. reperio.
(5) S. bonus et dulcis.
(6) E. malum.
(7) 116, recepit.
(8) E. iste esset frater Albericus, movet.
(9) E. autor eum in mundo vivum reliquerat in Romandiola.

ratione petit utrum sit mortuus, dicens: *O, diss' io lui, or se' tu ancor morto?* Et continuo ponit responsionem Alberici, dicens: *et elli a me,* scilicet, Albericus respondit: *nulla scienza porto,* idest, nihil scio, nullam cognitionem habeo, *come 'l mio corpo stea su nel mondo.* Est autem hic diligenter considerandum, quod autor facit hic subtilissimam fictionem: fingit enim quod in talibus proditoribus accidit sæpe, quod anima (¹) cadit in infernum, et diabolus regit corpus adhuc vivens; et istud totum est verum et non erroneum perspicaciter intuenti. Per hoc enim figurat autor, quod quando homo committit ista peccata scelerata, diabolus intrat animam eius, et anima damnatur statim ad infernum, quia scilicet ille talis in infelici hora peccat, quod numquam postea pœnitet, et obstinatus et impœnitens moritur. Unde dicitur de Juda, qui similiter prodidit ad mensam, quod diabolus intravit in corpus Judæ; et ipse desperans dixit: maius est peccatum meum, quam ut veniam merear. Dicit ergo frater Albericus: *cotal vantaggio ha questa Tolomea,* idest, talem prærogativam, si prærogativa dici (²) debet, habet ista regio tertia glaciei, quam autor vocat Ptholomeam. Ad quod est sciendum, quod sicut scribitur libro primo Machabæorum per totum de familia Machabæorum, qui floruerunt in Israhelem (³) post tempora Alexandri fuerunt tres fratres inclytæ virtutis, scilicet Judas Machabæus, Jonatas et Simon (⁴), qui successive habuerunt summum sacerdotium, et fuerunt magni principes et duces Israhel, singuli strenuissimi bellatores, et (⁵) fecerunt prœlia multa pro patria, pro justitia, pro libertate contra multos reges et gentes alienigenarum; sed tertius, scilicet Simon, præcipue dilatavit gloriam gen-

(¹) E. anima eorum cadit. (²) E. dici potest, habet.
(³) E. in Hierusalem post tempora. — S. Israhel tempore Alexandri Magni.
(⁴) E. Simeon (così sempre). (⁵) E. qui fecerunt.

tis suæ, et purgavit terram Judæ ab omni immunditia; et gubernavit cum optima pace, reges contrivit [1], confirmavit humiles, omnes iniquos et malos exterminavit; et, quod maxime adauxit gloriam suam, renovavit fœdus cum romanis, a quibus commendatus et recommendatus fuit regibus et gentibus orientis. Cum autem Simon jam senex victoriosus esset in summa gloria pacis et belli, recepit crudele excidium, unde expectabat [2] potius auxilium. Nam quidam Ptholomeus Abobi [3] gener eius, dives valde auro et argento, qui constitutus erat ab eo dux in campo Jericho, cæcatus improba cupiditate regnandi, volens sibi subiicere regionem excogitavit proditionem pessimam contra Simonem et filios eius. Cum ergo Simon, sollicitus circa custodiam regni sui perambularet civitates quæ erant in regione Judæ, pervenit Jericho cum Mathathia et Juda filiis suis, quos Ptholomeus recepit magnifice, et fecit illis convivium magnum abscondens ibi viros armatos; et cum Simon et filii eius bene [4] bibissent, surrexit Ptholomeus cum suis, et armati intrantes convivium trucidaverunt Simonem et filios eius, et quosdam socios; quo facto misit ad Antiochum regem Syriæ pro auxilio, et quosdam misit ad occupandam Hierusalem, et alios ad civitatem Gazaram ad interficiendum Johannem [5] alium filium Simonis, licet ille cognita morte patris et fratrum, et præsentiens suam parari sibi, omnes illos occidit. Ex his ergo potes clare videre quare autor denominavit [6] juste istam regionem Ptholomeam ab isto antiquissimo et pessimo proditore, qui nulla iniuria præcedente [7] interfecit ad mensam socerum suum summum sacerdotem, virum justissimum,

(1) E. convertit et confirmavit.
(2) 116, sperabat.
(3) 116, filius Abobi.
(4) E. bene comedissent et bibissent.
(5) E. Jonatham alium filium Simeonis; sed ille cognita morte patris, et fratrum occisione, et præsentiens.
(6) S. nominavit.
(7) E. interveniente.

et egregios filios suos, cuius exemplum secutus est Branca de Oria, qui similiter interfecit socerum suum, sed virum sceleratum, ad mensam. Ad literam ergo: dicit frater Albericus quod ista sua Ptholomea habet istam prærogativam [1], *che spesse volte l' anima ci cade,* et notanter dicit, sæpe, quia non semper, sed ut plurimum accidit quod isti non emendantur, *inanzi che Atropòs mossa le dea,* idest, antequam mors separaret [2] ipsam animam a corpore. Atropos enim appellatur a poetis ultimum [3] fatum, et est idem quod mors, unde interpretatur sine conversione, quia naturaliter post mortem non est dare reversionem [4]. Aliqui tamen textus habent *Antropos,* sed hoc nullo modo potest stare; nam *Antropos* græce, latine dicitur *homo,* quod [5] interpretatur arbor eversa, et sic non habet hic locum. — *E perchè.* Hic Albericus, ut reddat autorem promptiorem ad servandum sibi promissum, declarat sibi formam qua anima ante mortem cadit in infernum. Unde dicit: *e sappi che tosto che l' anima trade, come fec' io,* idest, quam cito prodit [6] ad mensam eo modo quo ego prodidi, *il corpo suo l' è tolto da un dimonio, che poscia il governa,* quia postea diabolus stat semper secum, et regit hominem [7] usque in finem. Unde dicit: *mentre che 'l tempo suo tutto sia volto,* idest, usque ad mortem; et hoc dico, *perchè tu più volentier mi rade,* idest, removeas leniter [8] ad modum radentis cum tua manu levi, *le invetriate lagrime dal volto,* idest, lacrymas congelatas frigore super oculis transparentes ad modum vitri. Et dicit: *ella,* scilicet anima talis, *ruina in sì fatta cisterna,* idest, in puteum istum mortuum. Et sic vide quod mensa

---

(1) E. prærogativam, videlicet, *che.*
(2) 116 e E. separet.
(3) E. ultimus finis vitæ, et est.
(4) 116, conversionem.
(5) E. qui quidem interpretatur.
(6) S. prodidit.
(7) E. cum usque.
(8) E. leviter.

multum aggravat delictum istorum; unde violare hospitalitatem reputabatur (1) olim maximum nefas, sicut sæpe patet apud Valerium (2) et multos. — *E forse.* Nunc Albericus ad confirmandum dictum (3), quod videtur valde mirabile, nominat alium proditorem modernum de eadem specie peiorem se, dicens: *e il corpo de l' ombra,* idest, animæ, *che di qua mi verna,* idest, friget (4) in glacie, sicut tempore hiemali, *forse pare ancora suso,* idest, forte vivit adhuc in mundo; nam corpora viventium apparent in mundo; mortuorum vero non, quia sepeliuntur et absconduntur propter horribilitatem et fœtorem: et specificat ipsum per nomen. Ad quod est sciendum, quod hic spiritus de quo loquitur Albericus fuit quidam miles nobilis et strenuus de Janua nomine Branca de domo illorum de Oria, qui fuit gener domini Michaelis Cianche (5), qui post mortem regis Entii, occupavit judicatum Sardiniæ qui dicitur Logodoro, de quo dictum est supra, ubi tractatum est de baratariis. Iste ergo Branca (6) interfecit ad mensam prædictum Michaelem socerum suum, ut haberet eius immensas divitias. Dicit ergo: *tu dei saper se tu ven pur mo giuso,* idest, si nuper descendisti a mundo viventium ad infernum mortuorum, tu debes scire si verum dico, quod ipse adhuc vivat, *elli èe ser Branca d'Oria,* qui malas brancas habuit, *e son più anni poscia passati ch' ei fu sì rinchiuso,* idest, jam multi anni præterierunt postquam anima eius fuit carcerata in ista glacie, et corpus vivens apparuit in mundo. — *Io.* Hic autor ostendit qualiter ipse non poterat credere hanc rem mirabilem, ideo dicit: *diss' io lui,* scilicet Alberico, *io credo che tu m' inganni, chè Branca d' Oria non morì unquanche;* quod declarat per

(1) E. putabant. (2) E. e 116, Livium, Valerium, et.
(3) E. e 116, suum dictum, quod videbatur. (4) S. frigidat.
(5) E. Zanche. (6) E. Branca fecit homicidium tale, quia interfecit.

indicia vera et signa necessaria, dicens: *e mangia, e beve, e dorme e veste panni,* quæ omnia non faciunt mortui. Et ponit responsionem Alberici ad suam dubitationem declarans formam mortis spiritualis illius Branchæ; et dicit breviter quod Branca damnatus est ad infernum antequam Michael socer eius interfectus fuisset ab eo. Dicit ergo: *diss' ei,* scilicet Albericus [1]: *Michel Cianche,* egregius baratarius, *non era giunto ancora nel fosso su di Malebranche,* idest, nondum ceciderat in quintam bulgiam superiorem, ubi sunt dæmones Malebranchæ cruciantes baratarios in pice; unde dicit: *là dove bolle la tenace pece,* ita quod Michael antequam veniret ad malas brancas dæmoniorum in pice inciderat in malas brancas Branchæ generi sui, *che questi,* scilicet Branca, *lasciò un diavolo in sua vece,* in [2] loco animæ suæ, *nel corpo suo,* quod est dicere: tunc perdidit animam suam, *e d' un suo prossimano,* idest, unius consortis sui de domo sua. Iste fuit unus nepos eius, qui simul secum interfecit dictum Michaelem; unde dicit: *che 'l tradimento insieme con lui fece.* Et hic nota, quod januenses naturaliter [3] et communiter sunt cupidissimi, et avaritia impellit eos ad omne malum: tamen reputantur valentissimi in mundo. Unde de ista eadem familia fuit Lampa, magni animi vir, qui cum gereret bellum navale contra venetos hostes, stans in puppi galeæ suæ, filius eius strenue pugnans in prora percussus telo in pectore cecidit moribundus. Quo casu acerbo [4] concussi socii exterriti sunt omnes. Tunc Lampa in medio ardore belli oblitus filii, memor patriæ, et gloriæ suæ, subito cucurrit ad locum, et magnifice increpans omnes trepidantes, jussit filium abiici in mari, et hortans [5] cæteros, dixit: numquam habuis-

(1) 116, ille Albericus. (2) E. idest in.
(3) E. generaliter, et communiter et naturaliter sunt.
(4) E. acerrimo concussi socii sunt, et territi sunt.
(5) S. e E. exhortans.

set tam pulcram sepulturam in terra; sicque integrato [1] acrius prœlio factus est victor, imitatus quodammodo exemplum Torquati romani, qui filium victorem vita privavit. Sed hic nascitur dubitatio de eo quod autor dicit, quod iste Branca damnatus est ad infernum ante parricidium perpetratum. Dicendum breviter quod autor subtilissime hoc fingit; per hoc enim figurat quod ex quo homo concepit facere peccatum, deliberavit et firmavit, jam peccavit in conspectu Dei, ita quod actus exterior non addit supra conceptum interiorem, nisi in tantum quod in ipso actu animus magis accenditur, confirmatur et delectatur, sicut communiter tenent theologi. Et ultimo frater Albericus petit subventionem promissam sibi ab autore, dicens: *ma distendi oggimai in qua la mano,* scilicet versus faciem meam, *aprimi gli occhi:* et dicit autor, *et io non gliele apersi:* et quia posset obiici: ergo tu fuisti periurus, et debebas ire ad fundum glaciei; hoc removet autor dicens: *e cortesia fu lì esser villano.* Per hoc autor dat intelligi, quod nulla misericordia, nulla compassio est præstanda ab extraneo homini tam crudeli, qui nullam habet pietatem de sanguine suo, imo nulla fides servanda est proditori. — *Ahi.* Nunc autor facta fine orationi Alberici circa Brancam januensem, gratia illius facit unam invectivam contra totum genus januensium, dicens: *Ahi,* idest, dolenter dico: *Genovesi, uomini diversi d' ogni costume,* idest, alieni ab omnibus aliis hominibus in moribus, præcipue in cupiditate quærendi et parcitate servandi. Nulli enim italici vivunt miserius, licet in apparatu et ornatu exteriori sint splendidi; et dicit: *e pien d' ogni magagna,* idest, omni genere mali, *perchè non siete voi del mondo spersi?* idest, perditi de mundo per quem multum va-

---

[1] 116, reintegrato.

gantur, præcipue per mare; sunt enim maximi navigantes. Et non mireris, lector, si autor in (1) uno capitulo facit duas mordaces invectivas, alteram contra civitatem pisanam, alteram contra civitatem januensem; quoniam istæ duæ civitates potentissimæ in mari fuerunt olim in eadem regione Liguriæ, secundum Justinum, cuius provinciæ habitatores fuerunt semper homines bellicosi, ut sæpe patet apud Titum Livium; unde ligures ad arma durissimi diu nimis fatigaverunt virtutem romanam; homines audaces, unde Virgilius: *assuetumque malo ligurem,* idest, bello, labori, latrocinio. Et idem Livius dicit: *Latrocinia ligurum.* Et assignat autor causam justæ invectivæ factæ contra januenses, dicens: *che,* idest, quia, *trovai di voi un tal,* scilicet Brancam prædictum, *che già si bagna in anima in Cocito,* quia anima eius ante mortem cruciatur (2) in glacie jam, *per sua opra,* idest, perfida proditione, *et in corpo par vivo ancor di sopra,* scilicet in nostro mundo viventium; et dat (3) sibi socium dignum se cum dicit: *col peggiore spirto di Romagna,* scilicet fratre Alberico, qui fecit interfici consanguineum suum ad mensam appetitu vindictæ; et (4) Branca manu propria interfecit socerum ad mensam appetitu pecuniæ; ideo uterque perfusus sanguine calido suorum balneat et lavat se in Cocyto frigido. Et hic ultimo nota, lector, quod ad renovandum et confirmandum quicquid dicit autor, alius Branca novellus de eadem familia, sed spurius, interfecit fratrem proprium (5) legitimum de eadem Sardinia, ut haberet dominium ibi, sicut audivi a fide dignis januensibus.

---

(1) E. in hoc facit. (2) E. jam cruciatur in glacie, *per sua opra.*
(3) E. et dans sibi. (4) E. et iste Branca.
(5) S. suum legitimum in eadem.

CANTUS TRIGESIMUS QUARTUS ET ULTIMUS INFERNI, *in quo tractat de statu Luciferi et de sua figura, ac de pœna Judæ Scarioth, et Cassii et Bruti tormentatorum a Lucifero; et sicut visis omnibus exiverunt ambo de abysso, ubi Virgilius declaravit Danti quamdam quæstionem etc.*

VEXILLA *regis prodeunt Inferni.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de tertia specie proditorum qui puniuntur in tertia specie lacus glacialis; nunc consequenter in XXXIIII et ultimo capitulo agit et tractat de quarta specie proditorum et pœna [1] eorum qui prodiderunt dominos suos, a quibus receperant multa et magna beneficia, qui puniuntur in quarta parte glaciei. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in prima quarum describit in generali pœnam istorum proditorum, et imperatorem et dominum totius inferni, qui consistit in centro. In secunda describit in speciali triplex caput Luciferi, et tres spiritus qui puniuntur in triplici ore eius, ibi: *O quanto.* In tertia et ultima describit suum recessum ab inferno, et removet duo dubia, circa ipsum recessum, ibi: *Ma la notte.* Ad primum dico, quod autor tractat de pœna proditorum pessimorum omnium; sed primo præmittit signa imperatoris manentis in isto loco, dicens: *il maestro mio disse: vexilla,* idest, insignia, scilicet sex alæ Luciferi, quæ videbantur magna vella, sicut dicitur hic paulo infra, *regis Inferni,* idest, infernalis, *prodeunt,* idest, exeunt, a longe veniunt ad visum nostrum, quia quanto maius est vexillum,

(1) S. de pœna.

tanto magis videtur a longe. Et hic nota quod autor ideo hoc fingit, quia quando vexillum explicatur est signum quod dominus est prope; nam vexillum solet portari prope et ante dominum, quamvis præcesserit magna multitudo exercitus, *verso di noi;* et dicit: *però dinanzi mira,* scilicet, ante te, *se tu il discerni,* scilicet, ipsum regem. Et declarat formam visionis vexillorum per unam comparationem domesticam et claram: et vult breviter dicere, quod videbat taliter istas alas ventilantes per aerem, sicut homo videt a longe palas ventantes unius molendini, vel de die quando est magna nebula, vel de nocte; dicit ergo: *veder mi parve un dificio allotta, come par da lungi un molin che vento gira, quando una grossa nebbia spira,* scilicet de die quando est valde caliginosa, *o quando l' emisperio nostro annotta,* idest, vel quando fit nox in hemisperio nostro superiori naturaliter, sive nubibus. Hoc est dicere: ego parum discernebam illa insignia in confuso, sicut si viderem unum molendinum moveri ad ventum vel de die nebulosa, vel de nocte obscura. Et hic nota quod comparatio est propria; quia sicut multæ palæ molendini velociter volvuntur, ita multæ alæ altæ et amplæ Luciferi movebantur velociter, et emittebant magnum ventum: et videbat alas in (1) obscuro, quia diabolus non apparet nisi in (2) tenebra, quia eius nocumenta et tentamenta non fiunt nisi in obscuro. Ideo bene fingit quod in tenebra noctis, vel nebula diei videt ista insignia quantumcumque maxima; et quia magnus ventus procedebat ab alis magnis, dicit: *però per lo vento,* qui erat multiplex a multis alis (3), *mi ristrinsi retro al duca mio,* scilicet post terga Virgilii, *che non v' era altra grotta,* idest, alia spelunca, in qua laterem, quasi dicat: non habebam aliud refugium, nisi solam umbram Vir-

(1) 116, in tenebra, quia. (2) 116, in obscuro.
(3) S. alis magnis, ideo dicit.

gilii. — *Già.* Hic autor describit formam pœnæ ultimorum proditorum; et dicit quod ingressus curiam istius regis, vidit animas in totum tectas sub glacie. Dicit ergo: *già era là dove l' ombre eran tutte coperte,* ubi huc usque invenerat animas pro parte discoopertas. Sed istæ (1) gravius cæteris deliquerant in proditione, *e trasparian come festuca in vetro,* idest, quia anima proditoris vilior festuca, videbatur in ista glacie lucidissima, licet esset cooperta; et facit parenthesim, dicens: *e con paura il metto in metro,* quia mens horret et manus tremit, metrice describendo ista. Et distinguit diversas formas pœnarum secundum diversas formas delictorum, dicens: *altre stanno erte,* et istarum rectarum, *quella col capo,* idest, aliqua stat erecta cum capite desuper, *e quella con le piante,* idest, aliqua stat cum capite deorsum plantato (2), sicut sæpe plantantur proditores in mundo isto; *altra riverte il volto ai pei,* idest, reflectit caput ad pedes, *come arco;* et toti tamen stant sub glacie, quia tales sunt omnino perditi in proditione. — *Quando.* Nunc autor, ostenso quomodo Virgilius ostenderit (3) sibi a longe alas (4), ostendit quomodo ostenderit ipsi de prope ipsum Luciferum; et primo ostendit quomodo Virgilius prædisposuerit ipsum ad videndum tam terribilem regem, dicens: *dinanzi mi si tolse,* scilicet, ille Virgilius, ut daret mihi locum videndi cum essem post terga eius, *quando noi fummo fatti tanto avante,* idest, cum tantum processissemus versus illa insignia, *ch' al mio maestro piacque di mostrarmi la creatura ch' ebbe il bel sembiante,* scilicet, Luciferum, qui fuit pulcerrima creaturarum, *e fe ristarmi,* ubi prius ambulabant, et quia venerunt ad passum fortem, ideo firmaverunt se, *dicendo: ecco Dite,* scilicet (5)

(1) E. istæ animæ gravius.
(2) E. e 116, plantata.
(3) E. præostenderit.
(4) S. alas, et de prope Luciferum ipsum.
(5) E. scilicet Pluto rex.

rex infernalis, unde civitas ista appellatur civitas Ditis, *ecco il loco,* scilicet centrum inferni, *ove conven che di fortezza t' armi,* quasi dicat; ecce ultimum malum a quo procedunt omnia mala, ideo sis fortis. Et subdit effectum istius visionis; unde apostrophans ad lectorem ut reddat ipsum attentum, dicit: *o lettor, nol dimandar, com' io divenni allor gelato e fioco,* idest, qualiter perdidi vigorem et vocem præ timore; et excusat se a descriptione istius ultimi timoris, dicens: *ch' io non lo scrivo;* et ecce causam, *però ch' ogni parlar sarebbe poco,* quia si autor sæpe habuit magnos timores in inferno, et multum timuit videre diabolos, sicut patuit in introitu istius civitatis, quanto magis nunc in centro omnium malorum extimuit regem omnium diabolorum? Et sic vide quam pulcre autor describit timorem suum in eo quod ostendit se non posse ipsum explicare, quasi dicat: iste fuit timor incomprehensibilis, infinitus, et qui non potest intelligi (1) nisi ab experto, unde dicit: *io non morii,* quia sum adhuc vivus, *e non rimasi vivo,* quia perdidi omnem sensum et intellectum pro tunc; ergo, o lector: *pensa per te omai qual io divenni, privo,* pro privatus, *d' uno e d' altro,* scilicet morte et vita, *s' hai fior d' ingegno,* idest, si habes aliquid rectæ intelligentiæ. Est autem hic attente notandum, quod autor hic procedit prudenter et caute; nam vult dare intelligi spiritualia per corporalia, et invisibilia per visibilia, sicut etiam divina scriptura sæpe facit in multis, ut scribit (2) IIII capitulo Paradisi. Ista ergo litera non est intelligenda sicut sonare videtur, quia diabolus non est turpis nec terribilis, cum sit angelus; sed autor per fictionem suam figurat pravos effectus qui procedunt ab eo, et oportet sic loqui vulgo. Dicunt enim vulgares quod unusquisque moriens

(1) E. bene intelligi. (2) E. dicitur.

cogitur de necessitate videre diabolum in morte, quod tamen est ridiculosum, nisi intelligatur prædicto modo; quia scilicet homo sentit [1] eius tentationem qui adest et proponit homini, et ad memoriam reducit omnia mala et peccata quæ fecit, ut inducat ipsum in desperationem. Diabolus ergo non est magnus, nec parvus, nec turpis, nec pulcer, nisi eo modo quo dictum est. — *Lo imperador.* Hic describit in speciali ipsum Luciferum a magnitudine et mansione eius, dicens: *lo imperador del doloroso regno,* scilicet, inferni, *di mezzo il petto uscia fuor de la ghiaccia,* quia a medio supra stat supra centrum; a medio infra intra centrum; et ostendit immensam magnitudinem eius per unam partem eius, et vult dicere quod brachia Luciferi erant tanto maiora uno gigante, quanto gigas est maior ipso Dante. Dicit ergo: *e più mi convegno con un gigante,* idest, ego Dantes qui sum parvus habeo maiorem convenientiam magnitudinis cum uno gigante qui est maximus, *che i giganti non fan,* idest, conveniunt, *con le sue braccia.* Et hic nota quod autor merito dat longa brachia isti regi juxta illud Ovidii: *An nescis longas regibus esse manus;* quia per istam longitudinem brachiorum figurat [2] longam potestatem istius magni regis, qui habet sub se multos [3] reges, et extendit brachia sua ad orientem, occidentem et per totum; et concludit: *vedi oggimai quanto esser dee quel tutto,* scilicet reliquum corpus, *ch' a così fatta parte,* idest, talibus brachiis, *si confaccia,* idest, conformetur et proportionetur. Et arguit, quod vere debeat [4] esse autor omnis doloris, dicens: *ogni lutto,* idest, planctus, *ben dee procedere da lui s' ei fu sì bello, se,* pro quia, *com' elli èe ora brutto,* quanto enim fuit pulcrior ante

---

(1) 116, sentiens eius tentationem, qui adest.

(2) E. figurat potestatem. — S. figurat longam potentiam.

(3) S. multos magnos reges. (4) E. e S. debebat.

lapsum, tanto turpior post lapsum, quia privatus est gratia qua erat dotatus; *e alzò le ciglia,* idest, et si ipse superbivit, *contra 'l suo fattore,* idest, creatorem (1), qui ex nihilo fecerat eum tam excelsum.

O quanto. Ista est secunda pars generalis (2) in qua autor describit triplex caput Luciferi et tres spiritus, qui puniuntur ab eo; et quia istud caput erat monstruosum et triforme, ideo autor cum admiratione exclamat: *o quanto parve a me gran meraviglia, quand' io vidi tre faccie a la sua testa.* Est autem hic diligentissime advertendum, quod autor subtiliter fingit Luciferum habere tria capita diversa; quoniam nulla videtur maior distantia vel difformitas illa quæ est inter summum Deum et summum diabolum. Primo namque in Deo est summum bonum, in diabolo summum malum; secundo, in Deo est summus amor, in isto summum odium; tertio, in Deo est summa sapientia, in isto summa ignorantia; quarto, in Deo est summa lux, in isto summa tenebra; quinto, in Deo est summa veritas, iste est (3) pater mendacii; sexto, in Deo est summa vita, in isto est mors sine morte; septimo, a Deo procedit omne gaudium, ab isto omnis tristitia; octavo, Deus est altissimus in summo cœlo, iste est infimus in profundo terræ; nono, Deus est clementissimus et misericorditer parcit, iste (4) crudelissimus, semper irascitur. Hoc autem pro tanto dictum sit, quia autor noster hic ex dictis elicit tantum tria quæ videntur recte contrariari in istis. Sicut enim Deus est trinus et unus, in quo est summa potentia, summus amor, et summa sapientia; ita in isto est summa impotentia, summum odium, summa ignorantia. Primum probatur, quia (5) non potest nisi mala, quæ potestas

(1) E. creatorem suum, qui.
(2) E. generalis huius cantus, in qua.
(3) E. autem est.
(4) E. iste autem est crudelissimus et semper.
(5) E. quia rationabiliter est summe impotens, quia non potest.

procedit a magna impotentia; unde si pravus homo vel angelus malus posset dici potens quia potest mala, sequeretur, quod esset potentior Deo, qui nullo (1) modo potest mala. Secundum, scilicet odium, patet, quia diabolus odit diligentes se et servientes sibi. Tertium etiam (2), scilicet ignorantia eius faciliter ostenditur, quia sicut homo pravus, teste philosopho, potest dici astutus sed non prudens, cum prudentia sit summa virtus; ita malitia diaboli non potest vocari sapientia, sed potius ignorantia. Nunc ergo ad literam: autor describit ista tria capita, unumquodque sub certa figura, dicens: *l' una dinanci,* scilicet testa media, *e quella era vermiglia,* et ista prima figurat impotentiam, quæ accendit et inflammat ipsum*; l' altre erano due, che si giungeano a questa,* quia una a dextris, altera a sinistris uniebatur illi mediæ, *sovresso il mezzo di ciascuna spalla,* quæ erat ita ampla, quod unum caput bene sedebat in ea; ideo dicit: *e si giungeano al loco de la cresta,* idest, coniungebantur faciei mediæ, quæ erat rubea sicut crista, et supereminens aliis in modum cristæ quæ stat alta in summitate, *e la destra parea tra bianca e gialla;* idest, pallida, et hæc figurat odium invidiæ diaboli; *la sinistra era tal,* idest, tam nigra, *a veder, quali,* scilicet æthiopes nigri, *vengon di là,* scilicet, ab austro, *onde il Nilo s' avvalla.* Nilus enim fluvius transit per Æthiopiam, Africam et Ægyptum; per hanc faciem nigram figurat ignorantiam quæ est tenebrosa semper. — *Sotto.* Hic autor describit in speciali alas Luciferi, dicens: *sotto ciascuna uscivan due grandi ali,* et sic erant sex. Istæ alæ figurant instigationes et inspirationes diaboli, quæ sunt valde magnæ, cum quibus discurrit per totum mundum; ideo dicit: *quanto si*

(1) E. nulla mala potest. Secundum.
(2) E. etiam faciliter ostenditur videlicet ignorantia, quia sicut.

conveniva a tanto uccello, idest tam magno, quia (1) habet alas quibus volat, et ungues quibus rapit et aucupatur semper prædam. Et specificat magnitudinem alarum per unam comparationem manifestam, dicens: *vele di mar non vid' io mai cotali;* et bene dicit; nulla enim vela ita currunt per aquam, sicut alæ diaboli per totum mundum amarum, nec ulla vela deducunt navim ad tot scopulos, ad tot naufragia, ad tot pericula et damna, sicut alæ diaboli deducunt vitam hominis, qui vere est sicut navis fragilis, instabilis, quam vagantem per varios fluctus istæ alæ mergunt (2) in abyssum. Et describit autor pennas alarum diaboli per unam comparationem pulcram, dicens: *non avean penne,* scilicet illæ alæ non habebant proprie pennas, quia occultas, *ma di vispistrello era lor modo,* idest, nisi solum tales, quales habet vespertilio. Ad quod sciendum quod vespertilio dicitur quasi vespere utens (3) animal; eo quod vespere volat, et est quasi volans mus. Habet enim caput muris, et est in figura capitis canis, et aliquando invenitur cum quatuor auribus; dentes habet serratiles, et imitatur in voce exili potius latratum canum, quam stridorem murum; corpus habet pilosum fulvo pilo; alas habet membranales, et in cubitis alarum habet unum digitum quo tenet se quando hæret parietibus; caudam habet valde latam et membranalem, et in cauda est figura duorum pedum cum quinque digitis, et acutis unguibus, quibus similiter se tenet, quando hæret muris; non enim habet statum vel sessionem sicut alia animalia, sed quando non volat, aut supenditur parietibus in (4) rimis umbrosis, aut jacet in cavernis: cibus eius est muscæ, culices (5), et hunc quærit volans de nocte. Et sic nota quantam similitudinem habet iste miser cum vespertilione ave miserrima,

(1) E. qui habet. (2) E. demergunt. (3) E. utens alas.
(4) E. et rimis. — 116, in ruinis vel muris umbrosis. (5) E. et culices.

quæ in aliquo participat cum mure per furtum, in aliquo cum cane per crudelitatem; nec habet statum, sicut cætera animalia, et vorat vilia animalia quæ nascuntur de corruptione, et habet ungues acutos rapacitatis, et pellem pilosam; et breviter comparatio est optima. Sicut enim vespertilio proditor spoliatus plumis suis missus est in tenebram nocturnam ab aquila juxta fabulam Æsopi, unde non audet apparere in luce; ita recte ipse Lucifer, qui prodidit Dominum Deum suum, et velut transfuga deseruit cœlum, privatus gloria et luce sua damnatus est ad tenebram æternam inferni, et non volat nisi nocte, quia in occulto tentat; et sicut omnes aves odiunt et persequuntur vespertilionem, ita omnes angeli boni ipsum (1) inimicum lucis. Et tangit exercitium et officium illarum alarum dicens: *e quelle insuso alzava,* idest, erigebat alas contra cœlum (2), contra Deum, *sì che tre venti si partian da ello,* quia scilicet habebat tria paria alarum, et hinc procedebat causa totius glaciei. Unde dicit: *quindi Cocito tutto s' aggelava.* Nam sicut ventus spirans ab Aquilone inglaciat aquas, ita inspiratio illius qui dixit: *ponam sedem meam ab Aquilone,* inglaciat corda istorum proditorum. Et tangit tristitiam eius, dicens: *con sei occhi piangeva,* suam miseriam æternam, *e per tre menti gocciava al petto sanguinosa bava,* emittebat enim bavam in modum apri ex ira et odio lacerans crudeliter tres spiritus; et sic sanguis illorum manans faciebat bavam sanguineam. — *Da ogni.* Nunc consequenter autor describit pœnam trium proditorum antiquorum, qui puniuntur ab isto principe dæmoniorum, quorum unus prodidit æternum Principem, alii duo principem terrenum; et primo proponit pœnam istorum in generali, dicens: ille Lucifer, *dirompea coi*

(1) E. e 116, Luciferum inimicum.
(2) E. cœlum, hoc est, contra Deum.

denti un peccator, idest, summum proditorem, *da ogni bocca.* Et tangit modum per [1] comparationem claram et propriam; et vult breviter dicere quod Lucifer dirumpebat [2] et dissipabat quemlibet istorum eo modo quo linum maceratur et laceratur; unde dicit: *a guisa di maciulla;* est enim maciulla instrumentum ligneum quo excutitur linum, quod alibi appellatur gramma, ideo dicit: *sì che tre ne facea così dolenti.* Et specificat pœnam maiorem eius, qui erat in medio, dicens: *a quel dinanzi il mordere era nulla, verso il graffiar,* vult dicere quod morsio quam faciebat Judæ [3] nihil erat respectu lacerationis quam faciebat cum unguibus; unde dicit: *che talvolta la schiena rimanea de la pelle tutta brulla,* idest, pauperata et nudata. Et nominat istum, cuius proditio excedit omnes [4] proditiones mundi, dicens: *disse il maestro,* scilicet Virgilius; *quella anima lassù che ha maggior pena,* scilicet in ore medio Luciferi, *èe Giuda Scariotto;* sic denominatus a loco, *che 'l capo ha dentro,* scilicet, intra os, *e fuor le gambe mena,* scilicet extra os. Et hic nota quod justissime autor fingit quod Lucifer, qui primus prodidit Dominum Deum suum, a quo receperat tantam prærogativam excellentiæ, puniat Judam, qui prodidit [5] Christum Deum et hominem Dominum suum, a quo receperat tot singularia beneficia. — *De gli altri.* Hic Virgilius nominat alios duos qui prodiderunt principem romanum, scilicet Brutum et Cassium, qui prodiderunt Julium Cæsarem. Et ad intelligentiam claram istius litteræ est sciendum, quod M. Brutus et Caius Cassius post mortem Julii Cæsaris fugientes a Roma occupaverunt provincias sibi datas ab ipso Cæsare, scilicet

---

(1) E. per unam comparationem. (2) E. dirumpebat quemlibet.

(3) 116 e E. Lucifer Judæ.

(4) E. omnes alias proditiones huius mundi.

(5) E. prodidit Dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem prætiosum, Deum et hominem, Dominum suum a quo receperat tanta beneficia.

Syriam et Macedoniam. Augustus autem, victo Antonio apud Mutinam, fecit deinde fœdus secum, ut posset cum illo mortem Cæsaris vindicare. Contractis ergo viribus utrorumque exercituum in Thessalia, quæ destinata erat bellis civilibus romanorum, pugnatum fuit cum tanto fervore quod aliquandiu neutra partium victrix vel victa videbatur; sed fortuna favens Augusto, tandem dedit illi victoriam duplici errore. Nam Cassius contra Antonium ardenter pugnans cum compulisset ipsum retrocedere, visus est videre Julium Cæsarem obvium facientem impetum in eum. Credo ego quod timor animi finxit sibi talem imaginem; quo monstro perterritus refugit: et cum jam sui invasissent castra Augusti, et lectum mucronibus (1) perforassent, quia credebant illum infirmum ibi esse, qui tamen erat in prœlio, Cassius, cuius castra similiter capta fuerant, videns suos reverti, credens illos fugere, fugit in montem proximum; sed pulvis, strepitus et nox vicina non permiserunt sibi sentire rem. Unde cum explorator ad hoc missus tardaret reverti, Cassius proprio gladio se transfixit, et sic pœnam parricidii dignam luit, suis adhuc pro parte vincentibus. Brutus autem, cum perdidisset animum ex morte Cassii, fugiens, omni spe perdita, precibus obtinuit ut a Stratone socio suo interficeretur, cuius corpus Antonius fecit cum suo pallio honorifice cremari. Augustus autem, ut dicit Svetonius in secundo, non temperavit prosperitatem victoriæ, sed misit caput Bruti Romam, ut subfigeretur statuæ Julii Cæsaris, et in omnes nobiles adversarios crudeliter se habuit factis et verbis. Unde uni petenti sepulturam, indignabundus respondit, quod hanc curam avibus relinquebat. Ideo vide qualiter autor ultra vindictam temporalem det eis pœnam æternalem. Sed ulterius ad co-

(1) E. vulneribus.

gnoscendum culpam eorum est sciendum, quod, sicut scribit Svetonius in primo, coniuratum est a sexaginta senatoribus, cuius coniurationis tres fuerunt autores principales, scilicet Marcus Brutus, Decimus Brutus et Gaius Cassius: Cæsar occisus fuit in curia pompeiana, quæ est in latere montis Tarpeii. Quidam Tullius Cimber primo cepit eum per togam et (1) utraque spatula, Cassius vulneravit eum infra gulam. Sed Cæsar subito extorto pugione de manu eius transfixit illi brachium, et volens sic insurgere, alio vulnere retardatus est, quod medici dixerunt esse mortale. Tunc Cæsar videns se peti undique ferro, et se solum inermem sine auxilio aliquo, collegit vires animæ in unum ne diceret vel ageret aliquid turpe in ultimo, et velavit sibi caput cum toga manu dextra, cum sinistra vero (2) extendit sinum vestimenti ad inferiores partes corporis, ut honestius caderet; et sic victor omnium viginti tribus vulneribus victus est, et quod peius morte (3) fuisset, decreverunt jactare corpus in Tiberim, bona (4) publicare, et acta rescindere; sed exterriti magnitudine facinoris et timore M. Antonii, qui tunc erat consul, et Lepidi qui erat magister equitum ipsius Cæsaris dictatoris, destiterunt, et fuga salutem petierunt. Cæsar magnificentissime cum omni pompa crematus est et sepultus in campo Martio; nam eius cineres repositi sunt in columna lapidis Numidici altitudinis viginti pedum, in qua scriptum est: *parenti patriæ.* Ad quam sacrificare, vovere, jurare per Cæsarem diu observatum est, et relatus est in numerum deorum, non solum autoritate principum, sed etiam opinione populari, sicut factum fuerat de Romulo primo conditore urbis. Et quod miraculosum videtur nullus interfectorum su-

(1) E. e 116, in utraque.
(2) E. vero adduxit sinum vestimenti eius ad inferiores.
(3) E. cum mortuus fuisset. (4) E. bona eius publicare.

pervixit ultra triennium, et nullus mortuus est morte naturali; sed omnes diversis casibus perierunt; alii naufragio, alii bello, quidam (1) eo ipso pugione quo vulneraverant Cæsarem semetipsos occiderunt: sic adeo mors illa indignissima visa est displicuisse Deo et hominibus. Nunc ad literam dicit Virgilius: *de gli altri duo c' hanno il capo di sotto,* per contrarium (2) Judæ habent pedes et crura in ore Luciferi, et caput pendens inferius, *quel che pende dal nero ceffo,* idest, ab ore nigro sinistro Luciferi, *èe Bruto.* Et hic nota (3) quod Dantes de industria non expressit de quo Bruto (4) potius intelligeret, ut relinqueret lectori locum inquirendi; tamen mihi videtur quod debeat intelligi potius de Decimo Bruto, quia (5) fuit ingratior; nam semper fuerat cum Cæsare, et in bellis civilibus et gallicis, et Massiliam oppresserat (6) pro eo; unde Svetonius ad arguendam malignam ingratitudinem proditorum scribit, quod multi, ex illis qui occiderunt eum erant nominati tutores filii sui, si aliquis nasceretur. Aliqui etiam erant substituti, sicut (7) Decimus Brutus in testamento quod fecerat paucis (8) mensibus ante mortem. Videtur etiam posse intelligi de M. Bruto, qui licet fuisset semper infestus Cæsari et gener Catonis, tamen clementissimus princeps, qui omnibus ignoverat, numquam solitus ulcisci, non merebatur mortem a Bruto, qui venia donatus et provincia sublimatus (9) aut debebat beneficia recusare, aut esse amicus eius; et ipse fuit principalis (10) in ista coniuratione. Fuit enim vir magni animi et ingenii literati, quem Tullius summe commendat in libro Philippicarum, tamquam

---

(1) E. quidam ex eis eo ipso.
(2) E. per contrarium, unde habent.
(3) E. e 116, nota, lector, quod.
(4) E. Bruto intelligeret.
(5) E. qui fuit.
(6) E. apprehenderat.
(7) E. sicut in Bruti testamento dicimus, quod fecerat.
(8) 116, paulo ante.
(9) E. sublimatus a Cæsare, aut.
(10) E. e 116, de principalibus.

autorem libertatis, et Lucanus sæpe hoc confirmat. Unde autor dicit: *Vedi come si torce e non fa motto;* in signum viri fortis qui nescit conqueri. Et specificat alium ab habitu corporis, dicens: *e l' altro,* scilicet pendens ab ore dextro, *è Cassio,* intellige de Gaio Cassio; nam fuit alius Cassius in (1) ista coniuratione, scilicet Cassius Parmensis; et dicit: *che par sì membruto,* quia corpore magnus. Nota etiam quod Cæsar visus (2) dignissimus tali morte; quia qui totam terram civilis sanguinis fusione (3) resperserat, suo sanguine totam curiam debuit inundare, etiam quia talem mortem videbatur optare; nam paulo ante mortem eius orta quæstione in cœna quod esset optimum genus mortis, ipse mortem subitam (4) et inexpectatam prætulerat; et in quodam sermone sæpe erat solitus dicere se satis diu vixisse (5) vel naturæ vel gloriæ. Demum percursis generaliter omnibus pœnis inferni, debes notare, lector, totum ordinem et dispositionem istius civitatis. Considera ergo quod sicut imperator, rex vel dominus stat in medio civitatis, ita Lucifer stat in centro istius civitatis; et sicut apud regem stant nobiles et magnates, qui sunt sibi magis familiares et amici, ita de prope Luciferum stant isti proditores sub umbra alarum eius; et sicut circa palatium, ad portas et in platea stant custodes, ita hic in circuitu circa lacum stant gigantes magni et fortes, tamquam satellites et stipatores deputati ad custodiam tanti regis, per quorum manus omnes transeunt ad curiam eius. Et sicut postea in tota terra per diversos vicos et contratas stant cives, mercatores et artistæ, ita in tota ista civitate sunt (6) fraudulenti et violenti per diversas bulgias et circulos; quia in omni contrata inveniuntur diversæ fraudes mercatorum et artistarum, et

(1) E. in hac eadem coniuratione.
(2) 116 e E. visus est.
(3) E. aspersione seu effusione respexerat.
(4) E. quotidiane subitam.
(5) E. vixisse, vel nedum gloriæ.
(6) E. stant.

ita diversæ violentiæ divitum et nobilium, qui nituntur (1) suppeditare alios quantum possunt; et sicut in suburbiis civitatis stant rustici, viles et incogniti, ita hic extra civitatem fortem et muratam stant incontinentes; et sicut communiter extra civitatem est flumen per quod transitur ad civitatem, ita hic est Acheron magnus fluvius per quem transitur ad istam civitatem maximam omnium, quæ continet in se magnam partem civium omnium civitatum mundi. Et sicut longe a civitate stant strenui (2) et bellatores in campis qui gerunt bella, et philosophi et heremitæ qui speculantur in solitudine; ita hic in campo herboso et amœno stant viri illustres, philosophi et poetæ separati ab omni turba confusa aliorum gloriosi; sicut hæc omnia singula patent in tractatu istius libri primi qui dicitur Infernus.

Ma la notte. Ista est tertia et ultima pars generalis (3), in qua autor describit suum recessum ab inferno, et removet aliqua dubia circa hoc. Et primo Virgilius proponit quod non sit amplius standum hic, tum quia tempus vocat eos, tum quia viderunt omnia videnda per eos. Dicit ergo: *ma la notte risorge,* quasi dicat: sicut adveniente nocte descendimus ad infernum, ita nocte recedente debemus recedere ab inferno, sicut plene expositum est secundo capitulo huius libri in principio: *e or mai èe da partir, chè tutto avem veduto,* scilicet omnia loca inferni cum omnibus suppliciis damnatorum. Et continuo tangit modum recessus (4), dicens: *com' a lui piacque, il collo gli avvinghiai,* idest, amplexus fui Virgilium cum brachiis ad collum, *et ei prese di tempo,* idest, servavit horam temporis, qua deberet (5) applicare se illi Lucifero, *e loco poste,* idest, in qua parte corporis, *e ap-*

(1) E. nituntur semper suppeditare.
(2) E. strenui bellatores.
(3) E. generalis huius capituli, in qua.
(4) E. recessus sui, dicens.
(5) 116, debebat.

pigliossi a le vellute coste, quia non habebat pennas, sed quamdam subtilem lanam, *quando l' ale furo aperte assai,* et sic, *discese poscia giù di vello in vello,* gradatim et paulatim, *tral folto pelo,* idest, alas pilosas, *e le gelate croste,* idest, et ipsam glaciem gelidam. — *Quando.* Hic autor ostendit quomodo transiverint (1) centrum, et pervenerunt ad aliud hemisperium inferius. Unde dicit: *lo duca volse la testa ov' egli avea le cianche,* idest, vertit caput ubi primo habebat pedes (2), *con fatica e con angoscia, quando noi fummo là dove la coscia si volge appunto in sul grosso de l' anche,* idest in natibus, *et aggrappossi al pelo,* illarum alarum, quæ erant valde subtiles et densæ, *com' uom che sale,* idest, ascendit, ubi primo solitus erat semper descendere a principio inferni usque ad finem; unde dicit: *sì che in inferno io credea tornar anche.* Ad declarationem istius literæ, quæ vulgo videtur obscura, volo te imaginari, quod si terra esset in medio perforata, ita quod foramen transiret per totum corpus usque ad aliud hemisperium, et aliquis proiiceret lapidem per foramen, lapis ille perveniret usque ad centrum terræ, et si transiret centrum motu violento, nihilominus reverteretur ad centrum, et quiesceret ibi; et est ratio naturalis, quia omne grave naturaliter tendit ad centrum; unde (3) si transiret, tunc ascenderet, quod est impossibile per naturam. Modo ad propositum Dantes secundum suam fictionem descenderat usque ad centrum terræ, nec volebat retrocedere, quia nolebat reverti per eamdem viam. Volens igitur transire ultra centrum ad aliud hemisperium, de necessitate oportebat quod egrederetur per aliam partem cum capite ante (4). Et ponit exhortationem Virgilii ad se, dicens: *il maestro ansando com' uom lasso, disse: attienti bene,* ne recidas in manus

(1) E. transiverunt.
(2) E. cossas.
(3) E. ut si.
(4) E. antecedente. Et.

istius, *chè conviensi dipartir da tanto male per cotali scale.* Per hoc figurat quod laboriosissimum [1] est homini, qui diu stetit in inferno, idest in statu vitiorum, recedere inde, et tendere ad purgatorium, idest ad statum pœnitentiæ. — *Poi.* Hic autor describit exitum eorum de inferno, dicens: *poi,* ille Virgilius, *uscì fuor per lo foro d'un sasso,* idest, per foramen respondens centro, per quod Lucifer cecidit, ut statim dicetur, *e posemi in su l'orlo,* idest, in extremitate [2] in introitu illius saxi forati, *a sedere,* ut parum posset respirare cum esset valde lassus, *appresso porse a me l'accorto passo,* quasi dicat: prudenter [3] et aperte venit et sedit juxta me. Et ostendit autor quid fecerit positus extra infernum; unde dicit: *io levai gli occhi, e credetti vedere Lucifero com'io l'avea lassato,* scilicet, cum capite sursum, *e vidili tenere le gambe in su,* per oppositum, ex quo factus est valde stupefactus; unde dicit: *e s'io divenni allora travagliato, la gente grossa il pensi,* et bene dicit gens rudis; nam homini ignoranti istud videtur mirabile [4], non tamen uni philosopho vel astrologo, imo videtur quod de necessitate oportet sic esse, si debet transire centrum. Ideo dicit: *che non vede qual era il punto ch'io avea passato,* idest, quæ non recognoscit [5] quid sit centrum vel quomodo. — *Levati.* Hic autor ostendit qualiter post parvam quietationem Virgilius persuaserit [6] sibi esse [7] recedendum, unde dicit: *disse 'l maestro, levati su in pede,* quasi dicat: non est amplius hic standum, nec perdendum hic tempus; et ecce causam: quia *la via è lunga,* quia quanta via est a centro supra, tanta est a centro infra, *e 'l cammino è malvagio,* quia [8] iter est difficilli-

---

(1) E. laboriosum.
(2) 116, extremitate introitus illius saxi fracti sive forati.
(3) E. prudenter venit.
(4) E. impossibile.
(5) E. e S. cognoscit.
(6) E. persuasit.
(7) 116, quod esset.
(8) 116, quia difficillimum est tendere.

mum tendere ad virtutem a principio, *e già il sole riede a mezza terza,* idest, quod sol revertitur ad ortum in illo alio hemisperio. Et tangit difficultatem itineris, dicens: *non era camminata di palagio,* quasi dicat: non erat via lævis et plana et lata, *là ove eravam, ma natural burella,* idest, obscura et stricta naturaliter, *ch' avea mal suolo,* idest, asperum, *e di lume disagio,* quia parum vel nihil habebat luminis. — *Prima.* Nunc autor recessurus a loco petit certiorari a Virgilio de quibusdam dubiis. Dicit ergo: *diss' io quando fui dritto: o maestro mio, favellami un poco a trarmi d' erro,* idest, de dubiis, quibus sum implicitus, *prima che de l' abisso mi divella,* idest, abstrahas (1) me. Sed quid petit autor, cum jam esset evulsus et separatus de abysso inferni? Dicendum, quod erat adhuc in conspectu abyssi et respiciebat Luciferum; vel dic quod vocat abyssum locum infimum, ubi erant (2). Unde statim incipient ascendere cum movebunt (3). Et ecce dubia: *ov' èe la ghiaccia?* quia non videbat amplius eam, *e questi,* scilicet Lucifer, *com' èe fitto sì sotto sopra, e come il sole ha fatto tragitto,* idest, transitum, *da sera a mane,* idest, ab occasu ad ortum, sive a nocte ad diem, *in sì poc' ora?* Et subdit responsionem Virgilii, qui primo tangit causam admirationis, et dubitationis eius, unde dicit: *et elli a me,* scilicet Virgilius respondit: *tu imagini ancora d' esser di là dal centro, ov' io mi presi al pel del vermo rio,* scilicet Luciferi, *che 'l mondo fora,* idest, forat (4), vel furatur; sed non est sic, quia non es ibi, quia solummodo, *di là,* ultra centrum, *fosti cotanto quant' io scesi,* quasi dicat: tamdiu quamdiu tetendi deorsum, *e quando mi volsi,* idest, quando verti caput ubi habebam pedes, *tu passasti il punto,* idest, centrum, *al qual si traggon d' ogni parte i pesi,* quia,

(1) E. antequam abstrahas.
(2) 116, erat. Unde statim incipiet.
(3) E. movebuntur.
(4) E. furat.

ut totiens dictum est, omnia gravia tendunt ad centrum. — *E sie'*. Hic Virgilius specificat autori locum; ubi est, dicens; *e sie' or,* idest, nunc, *giunto sotto l' emisperio,* idest, sub hemisperio inferiori opposito superiori; unde dicit; *che èe opposito a quel,* scilicet, hemisperio nostro superiori, *che coverchia la gran secca,* idest, totam terram discoopertam. Et melius declarat ipsum hemisperium superius nostrum per id quod (1) Christus passionatus est sub eo, dicens: *e sotto il cui colmo,* idest, sub cuius hemisperii altitudine, *l' uom che nacque e visse senza pecca,* idest (2) Christus qui solus inter homines fuit sine peccato, *fue consunto,* idest, crucifixus et ex omni parte afflictus; unde ipse (3) dixit: *consummatum est.* Christus (4) enim fuit passus, mortuus et sepultus in Hierusalem, quæ dicitur esse sub altiori puncto hemisperii speræ nostræ habitabilis. Et declarato loco ubi erat per hemisperium declarat ipsum per situm terræ, et dicit: *tu hai li pedi in su picciola spera,* parvam speram appellat autor parvam aream spericam, in qua est mons purgatorii, quam invenerunt in illo hemisperio inferiori; quæ terra est parva respectu nostræ superioris. Et declarat ipsam speram parvam, dicens: *che l' altra parte fa della Giudecca,* idest, quod in opposita facie terræ illius montis est Judecha, idest, Judaica regio; nam mons ille purgatorii est directe oppositus (5) regioni Hierusalem, quæ dicitur Judæa; vel (6) et verius quod autor per Judecham intelligit ultimam partem glaciei, quam autor denominat Judecham a Juda archiproditore, qui prodidit Dominum et benefactorem suum; quæ Judecha directe opponitur illi saxo ad quod pervenerant nunc; et ista est

(1) E. quod Dominus noster Jesus Christus.
(2) E. idest Dominus noster Jesus Christus.
(3) E. ipsemet de se dixit.
(4) E. Dominus enim noster Jesus Christus fuit passus.
(5) E. oppositus Hierusalem.
(6) E. vel dic et verius.

propria intentio (1) autoris, quia nondum nominaverat istam quartam regionem glaciei nomine proprio, sicut nominaverat alias tres, scilicet Chainam, Anthenoream, Ptholomæam. Ideo nunc nominat quartam (2), scilicet Judecham; et tamen utraque expositio importat eumdem sensum, quia regio Judaica, et Judecha opponuntur isti parvæ speræ; sed Judecha magis immediate et stricte. — *Qui.* Hic Virgilius respondet ultimæ quæstioni, dicens: *qui è da man,* scilicet, in isto hemisperio inferiori, *quando di là è sera,* scilicet in hemisperio superiori, sicut in Judæa, ut dicetur clare in tertio capitulo Purgatorii; et considera quod Virgilius cum loquitur hic cum autore est continuo in illa parte terræ opposita nostræ. Deinde respondet secundæ et primæ quæstioni, dicens: *e questi,* scilicet Lucifer, *che ne fe scala col pelo,* quia per alas eius pilosas descendimus ad fundum (3), *fitto è ancora, sì come prim' era,* idest, eo modo stat quo (4) tu vidisti primo eum, nec est mutatus in aliquo, sed tu mutasti locum. Et ad declarationem dictorum describit casum diaboli, per quem factus est infernus. Dicit ergo: et ille Lucifer, *cadde giù dal cielo da questa parte,* idest ab isto hemisperio inferiori, ubi erat nunc Virgilius; et non intelligas quod ceciderit ab isto nostro hemisperio superiori, sicut quidam ponunt et exponunt falso, quia tunc Lucifer apparuisset autori cum capite deorsum quando descendit, cuius contrarium fuit; quia invenerunt eum cum capite desuper versus nostram terram habitabilem antequam transirent centrum. Et dicit quod terra cooperta fuit a mari timore eius Luciferi ab illa parte, et cessit et venit ad hemisperium nostrum quod habitatur. Construe (5) et expone literam, quæ est

(1) E. mens autoris.
(2) E. quartam Judaicam; et tamen.
(3) 116, profundum.
(4) E. sicut primo vidisti eum.
(5) E. Construe ergo et expone.

valde fortis, et dicit (1): *e la terra che pria si sporse di qua,* idest, quæ removit se ab ista parte inferiori et retraxit se sursum, *fee del mar velo,* idest, claustrum et obstaculum, quia velavit se mari, *per paura di lui,* ne egrederetur, *e venne a l' emisperio nostro,* ubi scilicet est discooperta habitabilis; ita quod vult dicere quod terra in nostra parte intumuit, et e converso pars terræ aufugit per ipsum foramen, quod fecit Lucifer dum iret ad centrum, et ex ipsa factus est mons purgatorii. Construe sic: *e quella che par di qua,* scilicet, terra montis purgatorii, quem ascendere volumus, *lasciò qui luogo voto,* scilicet, istam viam foratam per quam exire volumus, *per fuggir lui,* idest, volens fugere a facie Luciferi recessit inde, *e ricorse su,* idest, saliit sursum et erexit se in altitudinem istius montis purgatorii. Et hic nota quod autor fecit (2) hic pulcerrimam fictionem, per quam figurat quod tota terra habitabilis est subdita potestati diaboli, quia ipse dicitur princeps mundi, sed illa pars quæ recessit, non; hoc est quod recedentes a vitiis et tendentes ad virtutes, quales sunt existentes in purgatorio, recedunt a regno diaboli, et tendunt sursum ad cœlum, sicut ostendetur plenissime in libro sequenti Purgatorii. — *Loco.* Hic Virgilius facit topographiam, idest descriptionem loci. Et ad huius literæ fortis evidentiam volo te notare, quod locus iste foratus per quem habebant transire et exire foris (3) est infra centrum terræ usque ad superficiem aliam terræ inferioris; qui locus est tantæ distantiæ et longitudinis, quantæ est locus supra centrum usque ad superficiem istius nostræ terræ superioris, ita quod centrum terræ equidistanter dividit istas duas medietates. Ideo bene dicit litera: *loco èe là giù rimoto da Belzebù,* idest, a Lucifero, *tanto, quanto la*

(1) E. et dic. (2) E. e 116, facit. (3) E. e 116, foras.

tomba si distende, idest, infernus qui est sepultura omnium mortuorum damnatorum. Et dicit quod hic locus foratus, excavatus est incognitus visui, sed solum percipitur auribus propter sonum aquæ, quæ labitur per ipsum; unde dicit: *che è noto non per vista;* hic locus est absconditus et inaspectus ([1]), quia nullus ibi moratur, nullus ibi punitur, unde dicit: *ma per suono d' un ruscelletto,* idest, rivuli: nec credas quod iste rivulus manet a Cocyto, sicut aliqui male opinantur, quia istud est impossibile per naturam, quia tunc aqua ascenderet; sed potius e contra, iste rivulus oritur a monte purgatorii et labitur contra ([2]) infernum usque ad centrum, quia aqua purgatorii et aqua inferni sunt contrariæ; unde dicit: *che quivi discende per la buca,* idest, per foramen, *d' un sasso ch' elli,* scilicet rivulus, *ha roso col corso ch' elli avvolge,* idest, torquet, *e poco pende,* imo jacet propter revolutiones cursus. — *Lo duca.* Nunc autor claudens capitulum et librum totum concludit ([3]), quod per viam descriptam exiverunt de corpore pœnæ ([4]) et pervenerunt ad illam superficiem terræ, ubi est mons purgatorii. Unde dicit: *lo duca,* scilicet Virgilius qui duxerat eum incolumem per loca omnia plena timore, labore et dolore, *et io,* qui numquam deserueram vestigia eius, *intrammo per quel camino ascoso,* quia locus subterraneus est et nulli notus, quia nullus vadit per ipsum, *a ritornar nel chiaro mondo,* idest, ad claritatem virtutum, quia hucusque steterat in tenebra vitiorum, *e salimmo su,* ubi eramus soliti descendere, *ei primo,* tamquam dominus, pater, dux et magister, *et io secondo,* tamquam servus, filius, peregrinus et discipulus, *senza aver cura d' alcun riposo,* idest, sine interpositione quietis vel intermissione laboris. Et hic nota, lector, quod hic mirabilis poeta non sine

(1) E. inspectus.
(2) E. per infernum.
(3) E. concludit dicens, quod.
(4) E. e 116, terræ.

magno ministerio finxit se infra centrum terræ locum vacuum invenire, et tam celeriter tantum (1) spatium transcurrere; nam ut mihi videtur ipse totum infernum tam laboriose quam morose percurrit, quærens investigare et propalare singula supplicia vitiorum. Nolens ergo redire per eamdem viam more canis revertentis ad vomitum; sed volens per purgatorium, in inferiori hemisperio positum, infernoque oppositum, redire in regionem suam quæ cœlum est, cogitur fingere locum perforatum et pervium per quem evadat ad superos; ideo elegantissime fingit quod iste locus inferior sit vacuus, et superior sit plenus animabus damnatorum; et ideo tam celeriter autor percurrit (2) istum locum vacuum, quia nihil invenit hic quod haberet speculari. Ideo dicit: *tanto,* supple salivimus et ascendimus per illam viam obscuram absconditam, *ch' io vidi delle cose belle che porta il ciel,* scilicet corpora cœlestia, quæ sunt pulcerrima respectu (3) terrenorum, *per un pertugio tondo,* idest, per ostium angustum istius saxi forati sperici, *e quindi,* scilicet per istud os foraminosum (4), *uscimmo a riveder le stelle,* scilicet, apparentes in aurora in illo hemisperio inferiori, sicut statim apparebit primo capitulo Purgatorii. Sic igitur vide, lector, quod autor cum summa festinantia recedit a loco tenebrarum, et cum summa lætitia accedit ad claritatem stellarum, idest, virtutum. Ad quarum lucem nos transire concedat a vitiis qui est lux, vita, via et veritas in secula seculorum. Amen.

Jamque domos Stygias et tristia regna silentum,
Destituens, sublimis agor; jam noctis ab imo
Carcere felices rediens extollor ad auras.

---

(1) E. totum. (2) E. perquirit.
(3) E. respectu damnatorum terrenorum.
(4) E. foratum seu foraminosum.

Vidi ego diversis animarum tartara pœnis
In circlos distincta novem, lacrymosaque passim
Flumina et horribilem ferratis pestibus urbem.
Sit tibi, summe Deus, nostræ spes una salutis
Gloria et æternæ maneant per secula laudes.

Expletum die VII februarii hora XV 1409 (1).

(1) Mancano nel Codice Estense i versi sopra riportati; ma soltanto si legge: « Explicit comentum Magistri Benvenuti de Ymola super Infernum Comediæ Dantis Aldigherii scriptum Mutinæ anno Domini nostri Jesu Christi Redemptorisque prætiosissimi 1408, antepenultimo Junii. »

FINIS INFERNI ET TOMI SECUNDI.

INDEX TOMI SECUNDI.

COMENTUM INFERNI.